Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill^mi ac Rev^mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

—

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS XX

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

BRUGIS FLANDRORUM

Typis P. Van Cappel-Missiaen

MCMXX

25315

v. 20
1920

Collationes Brugenses

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

—

I

Q. *Solve sequentem difficultatem quæ contra realitatem historicam apparitionum Jesu redivivi* in Jerusalem et in Judæa *movetur ex Evangelio S. Matthæi:*

1/ *Matthæus nil refert de hisce apparitionibus; unde eas* ipso suo silentio *excludit, quum eas certe* cognovisset *si locum habuissent, et certe eas* retulisset *si cognovisset;*

2/ *Imo eas* positive excludit, *nam, juxta ea quæ enarrat, a/ Angelus mulieribus apparens, jubet eas monere Apostolos ut eant* in Galilæam; *nam, sic ait,* « ibi *eum videbitis (v. 7)* »; — *b/ idem monitum Jesus ipsis apparens iterat (v. 10); — c/ et* de facto *Apostoli tendunt in Galilæam, et ibi vident Jesum (v. 16); imo in hac apparitione Jesu quidam Apostoli adhuc* dubitant *(v. 17): quod sane difficulter intelligitur, si vere locum habuissent omnes istæ apparitiones a Luca et Joanne in Jerusalem et Judæa repositæ.*

R. Præ oculis habenti systema a Rationalistis realitati apparitionum Christi oppositum et supra (1) per summa capita descriptum, facile apparet quorsum spectet difficultas in præsenti quæstione proposita: In Evangelio *Matthæi,* sic volunt, clare detegimus vesti-

(1) Pp. 631 s.

gium primi stadii a quo cœpit tota de Christi resurrectione ejusque apparitionibus legenda : hic enim videmus apparitiones Jesu omnes reponi *in Galilæa*, illudque sat *multis diebus post mortem Christi.* De omnibus istis apparitionibus quas Luc., Jo. XX et Mc. XVI, 9-20 reponunt *in Judæa et Jerusalem*, et jam *ab ipsa die resurrectionis*, S. Matthæus : a/ ne verbulum quidem habet, imo b/ iis quæ habet easdem apparitiones positive excludit. — Unde *duplex est eorum argumentum*, negativum unum, positivum alterum, in quæstione supra proposita indicatum, et jam successive examinandum.

I. **Ad argumentum negativum :**

Resp. 1°/ Ex silentio S. Matthæi circa apparitiones in Judæa et Jerusalem, si esset, tunc tantum aliquid concludi posset si constaret tum ipsum debuisse *cognoscere* easdem apparitiones, tum ipsum debuisse de eisdem *mentionem facere.* Porro quod debuerit istas cognoscere, plane concedimus ; sed negamus ipsum de eis debuisse mentionem facere. — Etenim, ut ex origine, scopo et indole Evangeliorum facile colligitur, Evangelistæ, potissimum vero Synoptici, non intenderunt variorum factorum de Christo referre *completam et undequaque accuratam relationem ;* nec etiam intenderunt *probare realitatem resurrectionis Christi ;* sed, scribentes pro Christianis qui factum illud ex traditione et prædicatione apostolica acceperant et ut indubium admittebant, generatim nil aliud voluerunt quam, modo sibi pro adjunctis beneviso, essentialia quædam ex vita Jesu dicta et facta referre. Unde optime potuerunt plura facta sibi nota, puta talem vel talem apparitionem Jesu redivivi, silentio præterire, sicut potuerunt etiam in iis quæ referunt non esse solliciti de illa acribeia qualis in hodiernis operibus historicis ordinarie quæritur.

Quod melius intelliget qui perpenderit apparitiones Jesu in Galilæa multo *frequentiores* fuisse *majorisque momenti* quam istæ quæ in Judæa et Jerusalem conti-

gerant: ibi enim, juxta promissum suum in ultima cœna (1), sicut pastor oves suas dispersas, ita ipse recollegit Apostolos suos, ibique, in plena libertate et securitate, eorum educationem perfecit. Unde intelligitur scriptorem quemdam, puta Matthæum, potuisse, neglectis, minime vero exclusis, apparitionibus in Judæa, illud tantum commercium notare quod in Galilæa locum habuerat (2). Cfr. dicenda ad II.

2°/ Imo quæritur *utrum revera Matthæus taceat* de hisce apparitionibus in Judæa. Refert enim apparitionem Jesu, si non ipsis Apostolis, tamen *piis mulieribus* (3), prope sepulchrum et ipsa die resurrectionis. — Præterea non paucis videtur supponere aliquam apparitionem quæ in Judæa *ipsis Apostolis* contigisset: notat enim (4) Apostolos abiisse in Galilæam *in montem ubi constituerat illis Jesus:* jamvero, nullibi narrat Jesum hujusmodi mandatum dedisse et *montem designasse* Apostolis suis; et ideo obvium est putare ipsum hic alludere ad unam alteramve apparitionem in Judæa quam narrare omiserit (5).

II. **Ad argumentum positivum:**

Resp. Ex iis quæ S. Matthæus *dicit* minime probatur adversariorum intentum. Etenim — missis iis quæ statim dicebamus (I, 2°/) de apparitionibus in Judæa a S. Matthæo de facto relatis aut suppositis, et quæstione restricta ad solos eos textus qui nobis objiciuntur —

---

(1) Mt. XXVI, 32; Mc. XIV, 28.

(2) Cfr. Hugues, apud *Études Franciscaines,* t. XXV (1911), p. 513.

(3) XXVIII, 9 s. — Cfr. quæ de hisce scripsimus supra, t. XIX, p. 502, *nota* (3).

(4) XXVIII, 16.

(5) Cfr. Ladeuze, *La Résurrection du Christ,* p. 47 s.; Lepin, *L'origine du quatrième évangile;* Paris, Letouzey, 1907, p. 298. — Omittimus illud quod quidam dixerunt (Hofmann, *Galilæa auf dem Œlberg,* Lipsiæ, 1896, pp. 393-400; Resch, *Ausserkanonische Parallelexte zu den Evangelien,* Coll. *T. u. U.*, Lipsiæ, 1894, t. X, fasc. 2, pp. 381-389) « *Galilæam* » de qua loquitur hic Matthæus, non designare partem istam septentrionalem Palæstinæ quam ordinarie audimus, sed locum aliquem proximum Jerusalem, in monte Oliveti situm.

1°/ Quod spectat verba tum Angeli: « *Præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis* », tum Jesu ipsius: « *Eant in Galilæam, ibi me videbunt* », non desunt plures Auctorum sententiæ, quæ solida probabilitate gaudent, et quæ textum et mentem S. Matthæi ita interpretantur ut apparitiones Jesu in Judæa et Jerusalem nequaquam excludant. Ex quibus variis sententiis invicem collatis sic præplacet dici:

Angelus, dum mulieribus sepulchrum visitantibus apparebat, iis, ut obvium erat, locutus est de resurrectione Christi ejusque futuris apparitionibus. Hunc sermonem angeli referre voluerunt Evangelistæ synoptici; sed non ideo habuerunt intentionem affirmandi angelum præcise *hæc ipsissima verba* protulisse; et revera verba ista aliquatenus diversa sunt apud Mt. et Mc. ex una, et apud Lc. ex altera parte. Unde bene possibile est Mt. vel ipsius fontes scriptos aut orales, immutatam servando *substantiam* seu *sensum fundamentalem* verborum, hæc verba tamen, processu litterario, aliquatenus quoad *modum* seu *redactionem* adaptasse expositioni factorum quæ infra referre volebant. Nimirum: Matthæus, ut supra diximus, ex omnibus apparitionibus Jesu, has potissimum referre volebat quæ locum habuerant in Galilæa. Quare, ex omnibus iis quæ mulieres ex mandato angeli — vel Christi, in v. 10 — dicere debebant ad Apostolos, hoc tantummodo notatur mandatum ut annuntiarent ipsis apparitiones futuras *in Galilæa* (1).

Quod multò adhuc melius intelligitur si ponimus, quod a pluribus auctoribus tenetur, S. Matthæum in

---

(1) Verba ab angelo dicta, puta: « Ite, dicite discipulis quia surrexit et videbunt eum », vel: « Seipsum eis ostendet in Jerusalem et in Galilæa », hæc verba Matthæus determinat pro historia quam infra narrare intendit: « Seipsum eis ostendet *in Galilæa* ». — Unde exclusio apparitionum in Judæa, apud Matthæum, non est historica et objectiva, sed ordinis mere litterarii. Cfr. MANGENOT, apud *Revue pratique d'Apologétique*, t. IX, p. 40; LADEUZE, *o. c.*, pp. 43 ss.

hac sua narratione secutum esse *traditionem,* sive scriptam sive oralem, ortam in Galilæa: sicut enim Lucas, ut indubium est, in referendis factis quæ ad resurrectionem Christi spectant, secutus est traditionem hierosolymitanam, ita Matthæus, ex sua parte, eadem facta scripto consignavit prout ipsa jam a tempore in cœtibus christianorum Galilææ referri solebant: sic enim magis adhuc obvium fuit ut de solis apparitionibus in ipsa Galilæa habitis mentio fieret (1).

2°/ Unum tantum manet inquirendum, quod in quæstione *sub 2/ c/* ponebatur: quomodo, si vere locum habuissent omnes istæ apparitiones a Luca et Joanne in Judæa repositæ, quomodo Matthæus potuit adhuc notare, Jesu apparente in monte isto Galilææ, quosdam adhuc Apostolos *dubitare?* — Ast facile solvitur hæc difficultas admisso sensu quem — relictis aliis — plures auctores proponunt: utique, Apostoli jam optime sciebant Jesum resurrexisse, imo jam bis eum viderant; sed sicut Magdalena (2), sicut discipuli Emmaus (3), sicut Apostoli invita apparitione jam facta Petro et discipulis Emmaus (4), imo adhuc in tertia illa apparitione (5), quæ in mari Tiberiadis locum habuit, non statim agnoverunt Jesum, sed ipsum habuerunt sive ut hortulanum, sive ut viatorem quemdam ignotum, sive ut spiritum, sive ut phantasma, — eodem quoque modo, Jesum sibi apparentem in monte Galilææ, alii quidem statim agnoscunt et adorant, alii vero *dubitant,* i. e. dubitant utrum hæc forma, hic homo, ipsis apparens sit Jesus necne (6).

A. Vander Heeren.

---

(1) Cfr. Hugues, *Études Franciscaines,* t. XXV (1911), p. 513.
(2) Jo. XX, 15.
(3) Lc. XXIV, 16 ss.
(4) Lc. XXIV, 37.
(5) Jo. XXI, 4.
(6) Cfr. Vigouroux-Bacuez-Brassac, *Manuel biblique,* t. III, n. 343; *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 562.

II

De notione dogmatis (1).

Q. *Expone notionem* dogmatis.

R. I. Nomen *dogma*, prouti nunc (2) in sermone ecclesiastico adhibetur, significat veritatem a Deo revelatam. Sed usurpatur in sensu plus vel minus lato et triplex circa hoc notari potest differentia:

1. Dogma, sensu lato, est *omnis veritas a Deo revelata*, revelatione *publica;* seu, supposito aliunde demonstrato, duos esse de facto fontes revelationis publicæ, est omnis veritas contenta in S. Scriptura et in Traditione. Dogma, hoc sensu acceptum, dicitur etiam dogma *quoad se*.

2. Dogma, sensu stricto, est *omnis veritas a Deo revelata et qua talis ab Ecclesia ut credenda proposita*. Dogma, hoc sensu, dicitur etiam dogma *quoad nos*.

3. Dogma a paucis auctoribus sumitur in sensu strictiori et tunc illo vocabulo designatur: veritas *humanæ rationi naturali omnino impervia* (seu *mysterium* stricte dictum), a Deo revelata et qua talis ab Ecclesia ut credenda proposita. — Non videtur ratio adesse sufficiens restringendi ad hoc objectum solum signifi-

---

(1) Cf. De Groot, *Summa apologetica de Ecclesia catholica*, 3 Ratisbonæ, 1906, p. 384 ss., 781 ss.; Van Noort. *De fontibus Revelationis* 2, Amstelodami, 1911, n. 210 ss.; Gardeil, *Le donné révélé et la théologie*. Paris, 1910, p. 77 ss.; Dublanchy, ap. Vacant-Mangenot, *Dictionnaire de théologie catholique*, art. *dogme;* Pinard, ap. d'Alès, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, art. *dogme*.

(2) De sensu quo adhibebatur vocabulum *dogma* apud philosophos paganos, in S. Scriptura et apud priores Ecclesiæ Patres cf. Pinard, *o. c.*, col. 1122; Dublanchy, *o. c.*, col. 1574, qui scribit: « Ce n'est qu'au IVe siècle que plusieurs auteurs commencent à réserver le nom de dogme aux seules vérités qui sont l'objet de la foi et qui sont nettement distinguées des lois ou obligations enseignées par la loi chrétienne. Au Ve siècle ce sens restreint est généralement adopté par les auteurs ecclésiastiques et passe dès lors dans l'usage universel constamment observé depuis cette époque ».

cationem vocabuli dogmatis, sed melius adhibetur ad designandum omne quod est, *quoad nos*, veritas a Deo revelata et quod proinde pertinet ad objectum materiale fidei divinæ et catholicæ. Licet admittatur veritates naturali rationis lumine cognoscibiles non posse *credi* ab illis hominibus qui perspectam habent intrinsecam evidentiam illarum veritatum, tamen hæ, utpote revelatæ, acqualiter ac mysteria stricte dicta, traduntur a Deo et etiam ab Ecclesia proponuntur ut credendæ (1). Omnes enim veritates quæ, tamquam a Deo revelatæ, proponuntur ab Ecclesia, ut credendæ, *æqualiter* omnino proponuntur et singulæ eadem ratione subsunt de facto auctoritati divinæ, et proinde singulæ indiscriminatim et æquali titulo pertinent ad objectum materiale fidei divinæ et catholicæ. Etiam omnes illæ veritates creduntur ab omnibus hominibus quando totui complexui veritatum revelatarum adhærent, quin propria et explicita consideratio occurrat de aliqua propositione in particulari. Tandem sicut æqualiter ad objectum materiale fidei pertinent tum illæ veritates quæ ab omnibus *explicite credi* debent tum aliæ, ita etiam æqualiter ad prædictum objectum pertinent tum illæ veritates quæ, utpote mysteria stricte dicta, ab omnibus possunt explicite credi, tum illæ veritates quæ, utpote naturaliter cognoscibiles, non possunt, secundum sententiam multorum theologorum, credi ab illis hominibus qui de his veritatibus scientiam habent.

Quæ quum ita sint, tenemus definitionem communiter acceptam, quæ suprà secundo loco est posita, quam nunc ulterius explicabimus.

II. A. 1° *Omnis veritas a Deo revelata*. Loquimur de revelatione facta *hominibus*. Dicitur *veritas*, scilicet *objective* sumpta, seu *propositio vera*. Dogma est idipsum quod Deus manifestat seu dicit homini (sive uni, v. gr. prophetæ, qui debet dictum a Deo communicare aliis

(1) Card. Billot, *De virtutibus infusis*, Romæ, 1901, thes. X, p. 226 ss.

hominibus, sive pluribus simul, sicut quando Christus prædicavit hac in terra), est nempe res cognita a Deo, expressa in humano sermone, ideoque est necessario expressa in quodam *judicio*, quod, terminis oralibus significatum, est *propositio*.

Ad hoc declarandum referimus responsum S. Thomæ ad quæsitum: « utrum objectum fidei sit aliquid complexum per modum enuntiabilis? Respondeo dicendum quod cognita sunt in cognoscente per modum cognoscentis. Est autem modus proprius humani intellectus ut componendo et dividendo veritatem cognoscat... Et ideo ea quæ secundum se simplicia sunt, intellectus humanus cognoscit secundum quamdam complexionem; sicut e converso intellectus divinus incomplexe cognoscit ea quæ sunt secundum se complexa. Sic ergo objectum fidei dupliciter considerari potest: uno modo ex parte ipsius rei creditæ; et sic objectum fidei est aliquid incomplexum, scilicet res ipsa de qua fides habetur. [Hæc res est veritas prma, nempe ipse Deus, tamquam objectum attributionis fidei ad quod objectum fide cognoscendum reducutur omnia credenda] (1). Alio modo ex parte credentis et secundum hoc, objectum fidei est aliquod complexum per modum enuntiabilis » (2). « Visio patriæ erit veritatis primæ secundum quod est in se, et ideo visio illa erit non per modum enuntiabilis, sed per modum simplicis intelligentiæ. Sed per fidem non apprehendimus veritatem primam sicuti est in se » (3).

Quibus adjungit Card. Billot: « Hinc etiam facile est videre quomodo objectum fidei, non secus ac objectum scientiæ, considerari debeat tum in esse reali extra intellectum, tum in esse intentionali intra cognoscentem. Et in esse quidem quod habet intra cognoscentem, nihil aliud est quam intellectualis similitudo qua mediante cognitio nostra terminatur ad rem, sicut cum aliquis movetur in imaginem reduplicative qua talem, eo ipso et eodem motu movetur in rem cujus est imago... Quæ igitur cum ita sint, si objectum

---

(1) Cf. CAJETANUS, *In Sum. theol.*, II-II, Q. I, a. 1.
(2) S. THOMAS, *Sum. theol.*, II-II, Q. I, a. 2.
(3) ID., *l. c.*, ad 3.

fidei sumatur ex parte nostra in ratione enuntiabilis seu propositionis complexæ ex subjecto et copula et prædicato, sic mediat quodammodo inter intellectum et rem in seipsa subsistentem, et pro duplici respectu quem dicit ad hæc duo extrema, duplex quoque suscipit attributum. Nam per ordinem ad rem cui adæquatur, denominatur *verum,* et per ordinem ad intellectum credentis cui non est in suis intrinsecis apparens, denominatur *obscurum* » (1).

Igitur dogma est ipsa res a Deo revelata, quæ, expressa propositione sermonis humani, fit objectum seu terminus cognitionis seu fidei humanæ. Igitur eadem res, posita revelatione, cognoscitur ab homine et a Deo, licet, uti patet, alia ratione cognoscatur a Deo, et alia ab homine. Sed hæc res debet exprimi sermone humano. Inde distinctio quædam datur inter ipsum dogma et formula verbalis ejusdem, quum idem possit exprimi diversis verbis. Hæc diversitas potest dependere vel a Deo revelante, vel ab hominibus qui cogitant circa rem revelatam. Inde jam patet dari posse progressum in *expressione* rei revelatæ quin sit mutatio in eo quod est revelatum.

2° Inde omne et solum, quod a Deo revelatum fuit, potest esse dogma proprie dictum: nempe omne quod a Deo *explicite* dictum est, vel quod *formaliter implicite* continetur in illo. Quapropter conclusio theologica, omnino certa, etiam infallibiliter a Magisterio Ecclesiæ definita, non est dogma proprie dictum, nec objectum materiale fidei divinæ (2).

3° a/ Quælibet autem sit res revelata, hæc potest esse dogma: potest esse assertio mere theoretica, vel practica; assertioni autem revelatæ, qua tali, debet in homine respondere *primario* ipsa fides, nempe actus intellectualis credendi, et *secundario* ulterior modus agendi: v. gr. quum revelatum sit Christum esse rea-

---

(1) *O. c.*, p. 234 s.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 516 ss.

liter præsentem in hostia valide consecrata, exigitur *primario* ut hanc præsentiam *credat* homo, *secundario* ut se gerat eo modo quo se gerere debet coram Christo præsente. Ideo damnata est hæc sententia (1): « Dogmata fidei retinenda sunt tantummodo juxta sensum practicum, id est tamquam norma præceptiva agendi, non vero tamquam norma credendi » (2).

b/ Objectum fidei materiale distingui potest in *primarium*, *secundarium* et *pure accidentarium*. « Primarium, quod etiam attributionis vocant, est Deus ipse ut finis supernaturalis. Secundarium est complexus creatarum veritatum ordinem habentium ad hujus finis assecutionem. Pure accidentarium denique est quidquid aliud concomitanter tantum, et non directa intentione a Deo est revelatum, et hoc sensu eaque de causa contradistingui solet a rebus, ut aiunt, fidei et morum ad ædificationem doctrinæ christianæ pertinentium » (3). « Revelata pure per concomitantiam seu propter meram connexionem cum cæteris, plurima illa dico adjuncta in libris sacris consignata, quæ ex sese ad fidei doctrinam undequaque indifferentia, in unum nihilominus historiæ sacræ corpus coalescere debuerunt, eo quod sine illis ipsa sacra historia humano et connaturali modo exarari non poterat » (4). Talia *adjuncta* sunt, v. gr. quod Paulus reliquerit penulam suam Troade. Illa tamen adjuncta, quæ in Libris Sacris continentur, sunt vere a Deo *inspirata* et proinde *revelata:* nec sub hac formali ratione divinæ inspirationis ac revelationis ullum est discrimen faciendum inter ea quæ sunt res fidei et morum, et ea quæ, sensu indicato, sunt adjuncta quædam (5). Quapropter si certo constat de authenticitate

(1) Quæ fuit propugnata a D. Le Roy : cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 603 ss.

(2) Decreti « Lamentabili » propositio 26, ap. DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*. Freiburg i. Br. 1911, n. 2026; *Collat. Brug.*, t. XII, p. 524.

(3) Card. BILLOT, *l. c.*

(4) Card. BILLOT, *o. c.*, p. 231.

(5) Hæc est doctrina quam exponit Leo XIII in encyclica « Providentissimus »: *Enchir.*, n. 1951; *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 314.

et vero sensu textus referentis aliquod adjunctum, hoc est fide divina tenendum; et si hoc constaret universali Ecclesiæ prædicatione vel solemni quadam definitione, hoc esset dogma stricte dictum.

B. Dogmatis definitionis principale elementum, ut ex suprà dictis constat, est: veritas a Deo revelata. Sed quum medium ordinarium ab ipso Deo institutum, quo ad homines, post Christi ascensionem, perveniret notitia de revelatis, est Ecclesia, ideo in definitione dogmatis, stricte dicti, adjungitur: *et qua talis ab Ecclesia ut credenda proposita* (1). De quibus pauca.

Veritas, tamquam a Deo revelata et consequenter credenda, ab Ecclesia *proponi* potest *duplici ratione:* vel *solemni judicio* vel *exercitio ordinarii et universalis magisterii.*

1° « Nomine *solemnis judicii* comprehenduntur a/ definitiones summi pontificis ex cathedra loquentis; b/ definitiones conciliorum œcumenicorum; c/ definitiones conciliorum particularium, quæ aut a summo pontifice approbatæ sunt in forma solemni, aut ab universa ecclesia receptæ sunt. Nomine definitionum etiam veniunt symbola et professiones fidei a supremo magisterio editæ aut solemniter approbatæ. — Ceterum observa vocem: *definitiones:* nam in ipsis decretis dogmaticis conciliorum et pontificum sæpe nonnulla occurrunt, quæ minime definiendo proferuntur: observationes historicæ, motiva definitionis, cet., respectu quorum assensus fidei non exigitur » (2).

2° Nomine *exercitii magisterii ordinarii et universalis* intelligitur complexus actionum quibus illi, qui docendi potestate fruuntur, fidelibus proponunt et imponunt credendam veritatem. Illud porro exercitium « comprehendit actus innumeros et multum diversos, quibus

---

(1) Hoc secundum elementum definitionis ponitur, supposita infallibilitate Ecclesiæ in proponendo ea quæ sunt tenenda.

(2) Van Noort, *o. c.*, n. 206.

summus pontifex et episcopi per orbem dispersi, tum per seipsos, tum per varii gradus cooperatores doctrinam de fide et moribus continuo prædicant. Magisterium hoc exercetur primo prædicatione explicita, tum orali tum scripta, deinde etiam prædicatione implicita per praxim et liturgiam ecclesiarum, condendo leges, approbando consuetudines, commendando devotiones, approbando libros, cet. Verum ut res vi prædicationis ordinariæ et universalis dici queat objectum fidei divino-catholicæ, requiritur propositio *manifeste definitoria*, qua scil. absque ulla tergiversatione constet, hanc doctrinam *ubique terrarum* doceri ut *revelatam* et propterea ab omnibus *necessario credendam* » (1).

Conclusio. Ex dictis patet dogmatis notionem, quam exposuimus, eamdem esse ac notionem omnis rei, quæ pertinet ad objectum materiale fidei divinæ et catholicæ et in Concilio Vaticano designatur his verbis : « Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quæ in verbo Dei scripto et tradito continentur, et ab ecclesia sive solemni judicio, sive ordinario et universali magisterio, tamquam divinitus revelata credenda proponuntur » (2).

III. **Adnotatio.** 1° Ex suprà dictis patet dogmatis proprietatem essentialem esse *immutabilitatem*. Etenim ipsa *propositio* exprimens rem revelatam, sive consideratur a parte Dei revelantis, sive a parte Ecclesiæ proponentis, est immutabiliter et *vera* et *objectum fidei* divinæ catholicæ. Inde dogma remanet semper idem objectum cognoscibile et in ipso semper idem substantialiter creditur ab Ecclesia. Hoc definivit Concilium Vaticanum : « Sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit sancta mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu altioris intelligentiæ specie et nomine recedendum » (3). Nullius

(1) Van Noort, *o. c.*, n. 207.
(2) *Constit. dogm. de fide catholica*, cap. 3. *Enchir.*, n. 1792.
(3) L. c., cap. 4. *Enchir.*, n. 1800.

dogmatis habetur mutatio quando Ecclesia per decursum sæculorum perfectius introspicit sensum dogmatis, illudque distinctius exprimit et plenius distinguit ab assertis illi oppositis vel cum illo connexis, quando etiam detegit et proponit explicite ea quæ in dogmate formaliter implicite continentur.

2° Quapropter auctores quidam catholici qui definitionem dogmatis, suprà expositam, tenent, et cæteroquin circa progressum doctrinæ catholicæ rite cogitant, non tamen cohærenter loquuntur adhibendo hanc terminologiam : *evolutionem* dogmatis. Hæc enim expressio justificari nequit quum nulla detur *evolutio dogmatis ipsius*. Sed de immobili dogmate, tamquam de objecto, crescere potest cognitio, nempe *fides* (1), tum singulorum fidelium, tum illorum qui potestatem docendi in Ecclesia exercent, tum omnium fidelium. Quod admittit explicite Concilium Vaticanum : « Crescat igitur... et multum vehementerque proficiat, tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia : sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu eademque sententia » (2). Cum hoc progressu augetur etiam numerus propositionum quæ, ut credendæ, explicite proponuntur.

3° Verba, quæ statim retulimus ex constitutione a Concilio Vaticano elaborata, desumpta fuerunt ex scripto Vincentii Lirinensis (3). Licet hic auctor scripserit optime de profectu fidei, tamen adhibuit quamdam comparationem germinis quod, in humo depositum, evolvitur ac crescit in arborem (4). Notarunt porro scriptores quidam (5), in hoc maxime defectuosam esse

(1) Præter *fidem* crescere et evolvi potest scientia fidei, nempe *theologia* : ordinario utraque simul proficit.

(2) Constit. cit., cap. 4. *Enchir.*, n. 1800.

(3) *Commonitorium*, n. 28.

(4) *O. c.*, n. 30.

(5) Cf. VALLET, *Les fondements de la connaissance*, Paris, 1905, p. 360; GARDEIL, *o. c.*, p. 155 ss.

comparationem quod germen *ipsum,* utpote vivens substantia, realiter et *intrinsece* crescit et augetur; quum dogma, e contrario, *ipsum* sit immobile illique *extrinsecus* crescat cognitio seu fides humana.

Quamobrem relinquenda est hæc comparatio, necnon expressio: *evolutio* dogmatis: primo, quia utraque sanæ doctrinæ non est cohærens, deinde quia modernistæ utraque usi sunt ad confirmandum ac exprimendum errorem quo tenent: « dogmata, sacramenta, hierarchia, tum quod ad notionem, tum quod ad realitatem attinet, non esse nisi intelligentiæ christianæ interpretationes, evolutionesque quæ exiguum germen in Evangelio latens externis incrementis auxerunt perfeceruntque » (1).

J. Van der Meersch.

III-IV

De Contractibus in genere. V.

Q: *An et qualem influxum* metus levis *in contractum exerit.*

R. **Notio.**

Metus levis, in ordine ad contractum, proprio sensu dicitur ille qui leviter tantum animum contrahentis perturbat.

Profecto malum objective grave et imminens, in virum etiam constantem metum subjective gravem injicere natum est; malum contra leve aut parum probabile, levem tantum apud ipsum causat perturbationem animi. Sed haud infrequenter contingit ut contrahens, junioris ætatis sive fragilioris sexus causa, vel specialis conditionis sive magnæ timiditatis gratia, propter periculum levis imo levissimi mali jam graviter perturbetur.

Quod in jure civili partim tantum attenditur: etsi enim metum respective gravem agnoscat lex, illum

(1) Decreti « Lamentabili » propos. 54.

tamen, ut supra advertimus, dimetitur potius *objective* seu ex parte mali instantis, quod respective grave judicat: ita ut flocci faciat Codex malum minimi objective momenti respectu ad personam in causa, etiamsi forsan contrahens graviter inde territus fuerit.

Ex adversa parte, fieri etiam potest ut quis ex imminentia mali gravis nonnisi leviter commoveatur; quem porro metum ad gravem adscribit jus civile.

De jure ergo naturæ, gravitas aut levitas metus ex parte subjecti metuentis desumenda venit: quamobrem metus levis « debet dici ille qui etiam respective ad subjectum cui inest, non ita vehementer conturbat illud, sicut metus cadens absolute in virum constantem ipsum conturbare solet, sed tamen homo illi metui libere cedit, sicut solet etiam tentationi levi, leviter impellenti libere cedere; et de hoc metu est quæstio, an quando injuste incutitur, inducat eamdem obligationem quam metus gravis inducit » (1).

His itaque præmissis, de metu vere levi sic dicimus, eumdem ac supra ordinem sequentes:

Solutio.

1/ Contractus *onerosus* dissolubilis, initus ex metu levi *injuste* incusso *ab altero contrahente,* jure naturæ *probabilius rescindibilis* est ad nutum læsi.

Heic quidem a fortiori præmonendum est illud quod et de gravi metu superius notavimus: illum scilicet in firmitatem contractus influxum exerere non posse nisi *ex ipso* initum sit pactum; adeoque metum injustum levem qui, ut sæpe fit, in consensum non fuit satis efficax, seu qui nec necessaria nec sufficiens causa fuit conventionis, eam firmam relinquere sed obligare tantum ad reparationem damni pro rata partialis forsan influxus.

Porro, causa contractus dicendus est ille certe metus qui vel unicum motivum fuerit contrahendi, vel, casu

(1) De Lugo, *De Justitia et Jure,* disp. XXII, n. 135.

quo et alia motiva simul concurrerunt, v. g. spes lucri, ille tunc metus qui ita consensum determinaverit ut etiam ablatis aliis motivis contrahens ob solum jam timorem hujusmodi contraxisset.

Jamvero, in hisce adjunctis, si injuste simul et ab altero contrahente incussus fuerit metus utut levis, motivum *rescindibilitatis* jam supra pro casu analogo metus gravis adductum videtur omnino applicabile: injuriam nempe, illamque in consensum efficacem, contrahenti ab altera parte fuisse illatam, proindeque eam cum consequentiis suis per rescindibilitatem esse auferendam.

Profecto potuisset metum passus, et facile quidem, timorem ejusmodi levem repellere; quamobrem negant plures Auctores (1) contractum taliter initum esse rescindibilem. Sed interim manet, si vere suo metui cesserit contrahens, strictam injuriam ipsi ab altera parte fuisse illatam, et vere talem quæ efficaciter causam dederit contractui; unde et manet metum incutienti onus restituendi alteri plenam contrahendi libertatem.

Idem imo dicendum videtur de casu quo solus metus levis, injuste a comparte incussus, fuerit quidem insufficiens ad consensum determinandum, modo simul alia motiva contrahendi, absque timore, etiam insufficientia fuerint. Consensus enim etiamtum *ex metu* vere datus est et ex injuria, siquidem ablatis illis non fuisset præstitus; adeoque de toto damno quasi in solidum tenetur metum incutiens, imprimisque de rescissione contractus alteri offerenda (2).

---

(1) Inter quos recensentur præcipue S. Alphonsus, l. IV, n. 718, et Lehmkuhl, I, n. 1268. Dicunt enim metu levi, cum facile sperni possit, non censeri hominem ad contractum vere determinari, in contractibus saltem onerosis qui in seipsis aliam causam cur ineantur habent; proindeque si quis in tam gravi negotio metui vere levi cesserit, id ipsi esse imputandum.

(2) Cf. De Lugo, ibid., n. 140: « quando enim aliquis ita consilio,

Et hæc quidem sententia omnino probabilior videtur, quamvis et aliam probabilem esse, auctoritate præsertim fautorum suorum, non infitiemur. Unde demum sequitur utramque in casu partem, ante sententiam judicis, sibi salva justitia favere posse; si quæ tamen sententia intervenerit, ipsi tunc fore obtemperandum (1); insuper alia damna, si quæ sint, omni casu reparanda esse ab illo qui injustum metum *culpabiliter* injecerit.

Jus vero civile, ut diximus, tales contractus firmos reputat, tum ne lites multiplicentur, tum etiam quia ex communiter contingentibus præsumit metum levem non dare causam contractui; attamen conventiones annulat quæ ex metu hujusmodi procederent objective gravi, subjective vero levi.

2/ Ulterius, contractus *onerosus* dissolubilis, initus ex metu levi *injuste* incusso a *tertio* quodam, altera parte non connivente, *firmus* manet.

Profecto rescissionem contractus non tenetur tunc

---

suffragio vel quolibet modo cum aliis concurrit ut sine ipso damnum ab aliis non inferretur, licet ipse solus sine aliis non posset illud inferre: adhuc tenetur ad integram restitutionem, si alii non restituunt quia vel non tenentur eo quod sine peccato concurrerint, vel quia non possunt, vel quia nolunt...; quia licet ipse non fuerit totaliter, sed partialiter causa damni, de illo tamen conqueri potest qui damnum patitur, sicut si ipse solum damnum intulisset, cum ipse solus potuerit illud impedire: siquidem omnes alii sine illo nihil fecissent. et positis aliis, ipse suo concursu complevit quod deerat, et æquivalenter videtur totum damnum intulisse. Sic autem se habet qui metum intulit in hoc secundo casu, quo sine metu cetera motiva non sufficerent ad consensum extorquendum, metus autem adveniens complevit quod deerat, et damnum illud intulit, perinde ac si solus ipse concurreret ».

(1) Cf. MARRES, *De Justitia*, l. III, n. 100; SALSMANS, *Rechtelijke Plichtenleer*, n. 198: « Is de vrees niet aanzienlijk geweest, of was ze slechts vrees « uit eerbied » (timor reverentialis), dan aanschouwt ons Wetboek (art. 1114) het kontrakt als beslist geldig. Voor het geweten nochtans, indien dergelijke vrees wezenlijk oorzaak der overeenkomst is, mag het kontrakt aangezien worden als verbreekbaar, naar goeddunken der gedwongen partij. Kwam er evenwel een tegenovergesteld vonnis tusschenbeide, dan schijnt dit wel van kracht voor het geweten te zijn, daar omtrent een zoo netelig punt de wet rechtmatig een algemeene doorgrijpende bepaling vaststellen mag ».

alter contrahens offerre metum passo, quasi in reparationem propriæ injuriæ: cum hæc deficere supponatur; sed nec pars læsa per seipsam pactum rescindere potest quasi æquitati naturali contrarium: prævalens enim detrimentum alterius partis, et proinde bonum commune, hujusmodi solutioni opponitur, in onerosis scilicet contractibus (1). Sed actionem tantummodo habet metum passus adversus tertium, qui utique de damnis meliori quam potest ratione reparandis tenetur.

3/ Contra, contractus dissolubilis *gratuitus*, initus ex quocumque metu levi *injuste* incusso, *rescindibilis* est.

Remota rursus hypothesi *inexistentiæ* talium contractuum quasi ob defectum intrinsecæ causæ, asserenda est illorum *rescindibilitas,* sive per injuriam alterius partis consensus fuerit datus, sive per injuriam tertii. In priore enim casu efficax jam injuria imponit hujusmodi reparationem; in altero autem eam requirit æquitas naturalis, quæ in gratuitis pactis plenam postulat spontaneitatem; nec obstat tunc bonum commune propter prævalens alterius partis detrimentum, cum de gratuita beneficientia agatur.

4/ Tandem, metus levis *juste* vel *ab intrinseco* incussus contractum profecto relinquit *firmum*.

Hoc quidem assertum a fortiori sequitur ex superius dictis circa metum gravem, nec jam explicatione indiget sed tantum restrictione aliqua: modo nempe contractus in materia apta versetur (2).

---

(1) Cf. VERMEERSCH, *Quæstiones de Justitia,* n. 312: Excipiuntur tamen illi contractus onerosi qui quoad hanc partem sortes gratuitorum sequuntur pactorum: ut sponsalia, quæ plenam libertatem requirunt; nisi tamen obstet jus Ecclesiæ, quod contingit v. g. in matrimonio.

(2) In fine suæ tractationis de vi et metu in contractibus, notat CARRIÈRE, n. 80, sequentia: « Monent hic quidam auctores, principia exposita de nullitate aut rescindibilitate contractuum ex metu initorum non esse omnino in tota sua extensione applicanda pactis publicis, seu inter principes initis, et fœderibus pacis, sed longe cautius esse procedendum..... Et vero, ut ratiocinatur Zech..... ut actus ex metu irritari possit, requiritur, ut moraliter certum sit metum fuisse injuste incus-

Q. *Quid* metus reverentialis *et quid* preces importunæ *in contractus firmitatem efficiunt.*

R. **De Metu reverentiali.**

1/ Metum reverentialem apud illos invenire est qui superiorem habent cui jure subsunt, vel saltem personam aliquam a cujus nutu de facto pendent: prout casus fert subditi respectu præpositi, uxoris respectu mariti, filii relate ad parentes vel etiam relate ad tutorem forsan aut avunculum aut fratrem majorem cui de facto subjectus est, etc.

Profecto subjectio illa juris vel facti, ubi ad contrahendum movet, non semper apud subditum metum proprie dictum secum trahit seu trepidationem mentis, futuri et instantis periculi causa. Sæpius enim contingit *ex reverentia* tantum et amore, nullo admixto metu veri nominis, filium v. g. cum parentibus contrahere, ad hoc nempe ut ipsis placeat. Qui tunc contractus non coacte sed libenter ineuntur, non ex metu sed ex obsequio, nec ullatenus rescindibiles inde evadunt (1).

Verum, fit etiam ut subditus repugnante prorsus

---

sum; ut metus sit cadens in constantem virum, et cum proportione in gentem; ut denique promissum metu initum non sit ratihabitum, cessante metu, per facta subsequentia. Jamvero in pactis de quibus agimus, sæpe unum, sæpe plura ex his deficiunt: et insuper cum sint pacta publica, si minus justitiam commutativam, certe legalem inferunt, qua obligatur tota respublica, ideoque cum subditis ipse princeps. Addendum putamus per hæc non negari quin reus fuerit princeps qui metu injusto pactum extorsit, ideoque teneatur pro posse suo damnum reparare, et causam illius tollere: imo in casu evidentis injustitiæ, denegari nequit læso jus se subtrahendi injustitiæ, modo id fieri possit sine majori detrimento boni publici ».

(1) Cf. De Lugo, ibid., n. 150: « Advertunt tamen, nomine metus reverentialis, quoad hoc non debere intelligi metum et verecundiam quæ naturaliter inest filiis coram patre, vel aliis quibus debetur reverentia, ut cum aliis multis notat Sanchez, ibid., n. 12; qui addit, nec sufficere quod consensus non daretur, eo metu non interdicente: multa enim fiunt intercessione parentum, vel aliorum quibus reverentia debetur, quæ aliter non fierent, et tamen libenter fiunt, ut filius vel subditus morem illis gerat quos reveretur et amat.... ».

voluntate contrahat, ob timorem scilicet cujusdam mali secus a superiore sibi inferendi: v. g. quia verbera timet si renuat, vel indignationem saltem et offensum in se superioris animum. Et hic quidem casus est proprie dicti *metus reverentialis*, qui sat communiter levis tantum ~~erit, sed etiam~~, ut patet, gravis esse potest, absolute vel respective.

2/ Jamvero, quæ anterius statuimus principia de influxu metus gravis vel levis, justi vel injusti in contractus onerosos necnon gratuitos, hæc eadem metui reverentiali applicanda veniunt.

Supposito ergo subditi in contractum consensu interno ac vero, et non ficto tantum: *firmum* manebit pactum cum superiore initum *ex metu* reverentiali *juste* incusso; *rescindibilis* vero ad nutum subditi, sub limitationibus nonnullis supra jam indicatis, erit contractus hujusmodi dissolubilis, sive gratuitus sive onerosus, initus *ex metu* reverentiali *injuste* incusso gravi vel levi (1).

De justitia autem vel injustitia incussi metus: ubi subditus nec alias jam malum impendens propter culpam suam pati meruerat (2), nec ad ipsum contractum aliunde jam tenebatur (3), omnes admittunt hunc *injus-*

---

(1) Si ageretur de contractu ex vero metu reverentiali *cum tertio* ineundo, eadem rursus applicanda essent principia superius proposita. — Ut autem metus reverentialis possit dici *injuste incussus*, oportere putamus ut aliquo saltem modo a parte rei sit cur subditus sibi timeat, seu ut explicite vel implicite superior aliquod malum minetur: Si enim absque ulla ratione timeat filius v. g. iram patris, cum tamen certum sit et clare appareat hoc malum nullatenus imminere, non jam a parte patris videtur quidquam incuti metus.

(2) Justus sane erit metus, si delinquenti subdito offerat superior vel pœnam juste subeundam vel contractum secum ineundum; firmumque proinde ex hac parte manebit pactum. Attamen si nimis gravis esset obligatio quam metum inferens exegit, foret tunc res ad æqualitatem reducenda.

(3) Si jam aliunde *ex justitia* tenebatur subditus ad illum contractum ad quem nunc timore reverentiali cogitur, justus etiam erit metus, saltem in ratione medii, seu in ordine ad firmitatem hujus contractus. Quodsi

tum fore metum reverentialem qui sit de injuria stricte dicta in corpus, in fortunam, in honorem ipsius inferenda.

At vero scinduntur Auctores ubi malum quod subditus timendum habet in sola superioris indignatione consistit: nec tunc injustum DE LUGO (1) censet esse metum, quia non ex justitia stricta, sed ex caritate tantum aut pietate tenetur præpositus sese benevolum erga subditum præstare. Probabilior tamen videtur sententia opposita (2): hunc etiam metum in casu injustum esse, scilicet in ordine ad contractum seu in ratione medii. Cum enim quisque jus strictum negativum habeat ne lædatur in libertate naturali qua per se pollet contrahendi vel non contrahendi, sola jam indignationis incussa formido, in dictis circumstantiis, hanc lædit libertatem illudque jus strictum violat; adeoque metus hujusmodi constituit *medium injustum*, etsi indignatio superioris in se sumpta nondum sit stricte injuriosa. « Habere eam personam iratam vel offensam, jam grave est malum idque injustum, si non nisi consentiendo in id, ad quod non teneor mihique molestum est, liberare me ab ea aversione ac offensione valeam » (3).

3/ Tandem *de Jure Civili:* « La seule crainte révérentielle envers le père, la mère, un ascendant, ou envers quelque autre personne à qui on doit de la déférence, ne suffit pas pour invalider le consentement donné sous l'empire de ce sentiment (ar. 1114). Mais,

---

vero non ex justitia, sed ex alia quadam virtute ad contractum obligabatur, injustus vel justus videtur dicendus metus prout rationabiliter vel irrationabiliter subditus invitus esse potest quominus talis superior cum ipso taliter agat. Cf. VERMEERSCH, l. c., n. 150-154.

(1) Ibid., n. 152-153.

(2) Cf. LESSIUM, *De Justitia et Jure,* l. 2, c. 17, n. 48: « parens enim qui sua auctoritate filii libertatem veluti oppressam tenet, obligatur ex justitia in hujusmodi actibus eam laxare, ut pro suo arbitrio eligat quod placuerit: unde si non fecerit, injuriam infert, et tenetur ad restitutionem ejus, quod per talem consensum consecutus est ».

(3) BALLERINI-PALMIERI, l. c., n. 619.

si à la crainte révérentielle, était venue se joindre l'intimidation résultant de menaces, le contrat serait susceptible d'être annulé, bien que par elles-mêmes les menaces n'eussent pas un caractère de gravité suffisant pour invalider le consentement. C'est ce qui aurait lieu, par exemple, si le père, pour décider le fils à consentir à un contrat, l'avait menacé de vendre tous ses biens à fonds perdu » (1).

De Precibus importunis.

De precibus nunc importunis, proportione servata, analogæ rursus resolutiones adstruendæ videntur.

1/ Et imprimis, sicubi repetitæ preces quempiam ad contrahendum determinant, non continuo omnes veram repugnantiam voluntatis apud contrahentem necessario gignunt: optime enim fieri potest ut qui absque illis non contraxisset, ipsissima jam repetitione precum, ipsa v. g. crebro inculcata miseria mendicantis commoveatur, jamque animo benevolo concedat petitum. Patet autem talem contractum firmum existere.

2/ Verum, contingit etiam ut quis, permanente prorsus repugnantia voluntatis, precibus importunis obsecundare quasi cogatur: vel quia malum quoddam timet secus a precante sibi inferendum, quo casu implicitis certe minis preces istæ sunt assimilandæ; vel quia ipsa petentis importunitas veram molestiam et vexationem jam constituit, ad quam vitandam alter eligit pacisci, etsi pacto etiam infensus maneat.

Quæ si verificentur, iterum distinguere oportebit, prout de metu reverentiali proxime fecimus, inter *justum et injustum* metum et malum; atque ad normam eorumdem ac supra principiorum solvendi casus erunt.

Exempli gratia: Si a superiore quodam importunæ preces proferantur, quæ minis æquivalent injustis, rescindibilis evadet contractus ob adnexum *metum reverentialem injustum;* nec minus ceteroquin, si injusti

(1) Aubry et Rau, *Cours de Droit Civil français*, IV, par. 343bis.

mali timor implicite incutiatur, solubile erit pactum ad nutum læsi, quicumque ille sit qui precibus hujusmodi consensum extorqueat.

Si vero de ipsa vexatione agatur quam precum importunitas afferre nata est, et ad quam vitandam vexatus repugnanter contrahit, non est cur negemus et ipsam per se solam injustam esse posse, nempe in ratione medii, ut in casu analogo jam supra resolvimus. Ubi enim quis ad hunc contractum aliunde jam ex justitia non tenebatur, et simul omnibus perpensis rationabiliter invitus est quominus importune petens ipsi talem inferat molestiam, ibi læditur ipsius libertas contrahendi, dum eligere cogitur inter alterutram vexationem æque immeritam: contractum scilicet et molestiam precum; nec refert preces istas in se nondum esse injustas.

Unde, ut probabilius saltem autumamus, rescindibilis erit v. g. donatio repugnante domino extorta precibus hujusmodi, quamvis nullum aliud malum donatori immineat (1).

Verum, sæpe tunc continget læsum contrahentem jus suum post factum urgere nolle, et sic contractum ratum habere; unde practice sat raro tenebitur importune petens ad restitutionem.

E. Hosten.

(1) « Ex his patet, quid sentiendum, si consensus extorqueatur *blanditiis*, quas negant quidam rationem dare rescindendi contractum, quia tunc consensus ex concupiscentia potius est quam ex timore. Si enim blanditiæ ab eo sint, ut et ipsum et blanditias ejus contemnere facile possis, utique si cedis, diceris cedere blanditiarum vi irretitus. At si ab eo sint, quem vereris offendere et habere infensum, blanditiæ augent vim metus, quam in precibus importunis adesse diximus. Nam contemptus blanditiarum gravius inducit periculum, quam contemptus precum, uti ex rei natura patet ». Ballerini-Palmieri, l. c., n. 620.

V

Notiones de Conscientia.

Q. I. *Quid est conscientia dubia?* II. *Expone discrimen inter dubium conscientiæ speculativum et dubium practicum.*

R. I. **Notio.** Conscientia moralis proprie dicta est judicium proxime practicum de honestate operationis, prælucens voluntati agenti (1).

Hoc autem judicium exurgit in intellectu per modum conclusionis syllogismi cujus major (M) enuntiat principium aliquod generale, legem nimirum cognitam præcipientem aut prohibentem, minor vero (m) enuntiat actionem particularem hîc et nunc voluntati propositam sub hac lege comprehendi vel non comprehendi (2).

Duo igitur ad conscientiam rectam directe efformandam concurrunt necessario, debita scilicet juris intelligentia (M) et prudens actionis particularis æstimatio (m). Adhibitis studio ac consideratione personali, consultatione peritorum, oratione, bona voluntate in vitiis cohibendis et virtutibus exercendis, sæpe obtinebitur certitudo moralis, saltem late dicta, tum de existentia vel absentia legis, (M), tum de applicabilitate vel non applicabilitate ejus ad actionem particularem (m), atque ita directe conclusio certa de moralitate actionis hujus particularis, seu conscientia recta efformabitur (3).

Quando autem, sive ex negligentia voluntaria, sive sine ulla culpa, incertitudo remanet vel circa principium

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t I, p. 222 et t. XIX, p. 581.

(2) Th. Bouquillon. *Theologia moralis fundamentalis,* 3ª ed. n. 254. Hic describimus processum quo ut plurimum oritur judicium conscientiæ. Syllogismus autem ille non semper est formalis nec explicitus. Cfr. Ills ac Revs Waffelaert. *De dubio solvendo,* n. 85.

(3) Th. Bouquillon, *o. c.*, n. 282. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 586 ss. Sub nomine certitudinis hic etiam comprehendimus persuasionem seu meram absentiam dubitationis actualis, quamvis hæc improprie certitudo nuncupetur. Cfr. *De dubio solvendo,* n. 96.

juris (M), vel circa æstimationem actionis particularis relate ad legem (m), conclusio directa quæ sponte sua (1) ex tali syllogismo deducitur erit incerta, aliis verbis incertum erit judicium de honestate hujus actionis particularis, incerta seu dubia conscientia.

Sensu ergo *generico* dicitur conscientia dubia omnis incertitudo mentis relate ad honestatem alicujus actionis particularis et complectitur tum suspensionem judicii, quæ est *dubium stricte dictum*, seu dubitatio formalis (2), tum judicium infirmum cum adnexa formidine errandi seu opinionem, quæ est *dubium improprie dictum* (3).

II. **Divisio.** Ratione objecti dividitur dubium conscientiæ in speculativum et practicum.

Ut apparet ex descripto processu quo oritur conscientia dubia, alterum dubium est quod versatur circa præmissas syllogismi, et hoc vocatur *dubium speculativum*, vel circa Majorem (M), seu principium juris: *dubium speculativum juris,* vel circa minorem (m), seu æstimationem actionis particularis: *dubium speculativum facti,* alterum vero quod afficit ipsam conclusionem, et hoc vocatur *dubium practicum,* vel *remote* vel *proxime* practicum pro varia relatione ad actionem ponendam.

Objectum ergo *dubii speculativi* conscientiæ, quod ab aliis vocatur remotum, sunt ea quæ præsupponuntur et e quibus concluditur ad moralitatem alicujus actionis, nimirum:

1° ipsa lex in genere spectata: dubium speculativum juris;

2° factum cui lex applicari debet vel a quo pendet applicatio legis: dubium speculativum facti.

Plurima autem circa utrumque dubia moveri possunt.

---

(1) Non raro intervenit imperium superius sive legis naturalis, sive legis positivæ impediens quominus incertitudo hæc circa præmissas transeat ad ipsam conclusionem. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 22 ss.

(2) Talis suspensio judicii improprie conscientia vocatur, ut ex definitione conscientiæ patet

(3) Th. Bouquillon, *o. c.*, n. 282. *De dubio solvendo*, n. 108 ss.

Ita *circa legem* dubitari potest de ortu et existentia ejus, de indole, objecto (1), subjecto, limitibus ejus, de perseverantia aut cessatione ejus: quæ omnia dubia sunt dubia speculativa juris. — *Facta* autem a quibus pendet aliqua conclusio practica conscientiæ vel sunt inducentia obligationem, v. g. factum emissionis voti, vel extinguentia obligationem, v. g. factum impletionis voti: iterum dubitari potest vel circa existentiam eorum, vel circa conditiones et qualitates eorum v. g. circa ætatem emittentis votum vel circa modum adimpletionis voti.

Objectum dubii practici, quod etiam vocatur proximum, est ipsamet honestas actionis particularis circa quam agens deliberat. *Remote practicum* dicitur dubium cujus objectum est honestas objectiva actionis particularis, ut est hæc determinata actio sed quam subjectum non intendit hîc et nunc ponere (2). *Proxime practicum* vero cujus objectum est formalis honestas actionis hîc et nunc ponendæ, seu quam subjectum hîc et nunc intendit ponere (3): hæc est quæ vocatur conscientia practice dubia quacum numquam licet operari.

A. LEGRAND.

---

(1) Inde dubium circa moralitatem objectivam alicujus actionis generatim et in abstracto consideratæ est dicendum dubium speculativum juris. Cfr. *De dubio solvendo*, n. 114.

(2) TH. BOUQUILLON, *o. c.*, n. 292. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 26 ss. Hoc dubium multi adhuc vocant speculativum, vel speculativo-practicum. Cfr. *De dubio solvendo*, n. 114, n. 148.

(3) Notandum est iisdem rebus a diversis auctoribus diversa vocabula sæpe imponi, adeoque in ejusdem termini definitione apud diversos reperiri contradictionem quin de re ipsa ulla sit dissensio. Cfr. *De dubio solvendo*, n. 115. 3°.

VI

De obligatione parochi prædicandi verbum Dei. III.

Q. *Quantum peccant parochi, verbi divini prædicationem negligentes?*

R. Maxima profecto est obligatio in parochis prædicandi verbum Dei; deducitur ex ipsa prædicationis necessitate et ex variis Tridentinæ Synodi decretis, quæ supra commentati sumus (1). Non omnis tamen in hac materia omissio gravis est dicenda; aliis verbis peccatum parochi prædicationem negligentis est grave ex genere suo; non autem ex toto genere suo. Quæritur proinde quandonam parochi negligentes gravem reatum incurrant. Porro videtur respondendum distinguendo inter præceptum divinum et ecclesiasticum, utroque enim præcepto vidimus parochos obligari. Jamvero:

I. Quoties populus graviter indiget prædicatione, graviter peccant, ut patet, contra **præceptum divinum** parochi qui vel omnino non prædicant, vel prædicationem agunt capacitati audientium minime proportionatam, vel ob defectum præparationis inutilia, imo falsa, proferunt (2).

---

(1) P. 520 et 585. Necnon etiam ex canonibus novi codicis 1344 ad 1348 inclusive. Quæ supra exposuimus de obligatione parochi prædicandi verbum Dei novo jure plane confirmantur, hæc tantum videntur addenda:

1/ Parocho prædicandum est diebus indicatis « *consueta homilia* » et « *præsertim intra missam in qua major soleat esse populi frequentia* ». Can. 1344, § 1.

2/ Substitutio *habitualis* alius prædicatoris, vel omissio cujusvis concionis « *aliquibus dominicis* » non fiat nisi ex justa causa et de *licentia Ordinarii*, can. 1344 § 2 et § 3.

Conferantur etiam *Normæ pro sacra Prædicatione*, quas die 28 Junii 1917 edidit S. Congregatio Consistorialis. (A. Ap. Sed. 1917, p. 328).

(2) Cfr. Scavini, *Theol. Mor.*, Lib. I, n. 504; Van den Berghe, tr. autogr. *de Parocho*, n. 136; Génicot, *Theol. Mor.*, t. II, n. 69. Sapienter animadvertit Berardi (*De Parocho*, n. 145) gravitatem reatus multis ex circumstantiis pendere: speciatim considerandum est quanta populus adstringatur necessitate audiendi verbum Dei et præcise in parochia, quanti valoris parochi conciones essent, an agatur de parochia magna vel parva, an et quantum de parochi omissionibus parochiani scandalizentur, etc.

II. Sed etiam seclusa populi necessitate gravi, poterit parochus peccare graviter, violando nempe in materia notabili **præcepta ecclesiastica**. Ast non una est in determinanda hac materia sententia A.A. Videtur rursus distinguendum inter casum parochi, qui absque causa neque per se, neque per alios prædicat, et casum parochi, qui, dum minime excusatur et sine ulla licentia Ordinarii, alteri munus concionandi committit.

1/ In primo casu regula communior, quam etiam S. Alphonsus admittit (1), parochum dicit peccare : *venialiter* si vel una vice non observet Ecclesiæ præceptum, quod ipsi imponit ut saltem diebus dominicis et festis de præcepto prædicet ; *mortaliter* si sermonem omittat uno mense continuo, vel tribus mensibus discontinuis, (nempe 14 vel 15 vicibus interpolatis in toto anno) (2).

Argumentum sumitur ex pœna statuta a Tridentino contra omittentes prædicationem tribus mensibus post monitionem (3); sed argumentum istud rem non evincit, nam pœna illa gravis, juxta quosdam, non est ab Episcopo infligenda nisi post omissionem trium mensium *continuorum* et supponit negligentiam antea jam admissam, nempe ante monitionem. Ideoque quidam mitius loquuntur et notatim Lehmkuhl (4) ad peccatum mortale requirit ut parochus notabiliter ultra mensem

---

(1) *Theol. Mor.*, Lib. III, n. 269.

(2) Cfr. Van den Berghe, *l. c.*, Scavini, *l. c.*, Berardi, *l. c.*

(3) Sess. V, de ref., c. 2. Novum Jus nec tempus puniendi nec pœnam taxat; utrumque relinquit judicio Episcopi, qui tenetur normas servare can. 2182-83-84, et gravissima pœna amotionis et privationis officii punire valet (can. 2382). Argumentum tamen nostrum ex Tridentino desumptum ideo non infirmatur; nam jus tridentinum nequaquam novo jure severius dici potest et Episcopis in pœnis infligendis saltem exemplo esse potest. Cfr etiam notam sequentem.

(4) *Theol. Mor.* (ed. 1910), t. II, n. 820. Addit tamen clarissimus auctor in ultima editione præclari sui operis: « Puto, attenta tum ratione scandali, tum recentiore præscriptione Pii X facilius graviter peccari, cum per se præcipiatur, ut singulis Dominicis et festis sermo ad populum habeatur. »

(v. gr. per duos menses) continue omittat concionari, aut notabiliter ultra tres menses discontinuos in anno (1).

2/ Si vero totus defectus solum in hoc consistit quod parochus prædicat per alios idoneos, dum per seipsum prædicare deberet, tunc ad peccatum mortale constituendum major temporis tractus exigitur (2). Communiter censent auctores parochum officio suo non satisfacere, si prædicationes totius anni aliis committat (3); et hæc negligentia, meo sensu, gravis dici potest, utpote æquivalens defectui residentiæ formalis. Jamvero Benedictus XIV ut certum habet « desides ejusmodi parochos (qui nempe materialiter tantum resident) *lethali crimini* obnoxios esse, et a præside pro culpæ gravitate plectendos » (4).

Rite igitur sibi in hoc munere prædicandi consulant parochi, memores verbi Pauli Apostoli : « Placuit Deo per prædicationem salvos facere credentes... Væ mihi, si non evangelizavero » (5).

R. De Schepper.

---

(1) Cfr. etiam Suarez, *De Relig.*, lib. I, c. 2, n. 16.

In hoc nostro responso præsertim egimus de *omissione* debitæ prædicationis ; sed notandum parochum, ut quemvis alium prædicatorem, posse peccare, etiam graviter, si scienter violat *Normas*, quoad materiam et formam sacræ prædicationis *auctoritate ecclesiastica* constitutas. Cfr. *Normas* supra indicatas, caput IV.

(2) Berardi, *Praxis confess.*, n. 750.

(3) De Brabandere-Van Coillie, t. I, n. 457.

(4) *Instit. eccl.*, XVII, n. 6. Cfr. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 277. Censet tamen Genicot (*Casus Conscientiæ*, t. II, p. 66) parochum, si *vere idoneum* sibi substituat habitualiter (puta vicarium optimum contionatorem), non esse gravis reatus damnandum, nisi inde grave scandalum populus pateretur. Motivum adducit: quia in casu finis legis sufficienter obtinetur. Sed Ecclesia non tantum effectum intendit, at vero effectum per industriam parochi. Ut enim vidimus supra, p. 521, mens Ecclesiæ est ut pastor gregi suo invigilet et illum *per seipsum* habitualiter erudiat. Cfr. can. 1344, § 2.

(5) I Ad Cor. I, 9.

DE NOVO CODICE JURIS CANONICI.

I. NECESSITAS NOVI CODICIS.

Perlustranti quæ auctores tradebant (1) de multiplicibus collectionibus canonicis tam publicis quam privatis et de omnibus constitutionibus, actis et decretis extra has collectiones vagantibus, apprime patebit necessitatem novi codicis maxime oriri ex *multiplicitate legum,* ita ut jus canonicum haud secus definiri potuerit atque Livius jus romanum appellaverat « immensum aliarum super alias coarcervatarum legum cumulum » (l. III, c. 34) (2). Augebatur prior hæc difficultas: 1° imperfectione ordinis adhibiti in collectionibus, ubi vel unus servabatur ordo chronologicus, vel ordo systematicus at mancus et imperfectus, dum alibi vix ullus detegi poterat; 2° modo quo Decretales jus exhibebant. Hæ enim responsiones erant ad casum particularem datæ, ex quibus, seposita parte expositiva a parte dispositiva, legem generalem colligi et exprimi oportebat; 3° ex eo quod leges non paucæ, in collectionibus hucusque servatæ, suis olim temporibus aptatæ, aut abrogatæ sint aut obsoleverint, dum nonnullæ, ob mutata rerum adjuncta, aut difficiles ad exsequendum evaserint aut communi animorum bono minus utiles; 4° adde huc quod de certis quibusdam capitibus lex canonica omnino silebat; quapropter confugiendum erat vel ad jus romanum, vel ad jurisprudentiam, vel ad consuetudinem, vel ad doctorum sententias (3).

---

(1) Cf. De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. comp.*, ed. 8, t. I, p. XXXVI ss., Brugis, 1914.

(2) Ita Cardinalis Gasparri, in præfatione ad codicem juris canonici.

(3) Cf. *Collat. Brugen.*, t. XIII, p. 339; Card. Gasparri in præfatione citata.

Ex his omnibus succreverunt inutiles repetitiones, obscuritates, contrarietates; inde dubia, controversiæ, difficultas tum cognoscendi leges tum eas ad casus particulares applicandi; inde enervatio disciplinæ imo et contemptus legislationis.

Quæ qui omnia perpenderit, mirari jam desinet quare et juris canonici cultoribus et plurimis catholici orbis episcopis jam dudum in votis fuerit jus canonicum nova quadam ratione esse tandem aliquando ordinandum. Quorum votorum interpretes præstiterunt se Patres Concilii Vaticani (1).

II. BREVIS HISTORIA CODICIS.

Sane ad opus novi codicis instituendum haud parvas opportunitates præbuerunt schemata decretorum a congregationibus et commissionibus Concilii Vaticani elaborata, postulata Episcoporum Patribus ejusdem Concilii oblata, præscripta Conciliorum et Synodorum recentioris temporis, demum opera privati indolis virorum scientia theologica et canonica peritorum (2). Sed et ipsi Romani Pontifices Pius IX et Leo XIII hac in re partes habuerunt pro nonnullis juris capitibus quæ urgentioris erant necessitatis. Quorum alter per constitutionem « *Apostolicæ Sedis* » censuras coarctavit *latæ sententiæ;* alter vero leges de prohibitione et censura librorum temperavit per constitutionem « *Officiorum* » et normas constituit Congregationibus religiosis cum votis simplicibus per constitutionem « *Conditæ* » (3).

(1) Cf. *Collat. Brugen.*, l. c., p. 452 ss.; Card. Gasparri, eod. loc. En, v. gr., postulatum Belgarum Episcoporum: « Expleto Concilio Vaticano, committere velit Sanctissimus Dominus viris in sacris canonibus versatis munus redigendi integrum complexum legum ecclesiasticarum in novum codicem hodiernæ praxi accommodatum, et in varios titulos, capita, etc., pro materiarum varietate distributum ».

(2) *Coll. Brugen.*, l. c., p. 453 s.

(3) Quibus Constitutionibus addi possunt: Instructio Congr. Episcoporum et Regularium, 11 junii 1880, de modo quo œconomice procedere

Denique cum Episcopi plerique et nonnulli etiam purpurati Patres Apostolicæ Sedi instarent adhuc ut jus canonicum emendaretur et in aptiorem ordinem componeretur ad normam codicum modernarum civitatum, Pius X, die 19 martii 1904, Motu proprio « *Arduum sane munus* » (1) commissionem Cardinalium instituit, cui, conspirante et concurrente universo Episcopatu, immensum commisit opus procurandi « ut universæ Ecclesiæ leges, ad hæc usque tempora editæ, lucido ordine digestæ, in unum colligerentur, amotis inde quæ abrogatæ essent aut obsoletæ, aliis, ubi opus fuerit, ad nostorum temporum conditionem propius aptatis ».

Mox rem perarduam aggressus, primum omnium hæc curavit Pontifex ut Em^mus^ Gasparri, Cardinalis a publicis Ecclesiæ negotiis, datis ad omnes et singulos catholici orbis *Archiepiscopos* litteris 25 martii 1904, iisdem mandaret, ut « auditis Suffraganeis suis aliisque, si qui essent, Ordinariis qui Synodo Provinciali interesse deberent, quamprimum huic Sanctæ Sedi paucis referrent an et quænam in vigenti jure canonico, sua eorumque sententia immutatione aut emendatione aliqua præ ceteris indigerent » (2). Paulo post, die 6 aprilis ejusdem anni, datæ sunt litteræ Secretarii Status ad *Rectores Universitatum,* qua jussum est antecessoribus, qui juri canonico tradendo incumbunt, huic gravissimo operi adjutricem manum præbere (3).

Postea, compluribus viris disciplinæ canonum peri-

---

debent Curiæ ecclesiasticæ in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum, et Instructio Congr. de propaganda Fide, 20 octobris 1884, circa modum procedendi ex informata conscientia.

(1) *Coll. Brugen.*, 1904, t. IX, p. 307. Mens est legislatoris, quemadmodum constat ex litteris Card. Gasparri ad Archiepiscopos, 25 martii 1904, ut eodem tempore quo codex conficiatur, documenta post authenticas corporis juris collectiones prodita, ex quibus canones novi codicis desumpti sint, simul colligantur. Cf. *ibid.*, t. XIII, p. 338 s.

(2) Cf. *Revue des sciences ecclésiastiques,* 1904, t. LXXXIX, p. 539 ss.

(3) *Ibid.*, p. 545.

tissimis, sive ex urbe Roma, sive variis e nationibus in consortium laborum accitis, Pius X mandatum dedit Cardinali Gasparri, ut horum *Consultorum* operam dirigeret, perficeret, ac, si opus esset, suppleret. Deinde, quo res celerius procederet, *Cœtum peculiarem*, seu ut aiunt, Commissionem quinque Cardinalium constituit, qui, referente eodem Cardinali Gasparri, a consultoribus paratos canones diligenter perpenderent, eosque, judicio suo, immutarent, emendarent, expolirent (1). Tam diligentem studiosamque in canones expendendos apteque redigendos contulerunt operam Consultores, tamque continenti strenuoque labore in propositis canonum schematibus recognoscendis et approbandis allaboravit peculiaris Cardinalium cœtus, ut expectationem omnem expleverint. Cujus negotii partes principaliores magna perseverantia assumpsit et, teste ipso SS. Domino Benedicto XV in allocutione consistoriali 20 octobris 1916 (2), singulares laudes sibi comparavit S. R. E. Cardinalis GASPARRI, qui consultorum cœtui præfuit et Commissioni cardinalitiæ fuit ab actis (3).

Cum novi codicis partes gradatim ad finem adducerentur, Pius X præcepit epistola *De mandato*, die 20 martii 1912, ut successive de singulis libris confecti operis Episcoporum totius catholici orbis judicium exquireretur, itemque Prælati omnes regularium Ordinum, qui legitime ad Œcumenicum Concilium vocari solent, sententiam rogarentur (4). Interea, vix exorso teterrimo Europeano bello, vita decessit S. P. Pius X, quo auctore atque auspice grande codicis redigendi opus adornari cœptum est.

SS. Domino Benedicto XV patrono et moderatore,

---

(1) Constitutione « *Providentissima* », 27 maii 1917.

(2) *Acta Apostolicæ Sedis*, 1916, t. VIII, p. 467.

(3) Quam seria methodo codici conficiendo allaboratum est præclare exponit laudatus Card. Gasparri in sua præfatione ad codicem.

(4) Cf. Præfationem ad codicem; FERRERES, *Instituciones canónicas*, t. I, p. 35 ss., Barcelona, 1918.

prospere et e sententia, finis novo codici impositus est. Quem cum Beatissimus Pater cum maturo judicio in omnes ejus partes recognovisset, approbasset, ratum habuisset, constitutione « *Providentissima Mater Ecclesia* », die festo Pentecostes (27 maii) a. 1917 data, sic ut digestus est *promulgavit*, eumque decrevit vim legis pro universa Ecclesia habiturum esse a die festo Pentecostes (19 maii) insequentis anni 1918 (1).

III. EXTERIOR CODICIS ORDO.

Ipsi *typicæ* collectioni in *Acta Apostolicæ Sedis* promulgatæ præponuntur constitutio « *Providentissima* » qua promulgatur et formula professionis fidei.

Codex dein in quinque *libros* (2) dividitur, qui, excepto primo, paucis componuntur *partibus*. Plures præterea partes *sectionibus* distinguuntur. Omnes autem libri vel partes aut sectiones in plures *titulos* partiuntur, qui, prout res postulat, plura *capita* et *articulos* continent. Opus denique totum, ad instar codicum nationarum modernarum, continua et numerata serie *canonum* exhibetur. Qui canones sunt numero 2414. Non raro, ante librorum partes, sectiones aut titulos ponuntur, nulla præmissa inscriptione, nonnulli canones quibus argumentum præparatur aut inducitur.

Citatur codex afferendo tantum numerum canonis vel canonum, v. gr., can. 8, cann. 281 ss.

Itaque libri et partes novi codicis sic *synoptice* proponi possunt :

---

(1) Promulgatus est in parte II voluminis IX (1917) commentarii officialis *Acta Apost. Sedis*. Quidam canones a die 20 aug. 1917 vim habere cœperunt Cf. litteras Secretarii Status 20 aug. 1917, ap. *Acta Apost. Sedis*, 1917, t. IX, p. 475.

(2) *Normæ generales* libri I respondent primis 20 distinctionibus Decreti Gratiani et 4 primis titulis Decretalium; liber II *de personis* respondet quoad substantiam libro I Decretalium; liber II *de rebus*, libro III et IV Decretalium; liber IV *de processibus* analogiam habet ad librum II Decretalium; liber V *de delictis et pœnis* ad librum V Decretalium.

LIBER I.	NORMÆ GENERALES	can.	1- 86.
LIBER II.	DE PERSONIS	can.	87- 725.
	1° De clericis	—	108- 486.
	2° De religiosis	—	487- 681.
	3° De laicis	—	682- 725.
LIBER III.	DE REBUS	can.	726-1551.
	1° De Sacramentis	—	731-1153.
	2° De locis et temporibus sacris	—	1154-1254.
	3° De cultu divino	—	1155-1321.
	4° De magisterio ecclesiastico	—	1322-1408.
	5° De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus	—	1409-1494.
	6° De bonis Ecclesiæ temporalibus	—	1495-1551.
LIBER IV.	DE PROCESSIBUS	can.	1552-2194.
	1° De judiciis	—	1552-1998.
	2° De causis beatificationis Sanctorum Dei et canonizationis Beatorum	—	1999-2141.
	3° De modo procedendi in nonnullis expediendis negotiis vel sanctionibus pœnalibus applicandis	—	2142-2194.
LIBER V.	DE DELICTIS ET PŒNIS	can.	2195-2414.
	1° De delictis	—	2195-2213.
	2° De pœnis	—	2214-2313.
	3° De pœnis in singula delicta	—	2314-2414.

Ad calcem codicis octo documenta ponuntur quæ ad electionem S. Pontificis et administrationem Ecclesiæ vacante Sede, ad provisionem parœciarum per viam concursus, ad abusum sacramenti pœnitentiæ et ad usum privilegii fidei a neo-conversis pertinent.

Terminatur editio authentica indice analytico (1).

IV. EDITIONES.

Uti jam diximus editio typica et authentica quæ sola vim legis pro Ecclesia universali habet, promulgata est in II parte voluminis IX (1917) commentarii officialis *Acta Apostolicæ Sedis*.

Litteris autem 17 oct. 1917 (2), Secretarius Status *mendas* quædam quæ in officiali editione irrepserant, auctoritate Sanctissimi, corrigendas duxit.

Jam in lucem editæ fuerunt a Typographia polyglotta Vaticana plures editiones juxta typicam (3), quarum omnes præfationem Em^mi^ card. Gasparri et indicem analytico-alphabeticum, nonnullæ etiam annotationem fontium annexa habent (4).

Etsi præfatio, annotatio fontium et index analytico-alphabeticus habenda sint tantummodo ut opus privatum, tamen propter scientiam et competentiam Cardinalis Gasparri, cujus auctoritate prodierunt, sunt maximi facienda ut subsidia interpretationis. Notandum venit citationem aliquam in annotatione fontium non acquivalere assumptioni legis anterioris (5).

---

(1) Ita fere describitur codex a CREUSEN et VERMEERSCH, *Summa novi juris canonici*, p. 1 s , Mechliniæ, 1918.

(2) *Acta Apost. Sedis*, 1917, t. IX, p. 557, coll. p. 589.

(3) Editiones in-18 et in-12 sine fontium annotatione constant Romæ respective l. 7 et 11; ejusdem formæ editiones cum fontium annotatione constant l. 10 et 15. Editio in-8 cum fontium annotatione venit l. 20.

(4) In exemplaribus Vaticanæ editionis recognitis plures mendæ correctæ fuerunt tum in canonibus, tum in Indice analytico-alphabetico. Ita textus authenticæ editionis canonis 1230 § 5: « indeque, si de *religiosis* agatur *jurisdictioni parochi non obnoxiis* ad *propriam religiosæ domus ecclesiam vel oratorium* deducit... cappellanus », mendose in editione Vaticana in-12 (1917) et in editione Herder-Pustet (1918) mutatus est in: « indeque, si de *monialibus* agatur *ad ecclesiam monasterii* deducit... » — Correctus est etiam in posterioribus editionibus Vaticanis can. 2341, linea 9; loco *ex majoribus*, legendum est *ex supremis*. Prima lectio habetur in editione typica et de hac correctione, ni fallar, nulla mentio facta est in *Acta Apost. Sedis*.

(5) Cf. CLAEYS-BOÚÚAERT, *Selecta capita codicis jur. can.*, p. 6, Gandæ, 1919.

In recentioribus editionibus Vaticanis post constitutionem *Sanctissima,* adjunctæ sunt litteræ Benedicti XV motu proprio datæ d. 15 septembris 1917, quibus commissio instituitur ad canones codicis authentice interpretandos (1).

Prodiit etiam Romæ cura Typographiæ Vaticanæ versio, non officialis at auctoritative permissa, varias in linguas confecta, canonum spectantium religiones laicas. Cum vero textus non in omnibus concordaret cum dispositionibus codicis, declaravit S. Congregatio de Religiosis, 2 aprilis 1919, standum esse textui codicis vel emendandam versionem (2).

V. COMMISSIO AD CODICIS CANONES INTERPRETANDOS

1° *Erecta* est (3) auctoritate Benedicti XV, motu proprio 15 septembris 1917 (4), ne aut incertis privatorum hominum de germano canonum sensu opinionibus et conjecturis, aut crebra novarum legum varietate codicis stabilitas aliquando in discrimen vocetur.

2° *Constat* ex aliquot S. R. E. Cardinalibus, quorum unus cœtui præest, auctoritate Apostolica deligendis. His accedunt Secretarius et consultores ex utroque clero (5), juris canonici periti, eadem auctoritate designandi.

3° *Munus* erit : a/ *Authentice interpretari* codicis canones, audita tamen, in rebus majoris momenti, Sacra ea Congregatione cujus propria res sit, quæ Consilio disceptanda proponitur. Respondet autem tantum Commissio dubiis propositis ab Ordinariis, a

---

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1917, t. IX, p. 483.

(2) *Ibid.,* 1919, t. XI, p. 179.

(3) Cf. de hac Commissione Boudinhon, in *Le canoniste contemporain,* 1917, t XL, p. 397 ss.

(4) *Acta Apost. Sedis,* 1917, t. IX, p. 483 s.

(5) Cf., *ibidem,* p. 558, nomina Cardinalium qui Commissioni annumerantur et virorum qui ad munus consultorum nominantur. Præest Commissioni pontificiæ Emmus Card. Gasparri.

Superioribus majoribus Ordinum et Congregationum religiosarum, etc., non vero a privatis personis, nisi mediante proprio Ordinario (1); b/ Si quando novum decretum generale ab aliqua Congregatione condatur (2), Consilium ad novos canones interpretandos legem istam ad formam canonis vel canonum rediget. Si decretum e præscripto codicis discrepet, Consilium indicet cuinam codicis legi, nova lex sufficienda sit; si in nova lege res agatur de qua codex sileat, Consilium constituat quo loco novus canon vel novi canones sint in codicem inserendi, numero canonis qui proxime antecedit, *bis*, *ter* repetito, ne canon sede sua moveatur ullus, aut numerorum series quoquo facto perturbetur. Quæ omnia statim post S. Congregationis decretum in *Acta Apostolicæ Sedis* referantur.

VI. VIS JURIDICA NOVI CODICIS.

Novus codex habet valorem collectionis *authenticæ, universalis et exclusivæ*, in qua totum jus canonicum seu disciplina ecclesiastica moraliter omnis, nostris temporibus accommodata, apte distribuitur ad normam codicum recentiorum, in canones seu articulos claros, concisos et generales, ita ut difficultati cognoscendi multas leges dispersas et exsequendi leges minus cum tempore præsenti congruentes feliciter occurratur (3).

A. Est collectio *authentica*. Quod patet ex citata constitutione *Providentissima:* « Præsentem codicem, sic ut digestus est, promulgamus, vim legis posthac

(1) Resp. Commissionis Pontificiæ, 9 dec. 1917, *ibid.*, 1918, t. X, p. 77.

(2) In eodem Motu proprio, 15 sept 1917 monentur Congregationes ne nova Decreta generalia jam nunc ferent, nisi aliqua gravis Ecclesiæ universæ necessitas aliud suadeat.

(3) Inde elucet utilitas novi codicis. Cf. hac de re CREUSEN-VERMEERSCH, *o c.*, p. 3. — Quod ad jus publicum attinet, codex tantum enuntiat quædam principia fundamentalia, quibus determinantur esse juridicum Ecclesiæ societatis, ambitus et independentia auctoritatis ecclesiasticæ docendi, leges ferendi, judicandi, puniendi, acquirendi bona temporalia, instituendi scholas, etc.

habere pro universa Ecclesia decernimus, jubemus ». Inde liquet, ait S. Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus (1) codicem esse « authenticum et unicum juris canonici fontem, proptereaque tum in disciplina Ecclesiæ moderanda, tum in judiciis et scholis eo uno utendum esse ».

B. Est collectio *universalis*. Hanc vim universalem codicis propius definit canon 1 : « Licet in codice juris canonici Ecclesiæ Orientalis disciplina sæpe referatur, ipse tamen, unam respicit *Latinam Ecclesiam*, neque *Orientalem* obligat, nisi de iis agitur quæ ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt ».

Inde colligitur servari posse regulas hac de re hucusque servatas, nempe: Græci catholici non ligantur canonibus codicis juris canonici, nisi in tribus casibus: a/ in materia dogmatum fidei, v. gr., can. 218, de primatu R. P.; b/ si quid de ipsis statuatur aut eorum expressa mentio fiat, v. gr., cann. 98; 622, § 4; 782, § 4 et § 5; 804; 1099, § 1, n. 3; c/ si implicite, ex natura rei de qua agitur lex quoque ad illos extendatur, utpote declaratoria juris divini, naturalis aut positivi, v. gr., cann. 222 ss., de concilio œcumenico; 228 § 2, de appellatione a sententia R. P. ad concilium œcumenicum; 1257, de ordinatione liturgiæ et approbatione librorum liturgicorum ab uno R. P. (2).

---

(1) Decret. 7 aug. 1917, ap. *Acta Apost. Sedis*, 1917, t. IX, p. 439 Hoc decreto decernitur in schola *textus*, quæ fere propria est pontificiorum Athenæorum seu Universitatum, codicem esse tanquam textum prælectionum adhibendum, ita ut doctores juri canonico tradendo debeant, ipso codicis ordine ac titulorum capitumque serie religiosissime servata, singulos canones diligenti explanatione interpretari. Quodsi doctoribus placuerit alumnis librum manualem tradere, non ejus libri ordini ordo codicis, sed huic ille aptetur et accommodetur. In seminariis exsistere consuevit schola *institutionum;* in his adhiberi potest liber institutionum canonicarum, in quo ordo et dispositio codicis non stricte servanda sunt. Cf. etiam decret. S. C. de Seminariis et de Studiorum Universitatibus, 31 oct. 1918, *ibid.*, 1919, t. XI, p. 19

(2) Cf. Wernz, *Jus decretalium*, t. I, 2 edit., p. 125, nº 104; Ferreres, *o. c.*, nº 123; Claeys-Boúúaert, *o. c.*, p. 5.

C. Est collectio *exclusiva*. Novo codice excluduntur procul dubio omnes anteriores authenticæ *collectiones*. Præterea canones 2-6 illam vim exclusivam novi codicis circumscribunt indicando tum leges quæ *reservantur*, tum leges quæ *abrogantur*, deinde determinando qua ex parte novum jus cum veteri legislatione conjunctum sit.

1° Reservantur a/ *Leges liturgicæ*. « Codex, plerumque, nihil decernit de ritibus et cæremoniis quas liturgici libri, ab Ecclesia latina probati (1), servandas præcipiunt in celebratione sacrosancti Missæ sacrificii, in administratione Sacramentorum et Sacramentalium aliisque sacris peragendis. Quare omnes liturgicæ leges vim suam retinent nisi earum aliqua in codice expresse corrigatur » (can. 2; 6, 6°). Correctiones habentur v. gr., in cann. 765 ss., de patrinis; 1240, de negatione sepulturæ ecclesiasticæ, etc.

b/ *Conventiones* a Sancta Sede initæ cum variis nationibus perinde ac in præsens vigere pergunt, contrariis hujus codicis præscriptis *minime* obstantibus (can. 3). Hoc præscripto concordata absolute servantur cum plerumque specialem indolem induant pacti bilateralis inter potestatem ecclesiasticam et potestatem civilem initi.

c/ *Jura aliis quæsita*, itemque privilegia atque indulta (2) quæ, ab Apostolica Sede ad hæc usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, nisi hujus codicis canonibus expresse revocantur (can. 4).

Jura aliis quæsita seu acquisita sunt ea quæ vi

---

(1) Missale, Breviarium, Pontificale, Cæremoniale Episcoporum, Rituale, libri liturgici cantus, Decreta S. C. Rituum authentica.

(2) Cf. Resp. Com. Pontif. ad interpretandos novi codicis canones, a. 1918, non publicatum in *Acta Apost. Sedis*, juxta quod indultum in materia jejunii et abstinentiæ ad decennium, d. 1 jan. 1910 concessum, in suo robore remanet, sublatis obligationibus quæ jure communi cessarunt vi can. 1252; transacto novo decennio servanda erunt codicis præscripta. Cf. *Boletin de la Provincia ecclesiastica de Cuba*, 1918, sept; *Nouv. rev. théol.*, 1914-1919, t. XLVI, p. 562.

anterioris legis, pactione aut consuetudine alicui obvenerunt, sic ecclesiæ nosocomii jus quæsitum esse potest peragendi legitima funera eorum qui ibidem moriuntur, confraternitati jus quæsitum præcedentiæ, etc. Ita servatur regula 18 Cancellariæ Apostolicæ de non tollendo jus quæsitum (1).

Indulta et privilegia, quæ ad invicem comparantur ut genus et species, difficilius abrogantur quam leges generales et particulares, cum juxta regulam juris in VI: *decet concessum a principe beneficium esse mansurum*. Nec ut tollantur sufficit ut dispositioni Codicis sint opposita, sed requiritur formula revocatoria specialis, uti est: non obstantibus quibuscumque juribus quæsitis, privilegiis vel indultis a Sede Apostolica concessis; revocato quolibet contrario privilegio (2).

d/ In pleno suo robore remanent, usquedum Apostolica Sedes aliter statuerit, omnes præscriptiones natura sua *temporariæ* ac *transitoriæ*, quæ ideo indolem legis stricte dictæ non præ se ferunt et hac de causa in codicem referri non potuerunt; uti sunt: præscripta de Consilio a vigilantia et de juramento antimodernistico (3); præscripta decreti *Inter reliquas* S. Congregationis de Religiosis, dati die 1 jan. 1911, de religiosis servitio militari adscriptis (4). Idem videtur dicendum de Cœtu studiis S. Scripturæ provehendis seu Commissione biblica, de qua silet codex.

2° Abrogantur: a/ *Leges quælibet*, sive universales, sive particulares (5) *præscriptis codicis oppositæ*, nisi de

---

(1) Cf. Reiffenstuel, *Jus canon. universum*, l. III, tit. 5, post n. 487.

(2) Vide in Indice analytico-alphabetico codicis, v° *privilegia*, privilegia quæ in Codice revocantur.

(3) Decret. S. Officii, 22 martii 1918, ap. *Acta Apost. Sedis*, 1918, t. X, p. 136.

(4) Decret. S. C. de Religiosis, 15 jul. 1919, *ibid.*, 1919, t. XI, p. 321 ss.

(5) Cf. Decret. S. C. Consist., 2 aug. 1918, circa obligationem legum et decretorum Conciliorum Provincialium Westmonasteriensium, salvis tamen novi codicis præscriptionibus, si et in quantum legibus et decretis dictorum Conciliorum derogaverunt, *ibid.*, 1918, t. X, p. 365. — Decret.

particularibus legibus aliud expresse caveatur (can. 6, 1°); v. gr., juxta can. 403, collatio canonicatuum pertinet ad Episcopum, audito capitulo, *firma contraria fundationis lege*.

b *Consuetudines* contrariæ, sive universales sive particulares, etiam immemorabiles quæ novis canonibus expresse *reprobantur* (1); aliæ, non reprobatæ, etiam suppressæ habeantur, nisi expresse codex aliud caveat, aut nisi agatur de consuetudinibus centenariis, aut immemorabilibus (2) quas Ordinarii pro locorum ac personarum adjunctis existimant prudenter removeri non posse (can. 5). Hac ultima dispositione can. 5 fit Ordinariis potestas eas consuetudines submovendi, imo id facere suadentur, nisi prudentiæ causa impediantur. Patet in hoc canone agi de consuetudinibus contra jus antiquum denuo a novo codici confirmatum, non vero de praxi contraria dispositioni prorsus novæ (3).

c *Pœnæ* quælibet, quarum in codice nulla fit mentio (can. 6, 5°).

d *Disciplinares leges universales* quæ nec explicite nec implicite in codice continentur, nisi ex probatis

---

S. C. de Religiosis, 31 mart 1919, de quibusnam libris (coutumiers, directoires) ad Instituta religiosa juris pontificii pertinentibus, revisioni et correctioni S Congregationis subjiciendis, *ibid.*, 1919, t XI, p. 239; Resp. Com. Pontif. ad interpr. codicis can., 3 jan. 1918 (non publ. in *Acta Apost. Sedis*), juxta quod can. 1252 ubique viget non obstantibus legibus particularibus. *Il Monit. eccles.*, 1918, april., p. 112; *Nouv. rev. théol.*, 1914-1918, t. XLVI, p. 550.

(1) Enumerantur in Indice analytico-alphabetico codicis, v° *consuetudo*.

(2) Etsi textus can. 5 utramque qualitatem: centenariam *et* immemorabilem, conjungere videtur, tamen, propter comparationem cum aliis locis Codicis (can. 27, 28), ubi istæ consuetudines separantur et æquiparantur, sufficere videtur alterutra conditio, seu ut consuetudo sit centenaria *aut* immemorabilis. Cf. Creusen-Vermeersch, *o. p.*, p. 6.

(3) Cf. resp. Commissionis Pontificiæ ad codicis canones authentice interpretandos, 17 febr. 1918, ad III: « Utrum festa quæ non enumerantur in can. 1247, § 1, ipso facto, ipsaque lege nullibi amplius sint de præcepto, etiamsi in aliqua natione, diœcesi aut loco antea fuerunt de præcepto, ex particulari lege vel *consuetudine etiam centenaria loci*... » Responsum est: Affirmative. *Acta Apost. Sedis*, 1918, t. X, p. 170.

liturgicis libris reperiantur, aut lex sit juris divini sive positivi sive naturalis (can. 6, 6°). *Explicite* in codice continentur multæ leges universales anteriores, quæ expressis terminis in codice renovantur ; *implicite* vero, si aliquo præscripto codicis supponuntur aut ad quas remittimur; sic, v. gr., can. 160, ubi Romani Pontificis electio unice regi dicitur constitutione Pii X « *Vacante Sede Apostolica* », 25 dec. 1904; can. 243, § 1, quo disponitur servandas esse a singulis Congregationibus normas tum generales, tum particulares quas ipsis Romanus Pontifex præstituerit; canone 42, § 1, ad stylum Curiæ remittimur; can. 624 observandas jubet a Religiosis Instructiones de modo quæritandæ stipis a Sede Apostolica datas. Ut exempla legis divinæ adduci possunt multa quæ respectum dicunt ad constitutionem Ecclesiæ, eam esse societatem perfectam, inæqualem, ea pollere potestate legislativa, etc.

3° *Conjunctio novi juris cum antiqua legislatione.* Hac de re præprimis attendendum venit principium generale canonis 6 : *Codex vigentem hucusque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat.* Legenti codicem mox apparebit novum jus plerumque de verbo ad verbum desumi ex veteri jure, nimirum ex Decretalibus, Concilio Tridentino, Decretis Congregationum, ad formam codicis congesto et ordinato (1). Immutationes antiquæ disciplinæ allatæ sunt vel *positivæ*, quibus nova præscripta promulgantur, vel sæpius *negativæ*, quibus veteres leges abrogantur aut eis derogatur.

Præfatum principium ulterius eodem in canone evolvitur.

a/ Canones, qui jus vetus *ex integro* referunt, *ex veteris juris auctoritate,* atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus, sunt æstimandi (can. 6, 2°). Ita decreverat Pius IX constitutione *Apostolicæ Sedis*, ut censuræ latæ sententiæ a veteri jure

(1) *L'Ami du clergé,* 1919, 36e année, p. 786 s.

mutuatæ vim suam etiam ex veterum canonum auctoritate acciperent. Exinde patet necessitas cognoscendi vetus jus, hujusque accepta interpretatio.

b/ Canones qui *ex parte* tantum cum veteri jure congruunt, qua congruunt, ex jure antiquo æstimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia dijudicandi (can. 6, 3°).

c/ *In dubio* num aliquod canonum præscriptum cum veteri jure discrepet, a veteri jure non est recedendum (can. 6, 4°).

d/ Codici non est vis *retroactiva,* nisi aliud expresse dicatur. Actus ergo, servatis servandis, reguntur jure vigenti quando positi sunt vel ponentur (1). Exceptiones huic principio ex clara legislatoris voluntate probandæ sunt, uti pro actione ad petendam matrimonii celebrationem ex matrimonii promissione etiam valida et a qua implenda nulla justa causa excusat; quæ actio nunquam datur (2).

A. De Meester.

---

(1) Cf. *Tractatus de legibus;* Decret. Pontific. Commissionis ad codicis canones authentice interpretandos, 2-3 junii 1918, IV, ad 6, 7, 8, in *Acta Apost. Sedis,* 1918, t. X, p. 344 ss.; Resp. S. C. de Relig., 6 oct. 1919, circa professionem religiosorum laicorum in ordinibus regularibus, *ibid.,* 1919, t. XI, p. 420; Resp. Com. Pontif. ad cod. can. interpret., 16 oct. 1919, *ibid.,* p. 476: « vota religiosa simplicia perpetua ex parte voventis, emissa ante promulgationem codicis in Religionibus votorum solemnium, sunt moderanda quoad modum dimissionis religiosorum et quoad effectus dimissionis a jure antiquo vigente ante codicem ». Cf. de retroactivitate legum, *Causa Cuneen. et Utinen.,* 18 maii 1919, *Acta Ap. Sed.,* 1919, t. XI, p. 351 s.

(2) Resp. cit. Com. Pontif., ad interpret. cod. can., 2-3 jun. 1918, ad 6.

LIBRI IN INDICEM RELATI.

Decreto S. C. Indicis, 14 aprilis 1915 (1) proscripta sunt quæ sequuntur opera :

Cyrillos Macaire, *La constitution divine de l'Église*. Genève, 1913.

Philipp Funk, *Von der Kirche des Geistes*. Religiöse Essays in Sinne eines modernen Katholizismus. München, 1913.

Alphonse Saltzmann, *Les remèdes divins pour l'âme et le corps*. Paris-Bruxelles, 1912.

Pierre de Coulevain, *Le roman merveilleux*. Paris, s, a.

Decreto ejusdem S. Congregationis, 6 junii, 1916 (2) :

L. Salvatorelli ed E. Hühn, *La Bibbia*. Introduzione all' antico e al nuovo Testamento (L'Indagine moderna, vol. XIX). Milano, ecc., Remo Sandron, s. a.

P. Juan de Guernica, *La Perla de la Habana*. Sor Maria Ana de Jesús Castro, Religiosa Capuchina del convento de Plasencia. Zaragoza, 1914. 2 vol in 12°.

Ludovico Keller, *La basi spirituali della massoneria e la vita pubblica*. Todi 1915.

Rivista di scienza delle religioni. Roma, Tipografica del Senato, 1916 *(Decr. S. Off. 12 apr. 1916)* (3).

Dr. Henri Mariavé, *La leçon de l'hôpital Notre-Dame d'Ypres. Exégèse du secret de la Salette*. Tome I, Paris, 1915 ; tome II, Appendices, Montpellier, 1915 (*Decr. S. Off. 12. apr. 1916*) (4).

Decreto S. Officii 18 julii 1917 (5) :

R. Università degli Studi di Roma, Professore Ernesto Bonaiuti, *Storia del Cristianesimo*. Lezioni raccolte e compilate dal Dott. Alessandro Gaddi. Anno Academico 1916-1917, Roma, Libreria Editrice Castellani, Via Sapienza, n. 68.

---

(1) *Acta apostolicæ Sedis*, 1915, t VII, p. 180.

(2) *Ibid.*, 1916, t. VIII, p. 178.

(3) *Ibid.*, p. 176.

(4) *Ibid.*, p. 175. Cf. Decret. S. Off. 21 dec. 1915, circa vulgo dictum « Secret de la Salette », *ibid.*, 1915, t. VII, p. 594.

(5) *Ibid.*, 1917 t. IX, p. 430.

Decreto S. Officii, 14 decembris 1918 (1):

Ernesto Bonaiuti, *La genesi della dottrina agostiniana intorno al peccato originale*. Roma, Tipographia del Senato di Giovanni Bardi, 1916.

Ernesto Bonaiuti, *Sant' Agostino*. A. F. Formiggini, Editore in Roma, 1917.

LIBRI DE APOLOGETICA

Bainvel, *De vera religione et de apologetica*. Paris, Beauchesne, 1914. In-8, VIII-270 p. Fr. 3,00.

Naulaerts, *De Ecclesia Christi tractatus apologeticus*. Mechliniæ, Dessain, 1913. In-8, VIII-350.

Verhelst, *Cours de Religion. I. Apologétique*. Bruxelles, Dewit, 1915. In-8, VIII-376. Fr. 4,00.

Morawski, S. J. (Trad. Willaert), *Soirées au lac de Genève*. Bruges, G. Geûens, 1913. In-16, 312 p. Fr. 3,50.

Id., (Vertaald door Ermann), *Bij het meer van Geneve. 's Hertogenbosch*. Teulings, 1914. In-8, 399 bl.

Frutsaert Em. S. T. L. *Geloofsverdediging*. Brugge, Geloofsonderricht. 1918. In-16, 123 bl. 1,50 fr.

de Poulpiquet, O. P. *L'objet intégral de l'apologétique*. Paris, Bloud et Cie, 1912. In-16, 565 p. Fr. 4,00.

Id., *Le miracle et ses suppléances*. Paris, Beauchesne, 1914. In-16, 321 p.

D. Bainvel, cujus opera theologi magnifaciunt, scripsit brevissimum compendium de vera religione et de apologetica, amplissima quidem materia, quæ diebus nostris permultorum mentes occupat. Ejus « intentionis fuit ea quæ essent necessaria brevissime comprehendere, et, datis ad

---

(1) *Ibid.*, 1919. t. XI, p. 5.

fusiorem rerum explicationem adjumentis, hanc ipsam explicationem vivæ magistrorum voci relinquere », p. VII. Attamen quædam ita absque expositione indicantur ut desideretur ulterior explicatio de cl. auctoris sententia : quod valet, v. gr., de momentosa notione certitudinis, de qua recurrit sermo, p. 59, 151, 161, 165; eo vel magis quod, p. 153, remittit A. lectorem ad opus *La certitude morale*, compositum ab Ollé-Laprune, cujus sententia non est admittenda (1). — Divisio tractatus hæc est: P. I. De apologetica : 1. De tendentiis nostri sæculi philosophicis ac religiosis. 2. De apologeticæ ratione et methodo. 3. De formis apologeticæ concretis. — P. II. De vera religione: 1. De religione ac revelatione. 2. De religione christiana. 3. De religione catholica. Accedunt tres appendices : prima est egregia dissertatio de notione Religionis et de variis Religionibus, scripta a P. de la Broise; altera præbet conspectum de quæstione apologeticæ ab auctore ipso antea conscriptum; tertia exhibet quædam testimonia acatholicorum in laudem religionis Christi et Ecclesiæ.

Secunda operis pars, quæ multo brevior est quam prima, exponit per summa capita theses quæ ordinarie inveniuntur in tractatu de vera religione: est compendium rite ordinatum, quo tota materia inspicitur.

In prima parte, A. rite tradit notionem apologeticæ, n. 21 ss., 36, sed non recte concludit hanc esse *partem theologiæ*: etenim admittit A., et merito quidem, apologeticam esse *scientiam* (late dictam): hæc porro scientia, qua talis, non supponit fidem, sed est *extrinseca* fidei (n. 23): igitur non potest *ut scientia* pertinere ad theologiam, sed ab hac est specifice diversa quum *solo naturali rationis lumine* constituatur et quum theologia, e contrario, sit scientia *fidei*, quæ ipsi fidei innititur (2). Ad suam assertionem defendendam, utitur A. argumento sequenti: « Quia hic tractatus, *ut fit a catholico*, pertinet et ipse ad objectum formale theologiæ cum habeamus a documentis theologicis quod fides catholica sit prudens, et nihil hic aliud fere agamus quam vindicamus et

(1) Cf. Van der Meersch, *De Deo uno et trino*, Brugis, 1917, n. 39.

(2) Cf. Le Bachelet, ap. d'Alès, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, art. *Apologétique*, col. 244 ss.

ordinamus ea quæ passim invenimus dispersa in documentis fidei.

Neque hoc circulum vitiosum habet, ut inspicienti patet, cum hîc Ecclesiæ auctoritas nobis ad indicandam viam, quam sequamur, præluceat, non ad confirmanda ea quæ afferuntur argumenta appelletur » (p. 3). Hoc argumentum non valet. Etenim a/ aliqua conclusio objective spectata, potest ad aliam et aliam cognitionis speciem pertinere: potest v. gr., solo naturali rationis lumine demonstrari et admitti propter evidentiam intrinsecam, vel potest revelari et credi propter auctoritatem Dei revelantis; posset etiam haberi ut conclusio theologica. Inde fieri potest ut in ipsis documentis Ecclesiæ (ut de facto habetur in Concilio Vaticano) definiantur plures propositiones quæ etiam aliter possunt cognosci (1). Pertinent autem ad theologiam aut ad aliam scientiam *secundum objectum formale sub quo cognoscuntur* (2). Non ideo apologetica ad scientiam theologiæ pertinet, quia easdem proponit conclusiones quæ in theologia proponuntur. b/ Et si catholicus in constituenda scientia apologeticæ dirigitur ab auctoritate Ecclesiæ, non ideo apologetica fit pars theologiæ: objectum formale apologeticæ remanet semper diversum ab objecto formali theologiæ. Si catholicus dirigeretur a theologia in ordinando tractatu de theodicea naturali, non ideo hic tractatus philosophicus fieret pars theologiæ (3). Nec auctori consentimus in admittendo argu-

---

(1) Inde potest esse tractatus *theologicus* de eodem objecto materiali quod pertinet etiam ad aliam scientiam, v. gr. perfectiones Dei possunt ostendi ut revelatæ, possunt etiam demonstrari demonstratione proprie dicta et scientifice cognosci. Abstraho a quæstione utrum in eodem homine possit esse scientia et fides de eadem veritate.

(2) « *Objectum formale* [scientiæ] dicimus rationem communem illam, qua vel sub qua omnia, quæ de subjecto enuntiantur, illi convenire manifestantur. Ita, proprietates Dei rerumque divinarum attingit Theologia naturalis, quà sunt ex principiis rationis demonstrabiles; Theologia sacra vero easdem attingit qua *derivabiles ex verbo Dei revelato* ». De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*², Rollarii, 1914, n. 186.

(3) Distinctio apologeticam inter et theologiam bene exponitur a D. Michel, in *Revue du Clergé français*, 1919, t. XCVIII, p. 321 ss. ubi refutatur opinio propugnata a R. P. Garrigou-Lagrange, in opere *De revelatione*.

mento proposito a Cardinali Dechamps (p. 140, 150). Quod huic argumento proprium est bene indicatur à Le Bachelet (1): « il transporta ces faits [impuissance morale de l'homme à connaître les vérités religieuses, etc.] de l'ordre *historique,* où les apologistes scolastiques les prennent habituellement, dans l'ordre *psychologique* en les considérant comme faits subsistants dans la raison et dans la conscience ». Jamvero nonne talis « transpositio » est sophistica? Nonne inficitur vel ignoratione elenchi, vel petitione principii (2)?

Optime distinguit A. apologeticam ut *scientiam* et ut *artem,* p. 56 ss., p. 75 ss. Præcipua commoda, quæ prælaudatus liber afferet studioso de apologetica, habentur in ampla bibliographia, in eruditissima expositione de præcipuis tendentiis tum acatholicorum, tum catholicorum, circa quæstionem de apologetica (p. 23-75) et in expositione de variis generum argumentis, alia vel alia ratione ad apologeticam pertinentibus, quæ inveniuntur tum in Veteri Testamento, tum in doctrina Christi, tum in doctrina Apostolorum ac Patrum, tum apud recentiores apologistas (p. 78-133).

*
* *

In opere quod suprà dijudicavimus agebatur præcipue de ratione et indole ipsius Apologeticæ; nonnisi per summa capita exponebatur demonstratio de divina origine Religionis Christi et etiam brevius demonstratio de hoc quod Ecclesia romano-catholica in se ipsa considerata apparet esse divina. Liber autem Reverendi admodum Domini Naulaerts est tractatus integrer in quo clerici et sacerdotes inveniunt unde stabiliant quænam et ubinam sit vera Christi Ecclesia. Quod ad demonstrandum sequitur A. methodum *historicam,* sive inductionis scientificæ, qua probatur imprimis qualem cœtum Christus instituerit, qualesque proprietates ei indiderit;

(1) *O. c.,* col. 232.

(2) Hoc non dicimus de argumento desumpto *ex facto Ecclesiæ,* quo Ecclesia ostenditur per se ipsa magnum quoddam et perpetuum motivum credibilitatis, sed de sententia Eminentissimi Cardinalis, qua distinguit inter factum homini *internum* et factum *externum,* et censet factum *internum* postulare Revelationem divinam.

deinde solam romano-catholicam Ecclesiam esse eamdem ac societatem quam ipse Christus condidit (n. 8).

Fateamur oportet quædam argumenta ad theses demonstrandas adhibita non satis clare explicari ut dilucide appareat vis demonstrativa; alia non esse valida. V. gr. quoad thesim I, in argumento I (n. 36-41) non perfecte elucet quomodo auctoritas sit id quo habeatur ipsa societas seu id quo finis sit attingendus *communiter* seu *socialiter;* argumentum II (n. 40) non nisi confirmatio quædam videtur; — argumentum allatum ad catholicitatem demonstrandum (n. 444) plures textus continent qui ad rem non pertinent, nempe ad *actualem* ac latam per orbem terrarum diffusionem Ecclesiæ cum magno et conspicuo numero adhærentium: non sufficit ostendere Apostolos habere potestatem prædicandi ubique, vel futurum esse ut doctrina Christi ubique prædicetur; — argumentum ad demonstrandam sanctitatem (n. 453) non valere videtur.

Præterea pluries adhibentur textus ex epistolis sancti Pauli, sed nullibi declarat A. qualis sit vis demonstrativa illorum documentorum, quæ ut mere humana et historica, non autem ut a Deo inspirata, adhibentur in illo tractatu.

Circa distinctionem potestatis ecclesiasticæ, A. admittit sententiam quæ tenet *tripartitam* divisionem, nempe in potestatem *magisterii, jurisdictionis, ordinis* (n. 140), sed illam non accurate exponit dicendo potestatem jurisdictionis quasi genus in duplicem speciem dividi, nempe in magisterii et imperii potestatem. Sunt enim tres potestates formaliter et essentialiter diversæ, et potestas magisterii non reducitur ad genus potestatis jurisdictionis, quippe quæ ad solos *subditos* spectat et ad ipsorum, qua talium, actus regendos. — Unitatem Ecclesiæ distinguit A. in unitatem *fidei, cultus, regiminis:* quæ distinctio sustineri potest ac probari. Censemus tamen tum naturæ rei magis aptam, tum sermoni in ecclesiasticis documentis admisso magis conformem esse distinctionem in unitatem *fidei, communionis* et *regiminis* (1),

(1) Illa distinctio bis exprimitur in « Constitutione de Ecclesia Christi » data a Concilio Vaticano: cf. DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, n. 1821, 1827; etiam adhibetur a Leone XIII in encyclica « Satis cognitum »: cf. *Collat. Brug.*, t. I, p. 463.

atque cultus unitatem pertinere ad unitatem *communionis*. Mirum etiam videtur non adhiberi ab Auctore argumentum desumptum ex verbis Christi relatis a Joanne, XVII, 20 ss., quibus clare exhibetur voluntas Christi circa perfectam unitatem, quæ debent vigere inter eos qui credituri sunt in eum per prædicationem Apostolorum, in quibus etiam illa unitas indicatur tamquam signum divinæ legationis Christi et proinde tamquam nota distinctiva Ecclesiæ ipsius. — Nec consentimus Auctori in approbanda opinione propugnata a R. P. De Poulpiquet circa catholicitatem (1).

Quum liberrime indigitavimus ea quæ minus placent in illo opere, tum libentissime profitemur conspicuis illud insigniri dotibus. Et sane ordinatio materiæ et expressio thesium sunt optimæ; amplissima materia hîc invenitur breviter et concinne contracta; quum recentioribus scriptis usus sit A. ac sagaci judicio adhibuerit tum ad veritatem stabiliendam, tum præcipue ad hodiernos errores refutandos, necnon egregios libros nuperrime editos citavit et legendos proposuit, opus confecit hodiernæ apologeticæ optime accommodatum. Methodum catecheticam, quæ adhibebatur in tractatibus *Theologiæ Mechliniensis* feliciter dereliquit A., doctrinam per partes logica divisione et subdivisione thetice proponendo; utiliter etiam ad calcem adnecti curavit indicem rerum alphabeticum. Peculiaris laudis digna videntur ea quæ disserit A. de falsis theoriis modernis circa originem et naturam Ecclesiæ (n. 66-76), de perfectibilitate revelationis Christianæ (n. 169-178), de membris Ecclesiæ (n. 105-136), et, excepto eo quod suprà diximus, de unitate (n. 420 ss.).

*
* *

In usum laïcorum conscripsit Reverendus Dominus Verhelst egregium opus quod exponit integræ materiam *Apologeticæ* complectentis scilicet tum demonstrationem *christianam* seu tractatum *de vera religione*, tum demonstrationem *catholicam* seu tractatum de *Ecclesia Christi*, ita ut totius scripti conclusio sit: homini adhærendum est Ecclesiæ romano-catholicæ.

Ille liber habet tres partes, quarum prima *de Deo*, Ejus

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 482.

existentiam ejusque præcipuas perfectiones demonstrat, deinde hominis relationes ad Deum et necessitatem religionis stabilit, tandem hodiernos errores circa Dei existentiam, naturam, cognoscibilitatem refutat. — Secunda pars, *de Revelatione,* ejus notionem, possibilitatem et cognoscibilitatem proponit. — Tertia pars, de *credibilitate Ecclesiæ*, varias exponit et solvit quæstiones, ita ut constet de facto revelationis divinæ a Christo peractæ, de facto unicæ Ecclesiæ ab ipso constitutæ, de identitate Ecclesiæ romano-catholicæ cum Ecclesia a Christo fundatæ.

Liber ille magna dignus est laude et aptissimus ad delectationem lectoris, quia, quam ex optimis hausit scriptoribus (1), hanc accurate et dilucide tradit ac defendit A. doctrinam *metaphysicam* circa Deum, *historicam* circa ea quæ Christus dixit et fecit, *criticam* circa originem et valorem antiquorum documentorum, e quibus haurienda nobis est cognitio de iis quæ Christus docuit et instituit.

Hoc autem illius operis proprium et distinctivum est quod in conficienda demonstratione de constitutione Ecclesiæ a Christo, A. adhibuit methodum, diversam a methodo hucusque communiter servata, et immediate determinatam a præcipua objectione quam rationalitæ et protestantes liberales opponunt veræ sententiæ de origine Ecclesiæ. « Les rationalistes et les protestants libéraux n'admettent pas l'institution de l'Église par le Christ. A les entendre, Jésus n'aurait prêché qu'une religion toute de sentiment, sans dogmes, sans institutions, sans autorité visible, laissant toute liberté au sens individuel. L'organisation du Christianisme en religion d'autorité en Église hiérarchique; serait un fait plus ou moins tardif dû aux circonstances » (p. 140).

Hæc objectio, quæ valde complexa est, nititur tota principio *evolutionis* quod adversarii ad omnia explicanda adhibent: contendunt nempe doctrinam a Christo traditam, et etiam instituta ab ipso invecta, fuisse paulatim deformata per cogitationem fidelium, ita ut ex subjectivo credentium labore

---

(1) Præsertim ex GARRIGOU-LAGRANGE, apud D'ALÈS, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* art. *Dieu;* JACQUIER, *Histoire des livres du Nouveau Testament;* BATIFFOL, *L'Église naissante et le catholicisme:* PRAT, *La théologie de saint Paul.*

intellectuali exorta sit religio diversa a religione ab ipso Christo allata, seu a Christianismo primitivo; ut etiam ex subjectiva credentium dispositione et ex diversis adjunctis externis, connaturaliter condita fuerit *societas* religiosa sub auctoritate, quæ deinde plena fuerit agnita in episcopo romana. Tali sententia negatur formalis et immediata institutio Ecclesiæ a Christo; negatur etiam valor *historicus* evangeliorum: nam illa, aiunt adversarii, conscripta fuerunt eo tempore quo prædicta evolutio jam facta fuerat et proinde ea quæ in illis libris referuntur ut dicta et acta a Christo, sunt jam plus vel minus mutata per subjectivam credentium meditationem.

Huic theoriæ respondet A. argumentis historicis, quæ demonstrant quatuor asserta sequentia: 1°/ Christianismus primitivus est, quoad substantiam, idem ac Catholicismus hodiernus : nominatim apparet credentes in Christum ab initio vivere *ut membra societatis sub auctoritate* Apostolorum, et *doctrinam* Christi ab Apostolis proponi *jure docendi*, adeoque determinari, necnon *firmam ac immutabilem conservari*, ita ut deformatio successiva doctrinæ per evolutionem in mente fidelium omnino excludatur: hæc concludit A. præsertim ex iis quæ nobis referuntur in *Actis Apostolorum*. — Hoc posito sequitur 2°/ quod evangelia, quum sint expressio scripta prædicationis oralis Apostolorum eique omnino conformia, non sunt effectus alicujus evolutionis immutantis doctrinam et vitam Christi, sed esse vere *historica*; objective narrantia ea quæ fuerunt realiter dicta et acta a Christo. — 3°/ Inde ex evangeliis valide demonstrat A. Christum esse legatum Dei, imo ipsum Deum. — et 4°/ ab ipso Christo conditam fuisse Ecclesiam, nempe credentes fuisse ab ipso Christo *in societate* unitos sub auctoritate Apostolorum. Deinde quum diversi exsistant cœtus christiani, qui asserunt se esse veram Christi Ecclesiam, ostendit A. per *notas* Ecclesiæ veræ proprias, solam Ecclesiam romano-catholicam esse veram Christi Ecclesiam.

Prædicta refutatio objectionis adversariarum est optima, necnon ordo demonstrationis, secundum illam statutus est, in se rectus ac fini intento rite accommodatus, lectoribusque utile et amœnum erit invenire in prælaudato opere compen-

dium solidæ refutationis præcipui argumenti, quo impugnatur demonstratio catholica. Quapropter congratulamur Auctori editum librum, illumque late diffundi exoptamus.

Censemus tamen ordinem, quem secutus est A., *non necessarium* esse ad demonstrationem catholicam conficiendam. Objectio enim adversariorum est hypothesis mere gratuita, quæ nulli principio psychologiæ nititur, nec factis certo cognitis, nec documentis fide dignis: quapropter objectioni illi rite respondetur negando suppositum. Ipse autem valor historicus evangeliorum potest positive demonstrari. Quapropter si agitur de tractatu apologeticæ alumnis collegiorum tradendo, videtur aptior methodus in hoc quod variæ propositiones, quas suprà indicavimus, prius positive probantur, et postea proponitur illa objectio; melius etiam perspicietur ejus refutatio, si, postquam *tota* fuerit enunciata, tum *in partes* dividetur, quibus singulis opponetur responsio.

*
* *

Amœnæ simul ac perutilis lectionis est liber conscriptus a R. P. Morawski, olim professore in Universitate Cracoviensi. In pagella adjuncta ab editore versionis gallicæ, rite describitur indoles illius operis: Ce livre qui compte déjà beaucoup d'éditions et de traductions a été élégamment traduit en français par le R. P. Willaert, S. J. La forme du dialogue, qui comporte nécessairement une mise en scène et des présentations, outre qu'elle permet de formuler plus aisément des objections et de les réfuter plus ingénieusement, atténue l'aridité de certains sujets. Ici nous voyons aux prises un libre-penseur de Varsovie, un juriste allemand, un Russe tolstoïste, un romancier français, un pasteur calviniste de Lausanne, une anglicane, un gentilhomme éspagnol et un prêtre catholique. Le soir, à la terrasse d'un hôtel dominant le lac de Genève, ces représentants des diverses nuances de la pensée philosophique et religieuse du public, discutent les grandes questions qui s'imposent à toute intelligence cultivée, à moins qu'elle ne soit embourbée dans la fange des passions ou enlisées dans les jouissances grossières. — Quod dicitur de indigentia cordis humani et de necessitate divinæ revelationis (p. 147 s. in vers. gall. p. 138 s. in vers.

neerland) non accurate est expositum (1); nec admittendum quod Ecclesia, quatenus est societas humana, incœpit a die Ascensionis Domini (p. 293, p. 265). Sed hi sunt parvi defectus in opere in quo egregie disseritur de præcipuis quæstionibus solvendis in Apologetica et rite propugnatur divinitas Ecclesiæ catholicæ; maxime laudandum est caput V, in quo describitur persona Christi, ejusque doctrina et ratio ducendæ vitæ. — P. Ermann versioni neerlandicæ adjunxit opportune notas multas, in quibus explicantur magis quædam notiones, etiam exhibentur diversæ opiniones acatholicorum circa Ecclesiam catholicam, denique citantur multi libri apti quibus profundior fiat inquisitio de doctrina apologetica.

*
* *

Ad juvenes manuducendos in studio de apologetica nuperrime conscripsit R. D. Frutsaert perutile opusculum in quo breviter proponitur integra apologeticæ materia: existentia Dei et necessitas religionis, demonstratio christiana, demonstratio catholica. Doctrina solidis et bene electis argumentis fulcitur necnon accurato et nitido sermone exprimitur. Indoles prælaudati operis optime in præfatione exhibetur his verbis: We beoogden vooral, wat ons betreft, den vierden graad van 't lager onderwijs (de meest ontwikkelde leerlingen) en wellicht ook de vijfde en de zesde van 't middelbare, de zondag- en avondscholen, de studiekringen voor ontwikkelde werklieden enz.; doch het spreekt van zelf dat, met een uitgebreider toelichting, ons handboek ook voor hoogere klassen en ontwikkelder kringen kan dienstig zijn. — Wat er ook van zij, we hebben onze verhandeling derwijze ingedeeld, dat ze naar gelang van mindere of meerdere ontwikkeling, op alle leerlingen kan aangepast worden, en daartoe met kleiner letter laten afdrukken wat geen hoofdzaak is of moeilijker te begrijpen valt ».

*
* *

Opus quod composuit R. P. de Poulpiquet non est

---

(1) De morali necessitate divinæ revelationis, videsis *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 170 ss.

tractatus apologeticus, sed disquisitio de ipsa ratione apologeticæ et de ejus methodo: circa quæ Auctor multa exponit, quæ omnia reducuntur ad quæstionem *de objecto integro* apologeticæ. Liber habet partes tres, quarum *prima*, cujus titulus: *apologétique* **externe**, probat necessitatem demonstrandæ *credibilitatis* eorum quæ sunt a Deo revelata, seu credibilitatis veritatum, collective sumptarum, quæ tenendæ sunt fide divina, et explicat multa circa notionem credibilitatis ejusque evidentiam, necnon circa valorem argumentorum eorumque ad invicem connexionem. — *Secunda* pars, cujus titulus est *apologétique* **interne** tota ordinatur ut probetur necessitas demonstrandæ *appetibilitatis* dogmatum, nempe *amabilitatis* religionis veræ, *objective* spectatæ; quæ appetibilitas consistit radicaliter in convenientia dogmatum cum tendentiis psychologicis hominis (p. 338, 447, 464, 475); deinde disserit A. de valore objectivo illius internæ apologeticæ et de necessaria conjunctione utriusque apologeticæ, externæ scilicet et internæ. — *Tertia* pars explicat quomodo apologetica differat tum a fide, tum a theologia, tum a philosophia, tum ab historia.

Opus, cujus materia breviter hic fuit indigitata, est certe utile, quum ibi multæ notiones occurrant exponendæ, multaque argumenta discutienda, est etiam valde opportunum nostris præsertim diebus in quibus multi scriptores occupantur de ratione, de methodo et de objecto apologeticæ. R. P. de Poulpiquet varias quæstiones, quæ ipsi solvendæ erant, profunde scrutatus est et generatim loquendo, nitide exposuit; illis quæ apologeticæ operam dant, magna utilitate legent quæ scripsit A. de modo quo exponendum est argumentum desumptum ex miraculo physico (p. 83-121), ex celerrima propagatione christianismi (p. 121-148), ex testimonio martyrum (p. 148-187); etiam ea quæ spectant influxum voluntatis in actus intellectus (289-337); tandem tertiam libri partem (p. 471-551), in qua exponitur qua ratione apologetica sit scientia, late dicta, (p. 539 s.) et quomodo differat ab aliis cognitionibus quæ cum ipsa connectuntur.

Attamen consentire non valemus Auctori in thesi præcipua ad quam tamquam ad caput reducitur tota disquisitio: in

thesi nempe *de necessitate utriusque* apologeticæ, externæ et internæ, ac de logica connexione utriusque in unico objecto integro unius disciplinæ scientificæ. Etenim ad hoc ut actus fidei divinæ sit rationabilis prærequiritur omnino judicium *credibilitatis* et *credenditatis,* scilicet ut homo rationabiliter credat Deo revelanti, propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, prærequiritur ut cognoscat Deum esse locutum, et determinatum complexum veritatum revelavisse, necnon cognoscat se moraliter obligari ad fidem vel saltem se honeste agere credendo: hæc est *credibilitas* et *credenditas* eorum quæ revelantur. Bene notemus quod hæc plene sufficiunt tum ut intellectus fide adhæreat revelatis, tum ut voluntas imperet actum illum: quoad intellectum, nulla est difficultas; quoad voluntatem, ille fidei actus habet rationem *boni,* tum quia est conveniens intellectui et proinde perfectioni humanæ, tum quia est virtuosus, imo obligatorius: voluntas enim *appetere* potest obsequium Deo reddendum, et eo magis quod illud est medium necessarium obtinendi ultimi finis, felicitatis perpetuæ: illa est *appetibilitas actus fidei.* Objectum igitur integrum apologeticæ absolvitur in credibilitate et credenditate revelatorum. Nec proinde requiritur ut demonstretur appetibilitas *dogmatum:* hæc enim, sive placeant, sive displiceant homini, sunt nihilominus credibilia et credenda; proinde appetibilitas *dogmatum* non est elementum objecti proprie dicti apologeticæ, et nequit in eadem linea poni, ut sic loquar, cum credibilitate et credenditate.

(Continuabitur).

J. Van der Meersch.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Van Crombrugghe, *Tractatus de Beata Maria Virgine*, Gandavi, Scheerder, 1913, In-8°, 216 p.

Quum in catholica Ecclesia ab antiquissimis temporibus, specialis honor tributus sit Matri Dei, quumque ille cultus magnam teneat partem in exercitio tum publico tum privato religionis, theologi curaverunt ut doctrinale fundamentum illius venerationis declararent, atque ejus liceitatem utilitatemque explicarent: inde *Marialogia* suum locum habet in universa theologia, præcipue connexum cum Christologia et Soteriologia.

Nostro autem tempore, Rationalistæ et Modernistæ impugnaverunt dignitatem et varias gratiæ ac gloriæ prærogativas, quas Catholici in Maria agnoscunt. Opportunum proinde erat illas iterum propugnare, et quidem ea methodo qua aptissime et directe refelluntur impugnantium objectiones. Quod opus egregie perfecit prælandatus Auctor. Ipsi porro specialis scopus fuit ostendere, contra hodiernos adversarios, dogmata mariologica, quæ assensu fidei divino-catholicæ sunt admittenda, formaliter contineri in fontibus Revelationis; præterea veritates, quas, ut certas, ex veritatibus revelatis deductas proponunt theologi, logice inferri ex revelatis, proinde solide ac legitime constructum esse systema doctrinale quod apud catholicos constituit Marialogiam.

Peritissime A. fuse exponit ea quæ pertinent ad *virginitatem* Mariæ, tum in conceptione, tum in partu, tum post partum (p. 26-108), objectionesque nitide ab invicem distinguit et dilucide refutat; nec minus laudanda est expositio de *Immaculata conceptione* (p. 109-149), in cujus demonstratione est notandum compendium historicum (p. 120 ss.) de cognitione, quæ successive habita est circa dogma prædictum. Præsertim in illis duobus dogmatibus propugnandis, ostendit sese A. magna eruditione præditum, hodiernæ controversiæ apprime gnarum, perspicacemque criticum. Magna etiam cura defenditur thesis de assumptione B. M. V., circa quam duæ statuuntur propositiones, quarum prima enuntiatur sic: « B. Virginem esse mox post mortem corporaliter in cœlum assumptam est explorata veritas theologica » (p. 171); altera autem: « B. Mariam esse quoad corpus et animam ad cœlum assumptam et in cœlo præsentem, est, salvo Ecclesiæ judicio, definibilis veritas revelata » (p. 175) Argumentum tamen qualiter exponitur *ex fontibus revelationis* nobis videtur non conducere ad conclusionem *certam*. Quoad quæstiones de quorum solutione non unica est responsio inter theologos, notamus Auctorem adhærere sententiis sequentibus: Mariam habuisse *proximum* debitum contrahendi peccatum originale (p 147), in ea *non exstitisse concupiscentiam* (p. 154), eam *toto decursu vitæ suæ mortalis* crevisse in gratia et sanctitate (p. 164), eam fuisse in gratia confirmatam *speciali*

Providentiæ regimine quo originalem justitiam jugiter conservaret, adeoque ab omni peccato veniali immunis redderetur (p. 161), eam non solum voluntarie et multipliciter *cooperatam* esse *operi Redemptionis* peracto a Christo, sed etiam in partem habere in *dispensatione* fructuum Redemptiones, quatenus nulla gratia descendat in redemptos nisi *secundum ipsius intercessionem:* hæc ultima assertio defenditur tamquam pia ac probabilis doctrina (p. 183 ss.); *maternitatis divinæ dignitatem* esse excellentiam *formaliter diversam* a sanctitate supernaturali, adeoque *cultum hyperduliæ* esse *specifice diversum* a cultu duliæ (p. 199 ss.). Tandem in appendice (p. 205-213) ponit A. dissertationem de duplici genealogia Jesu, una apud *Matth.*, I, 1 ss., altera apud *Lucam* IV, 23 ss., ut solvatur palmare argumentum, quod his locis habere se jactant adversarii, labefactans historicitatem evangelii infantiæ et signanter conceptus virginalis Jesu.

Ampla materia, contenta in laudato opere, et præsertim peritia auctoris in illa exponenda, egregium librum præbuerunt theologis, instrumentum quo carere nequeunt sive ad augendam sibi scientiam sive ad ducendam polemicam contra hodiernos hæreticos.

J. Van der Meersch.

MONITUM.

Recentem rei politicæ conditionem in nostra patria ex bello oriundam, novam moderationem nostris agricolarum cœtibus (boerenbonden) imponere nemo non videt. Unde urgens esse videtur ut agricolæ utique in unum cogantur. Hoc opus multis in locis feliciter jam florescere novimus, eo tamen plures adhuc carent. Manus operæ statim est imponenda ut cœtus agricolarum instituantur ubi nondum existunt vel novis rebus adaptentur ubi jam vigent. Omnibus inspectis visum est agricolas congregandos esse in primis in singula communitate civili et deinde hos cœtus contrahendos esse in unaquaque circumscriptione (bestuurlijk arrondissement.)

Ad hunc finem attingendum aptissima media sunt inquirenda sicut et actio ubique uniformis est adhibenda. Itaque cœtus noster « *Proostenbond* », qui plurimos longæ experientiæ cooperatores numerat, hoc officium sibi assumet. Proinde *die 19ª Aprilis* in unum conveniet Rollarium una cum egregiis aliquot viris Lovaniensibus. Valde optandum est ut omnes sacerdotes operi agricolarum quomodocumque præpositi vel præponendi, sive parochi, sive vicepastores, coadjutores vel professores, nihil non agant ut huic oummi momenti congressui præsentes sint.

Cæterum, mens est Ill^mi^ Domini, ipsique maxime cordi est ut ex singula parœcia, quoniam in unaquaque instituendus vel reformandus est cœtus agricolarum, saltem unus sacerdos Rollarium mittatur, ne novæ temperationi inducendæ impar postea inveniatur.

Collationes Brugenses

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XV EPISTOLA APOSTOLICA AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ORBIS CATHOLICI DE FIDE CATHOLICA PER ORBEM PROPAGANDA (1).

BENEDICTUS PP. XV

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Maximum illud sanctissimumque munus quod, suo iam instante ad Patrem reditu, Dominus Noster Iesus Christus discipulis demandavit, cum dixit : *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ* (2), non erat sane Apostolorum vita terminandum, sed apud eorem successores perpetuandum usque ad consummationem sæculi, quoad scilicet futuri essent in terra homines, quos veritas liberaret. Ex quo igitur *illi profecti prædicaverunt ubique* verbum Dei (3), ita quidem ut *in omnem terram* exierit *sonus eorum : et in fines orbis terræ verba eorum* (4) ; divini mandati memor, Ecclesia nunquam, labentibus sæculis, cessavit adhuc traditæ divinitus doctrinæ partæque humano generi per Christum salutis æternæ nuntios et administros in omnes partes mittere. Illo ipso enim trium sæculorum spatio, quo ad Ecclesiam recens natam opprimendam, alia ex alia, excitata ab inferis persecutio desæviit, cum omnia Christianorum sanguine redundarent, vox tamen Evangelii præconum late Romani

Mandati divini memor,

Apostolorum vestigiis inhærens

Ecclesia semper et ubique fidem prædicavit :

(1) *Acta Apostolicæ Sedis*, 1919, p. 440.
(2) MARC. XVI, 15.
(3) Ibid., 20.
(4) Ps. XVIII, 5.

ante et post persecutiones

imperii fines pervagata est. Postquam vero pax et libertas publice est Ecclesiæ data, multo maiores in apostolatu progressus toto orbe fecit: quo in genere præclari vitæ sanctimonia viri utilissime elaborarunt. Ex his Gregorius Illuminator Armeniam christiano nomini adiungit, Styriam Victorinus, Æthiopiam Frumentius; tum parit Hibernos Christo Patritius, Anglos Augustinus, Columba Palladiusque Scotos; deinde illustrat Evangelii luce Hollandiam Clemens Willibrordus, primus ille Ultraiectensium Episcopus, Germaniæ populos Bonifatius et Ansgarius, Slavoniæ autem Cyrillus et Methodius ad catholicam Fidem traducunt. Deinceps multo latior campus hominibus apostolicis patere cœpit, cum Gulielmus de Rubruquis Fidei facem Mogolis intulit, cumque beatus Gregorius X primos missionales legavit in Sinam: quos subinde Francisci Assisiensis alumni consecuti, non exiguam ibi constituerunt fidelium ecclesiam, quam haud multo post persecutionis orta tempestas dissipavit. America autem detectat, virorum apostolicorum agmen, in quibus præcipue commemorandus est Bartholomæus Las Casas, Dominiciani Ordinis decus ac lumen, miseros indigenas cum ab hominum dominatu improbo tuendos, tum ex dæmonum durissima servitute eripiendos suscipiunt; intereaque Franciscus Xaverius, dignus is quidem qui Apostolis ipsis comparetur, cum in Indiis Orientalibus et in Iaponia pro Christi gloria animarumque salute mirifice desudasset, ad Sinensis limen Imperii, quo iam tendebat, emoritur, quasi discessu suo aditum patefaciens novæ Evangelii prædicationi in illam regionum immensitatem, in qua erat futurum ut e tot inclytis religiosorum Ordinibus et Missionalium Familiis homines Fidei propagandæ studiosi, tantas per vicissitudines rerum ac temporum, apostolatum obirent. Postremo continens ea quæ ultima patuit, Australia, itemque Africæ interiores tractus, audacia constantiaque recentiorum explorati, christianæ Fidei nuntios acceperunt; ac fere iam nulla est intra vastissimum mare Pacificum tam remota insula, quo non Missionalium nostrorum virtus actuosa pervaserit. Ex iis autem plurimi exstiterunt, qui cum fratrum salutem quærerent, ipsi, Apostolorum exemplo, ad sanctitatis fastigium pervenerint,

in Oriente et Occidente

in Asia et America

in Australia et Africa.

nec pauci, qui, apostolatum martyrii laude cumulantes, Fidem profuso sanguine confirmarint.

Iam vero tot tantosque labores a nostris in Fidei propagatione exantlatos, tanta studia posita, tanta invictæ fortitudinis exempla edita considerantibus, vehementer demirari licet, innumerabiles tamen esse adhuc qui in tenebris et in umbra mortis sedeant; siquidem ethnicorum habita recenter ratione, ac decies millies centena millia numerantur. Ast multi adhuc sunt ethnici.

Nos, igitur, tam immensæ animarum multitudinis lacrimabilem sortem miserantes, cum, pro Apostolici sanctitate officii, nihil habeamus antiquius quam ut beneficia eis divinæ Redemptionis communicemus, equidem plurifariam in orbe catholico increbrescere illa, Dei nimirum Spiritu commota, studia bonorum in Missionibus exteris provehendis et explicandis, libenti sane gratoque animo videmus. Itaque ad ea ipsa studia fovenda usque quaque et incitanda, ut Nostro est muneri summisque votis consentaneum, lumine auxilioque Domini magnis precibus implorato, has vobis, venerabiles Fratres, mittimus litteras quibus vos vestrosque cleros ac populos hortamur, significantes quemadmodum huic gravissimæ causæ prodesse possitis. Quid ideo sit faciendum.

Primum omnium ad eos Nostra spectat oratio, qui, ut Episcopi aut ut Vicarii Præfective Apostolici, sacris præsunt Missionibus; ipsis enim cura omnis proxime incumbit Fidei propagandæ, in iisdem præsertim spem amplificationis suæ habet Ecclesia repositam. Quamquam non ignoramus quo fere sint ardore apostolatus, probeque novimus quæ quantæque iis vincendæ difficultates fuerint, subeundaque discrimina, his maxime postremis annis, non modo ne de suis præsidiis stationibusque decederent, sed ut regnum Dei etiam dilatarent. Ceterum, eorum erga hanc Apostolicam Sedem observantia ac pietate perspecta, confidenter ipsis, ut filiis pater, animum Nostrum aperimus. Hoc igitur ante omnia cogitent, se suæ quemque Missioni tamquam animam, ut aiunt, esse debere. Quamobrem suis sacerdotibus ceterisque sui muneris adiutoribus bono sint, verbis factisque, documento, animosque ac

I. Missionum præfecti,

quibus tam ardua fuerant superanda,

1/ *sacerdotibus*

suis animos addant et

stimulos addant ad sequenda usque meliora. Quotquot enim quoque pacto in hac vinea Domini operantur, experimento cognoscant opertet, planeque sentiant Missioni

patres se exhibeant sollicitos.

præsidere patrem, vigilem, diligentem, caritatis plenum, omnes et omnia summo studio complectentem, qui suorum rebus gaudeat prosperis, condolescat adversis, conatus coeptusque laudabiles secundet atque adiuvet, qui denique subditorum quæcumque sunt, ut sua propria respiciat. Omnino, prout una quæque gubernatur, ita varia est codditio et fortuna Missionum : quibus proinde valde perniciosum evenire potest, si quis ineptus minusve idoneus præponatur. Plerumque enim quisquis patriam carosque propinquos deserit, christiani nominis propagandi causa, is longo sæpiusque periculoso itineri se committit, alacer et promptus ad durissima quæque toleranda, dum quam plurimas Christo animas lucretur. Qui si diligenti præposito utitur, cuius sibi omnibus in rebus adsit prudentia et caritas, non est dubium, quin fructuosissima futura sit eius opera ; sin autem, valde est timendum ne, laboribus incommodisque paulatim defatigatus, ad extremum deficiat animo desidiæque se dedat.

2/ Zelose toti *missioni suæ convertendæ* allaborent.

Præterea qui Missioni præest, curare in primis debet ut eam usque promoveat pleneque explicet. Etenim, cum ea regio cuius terminis sua Missio circumscribitur, omnis quam longe lateque patet, ipsius sit mandata curæ, profecto omnium quotquot eadem in regione incolunt, ipsi omnino quærenda est salus sempiterna. Quamobrem si ex ingenti multitudine aliquot millia ethnicorum ad Fidem traduxerit, non ei fas erit in hoc acquiescere. Accuret quidem, tueatur et foveat eos quos iam Iesu Christo peperit, nec sinat ex eis dilabi quemquam et interire. Verum ne putet se fungi, ut oportet, officio, nisi ceteris etiam, quorum fere est nimio major numerus, veritatis vitæque christianæ compotes facere pro viribus et sine ulla intermissione contendat. Itaque ut ad aures singulorum eo celerius meliusque Evangelii prædicatio perveniat, multum proderit alias subinde missionalium stationes et sedes constituere, futuras tamquam totidem centra Vicariatibus aut Præfecturis novis, in quas, cum opportunitas adfuerit, eadem Missio dividatur. Quo loco debitas

condant novas stationes, centra novis Præfecturis,

tribuimus laudes Vicariis Apostolicis, quotquot sunt qui ea ratione, quam diximus, regno Dei nova semper incrementa parant : eamque in rem si domesticorum adiutorum copia sibi non suppetat, eos ex aliena religiosorum famillia vel societate libentissime accipere consueverunt.

At contra, quam non probandus ille foret qui Dominici agri partem, sibi assignatam ad exolendum, tamquam suam propriam possessionem haberet, quam prorsus nollet alienis manibus attingi. Quanta vere subeunda ei esset divini iudicii severitas, præsertim si — quod sæpius contingere memoravimus — christianis non ita multis circumfusa esset multitudo ethnicorum, quibus quidem erudiendis quum ipse cum suis verbi ministris non sufficeret, nollet aliorum operam advocatam adhibere. Atqui catholicæ Missionis præses, cui nihil aliud cordi sit nisi Dei gloria et salus animarum, undique ad sanctissimum munus adiutores, cum opus fuerit, conquirit, nec ii qui sint, suæ an alienæ familiæ aut nationis, quidquam pensi habet, *dum omni modo . . . Christus annuntietur :* (1) nec solum adiutores, sed adiutrices etiam, idest sorores religiosas adhibet ad scholas, ad orphanotrophia, ad nosocomia, ad domus hospitales, ad cetera caritatis instituta, in quibus novit, Dei providentis nutu, incredibilem quamdam vim ad fidem latius proferendam inesse.

advocantes, si necesse sit, operam aliorum,

etiam sororum religiosarum.

Ad hæc bonus Missionis præfectus non se intra suos fines continet, quasi aliena ducat omnia quæ foris fiunt, sed, urgente caritate Christi, cuius ad gloriam quidquid intersit, sua multum interesse putat, cum collegis finitimis amicitiam et necessitudinem studet habere. Multa enim sæpe exsistunt communia negotia ad eamdem regionem pertinentia quæ, ut patet, nisi communiter, expediri non possunt. Sed præterea magno cum Religionis emolumento Missionum præsides, quotquot poterunt, in unum statis temporibus convenient, ut consilia inter se conferant, mutuisque alloquiis confirmentur. Denique illud est quo quicumque Missionem regunt, ii suas præcipue curas oportet habeant conversas, ut sacrorum ministros de gente ipsa, in qua versantur,

3/ Cum *collegis finitimis*

communia negotia tractent,

conventus habeant.

4/ *Clerum indigenam* parent

(1) Philip., I, 18.

educent, atque instituant: id quod novarum ecclesiarum spem maxime continet. Nam sacerdos indigena, utpote qui ortu, ingenio, sensibus studiisque cohæreat cum suis popularibus, mirum quantum valet ad Fidem eorum mentibus insinuandam: multo enim melius, quam quisquam alius, novit quibus modis quidpiam eis persuaderi queat. Ita sæpe fit ut illuc faciles aditus habeat, quo advenæ sacerdoti pedem inferre non licet.

institutione perfecta

Iam vero clerum indigenam, ut speratos fructus afferat, omnino necesse est bene conformare et fingere. At nequaquam satis erit ad hoc institutio quædam inchoata et rudis, talis videlicet ut quis ad sacerdotium ineundum evadat idoneus, sed plena debet esse perfectaque et numeris omnibus absoluta, qualis sacerdotibus cultarum gentium tradi solet. Neque enim clerus indigena eatenus parandus est, ut missionarios advenas, humilioribus ministeriis addicti, adiuvent, verum ut ipse, par divino muneri obeundo, recte possit populi sui gubernationem aliquando suscipere. Nam ut Ecclesia Dei catholica est nullamque apud gentem vel nationem extranea, ita consentaneum est ex una quaque gente sacrorum administros exsistere quos divinæ legis magistros viæque ad salutem duces sequantur populares sui. Ubicumque igitur adsit quantum sat est indigenæ cleri eiusque bene instituti et vocatione sua sancta digni, ibi Missionarii opus feliciter expletum ecclesiamque præclare esse fundatam iure dixeris. Quod si forte ad eam labefaciendam procella dein persecutionis oriatur, non verendum est ne, eo fundamento iisque radicibus, non sit hostiles impetus latura.

ad plenam populi gubernationem,

Hoc enimvero tam grave muneris officium ut ex veritate æstimarent diligenterque exsequerentur, semper apud Missionum rectores institit Apostolica Sedes: cuius quidem in hoc genere studium clare indicant vetera et recentia huius Urbis Collegia clericis exterarum nationum instituendis, præsertim Orientali ritu. At, post hanc instantiam Pontificum, dolendum est, regiones esse, in quas abhinc pluribus sæculis catholica Fides illata sit, atque ubi tamen clerum indigenam, nisi deterioris notæ, non reperias: item populos esse nonnullos, mature Evangelii luce illustratos, qui ex barbaria ad eum iam humanitatis gradum emerserint, ut in omni civilium artium varietate præstantes

quod, non obstantibus S. Sedis monitis,

a quibusdum fuit neglectum.

viros habeant, quique, cum multa iam sæculâ salutari Evangelii Ecclesiæque virtute sint affecti, tamen adhuc nec Episcopos, a quibus regerentur, nec sacerdotes, quorum disciplina civibus imperitaret, efferre potuerint. Apparet igitur mancam mendosamque esse rationem ad hunc diem alicubi usitatam in educando clero qui se ad Missiones applicet: cuius quidem incommodi removendi causa, Sacro Consilio Propagandæ Fidei mandamus, ut quæ variis regionibus opportuna sint, constituat, et Seminaria, quæ regionibus singulis pluribusque simul diœcesibus usui sint, vel condenda curet vel condita iam recte gubernanda, præsertim vero sollicitum sit quemadmodum novus in Vicariatibus ceterisque Missionum locis clerus adolescat.

II. Ipsis Missionariis necessariæ sunt:

1/ *intentionis puritas*, qua,

excellentiæ muneris intenti,

non ducantur a/ studio patriæ terrenæ sed regni Christi,

Iam vos alloquimur, dilectissimi Nobis Filii, quotquot estis, Dominicæ vineæ cultores, quorum in manibus proxime posita est, cum christianæ sapientiæ propagatione, tot salus animarum. — Principio versetur vobis semper ante oculos excellentia magnitudoque muneris, in quod vester insumitur labor. Divinum est prorsus longeque ab humanarum rationum exiguitate remotum, quod vobis propositum est, iacentibus in mortis umbra lucem admovere et ruentibus in interitum cæli viam aperire. Intelligentes igitur vestrum unicuique dictum a Domino: *obliviscere populum tuum, et domum patris tui* (1), memineritis non hominum debere vos imperium propagare, sed Christi, nec patriæ quæ hic est, sed patriæ quæ sursum, cives adiicere. Ac miserum sane foret, si qui ex Missionariis ita suæ dignitatis immemores viderentur, ut potius de terrena patria quam de cælesti cogitarent, eiusque plus æquo studerent potentiam dilatare gloriamque super omnia extendere. Esset hæc quidem apostolatus pestis teterrima, quæ in Evangelii præcone omnes caritatis animarum nervos elideret, ipsiusque vulgo debilitaret auctoritatem. Homines enim, quantumvis barbari et immanes, satis bene intelligunt quid sibi velit, quid ab eis quærat Missionarius, sagacissimeque odorando perspiciunt, si qui aliud, ac ipsorum spirituale bonum, expetat. Fac vero eum terrenis aliqua ex parte

(1) Ps. XLIV, 11.

inservire consiliis, nec se virum undique apostolicum gerere, sed suæ quoque patriæ negotia procurari videri : continuo omnis eius opera in suspicionem veniet multitudini : quæ quidem facile adduci poterit in eam opinionem ut christianam religionem putet propriam cuiusdam externæ nationis esse, quam religionem qui amplexus sit, subiecisse se tutelæ imperioque civitatis exteræ, propriæque civitatis ius exuisse videatur.

Magnæ Nobis quidem ægritudini illa sunt de rebus Missionum commentaria, quæ hisce postremis annis vulgari cœpta sunt, in quibus non tam studium apparet Dei regnum dilatandi, quam propriæ civitatis amplitudinem augendi : miramurque in eis nihil curari quantum hæc abalienent a religione sancta animos ethnicorum. Haud ita Missionarius catholicus, hoc dignus nomine : sed is perpetuo recogitans, se nequaquam pro sua ipsius natione, verum pro Christo legatione fungi, ita se gerat ut quilibet sine ulla dubitatione agnoscat ejus ministrum religionis quæ, cum omnes complectatur homines, in spiritu et veritate Deum adorantes, nulli est nationi extranea, atque *ubi non est Gentilis, et Iudæus, circumcisio, et præputium, Barbarus et Scytha, servus, et liber : sed omnia, et in omnibus Christus* (1). Alterum autem perdiligenter Missionario cavendum, hoc est ne alios quæstus velit facere quam animarum. Verum hac de re non attinet plura dicere. Nam quem cupiditas teneat lucri, quomodo ille divinæ gloriæ studebit unice, ut oportet, in eamque promovendam, alios revocans ad sanitatem, paratus erit sua omnia vitamque ipsam impendere? Accedit quod ob eam causam multum ei decederet auctoritas apud infideles, maxime si, quod proclive factu est, studium rei quærendæ in avaritiæ vitium iam abiisset; cuius quidem sordibus nihil est nec hominibus contemptibilius nec Dei regno magis indignum. Bonus igitur Evangelii propagator perstudiose in hoc etiam sequetur gentium Apostolum, cuius non solum est illa ad Timotheum hortatio : *habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus* (2), quandoquidem usque eo

b/ nec lucri cupiditate ;

(1) Coloss., III. 11.
(2) I Tim. VI, 8.

laudem abstinentiæ magni fecit ut, operosissimi distentus curis, tamen labore et manu sibi victum compararet.

Sed enim Missionario, priusquam ad apostolatum accedat, adhibenda est præparatio diligens: quamquam quispiam dicat non esse tot rerum scientiam ei necessariam qui gentibus ab humanitate remotissimis sit Christum nuntiaturus. Nam, licet controversia esse non possit quin ad salutarem animorum conversionem plus virtutum ornamenta valeant quam litterarum, tamen si qui bono tamquam commeatu doctrinæ non sit instructus, multum sibi sæpe sentiet deesse præsidii ad sancti ministerii fructum. Neque enim is raro et librorum copia caret et doctorum, quos consulat, consuetudine, cum tamen respondere rogantibus, quidquid contra fidem obiecerint, quæstionesque dissolvere, vel perdifficiles, debeat. Ad hæc, quo is se eruditiorem ostendet, eo maior eius erit vulgo opinio, præsertim si in populo versabitur, apud quem in honore et in pretio sint studia doctrinæ; quo quidem in genere nimium sane dedeceret veritatis nuntios a ministris errorum superari. Itaque, dum alumni sacrorum, quos Dominus advocet, ad apostolicas expeditiones rite instituentur, omnino eos in omnibus disciplinis, tum sacris tum profanis, quæ Missionariis opus sint, erudiri oportebit. Id ipsum fieri, uti par est, in scholis Pontificii Collegii Urbaniani christiano nomini propagando, volumus: in quibus etiam proprium magisterium scientiæ rerum quæ ad missiones pertinent, tradendæ posthac esse iubemus.

2/ diligens præparatio ad scientiam.

In iis vero quæ Missionarius percepta et cognita habeat necesse est, præcipue est numerandus, ut apparet, sermo populi, cuius se saluti devovebit. Nec enim contentus esse debebit levi quadam huius cognitione sermonis, sed tanta ut expedite atque emendate loqui possit. Siquidem omnibus, imperitis æque ac doctis, debitor est, nec ignorat quam facile quis possit, bene loquendo, alicere ad benevolentiam animos multitudinis. Ac præsertim explicationem doctrinæ christianæ non catechistis committat diligens Missionarius, sed hanc provinciam, velut sibi propriam, atque adeo ut potissimam sui muneris partem, ipse retineat, qui non est aliam ob causam missus a Deo, nisi ut Evangelium prædicaret. Eidem autem interdum continget ut, tamquam

notatim cognitio sermonis populi;

religionis sanctæ nuntius et interpres, primoribus populi se sistere debeat, aut in cœtus doctorum hominum invitetur: tum vero qua ratione is suam tuebitur dignitatem, si sermonis inscitia exprimere sua sensa prohibeatur? — Nos igitur hoc ipsum attendimus nuper, cum, catholici nominis apud Orientales incremento et propagationi consulentes, peculiare in Urbe studiorum domicilium instituimus, ubi qui apostolatum in iis regionibus obituri essent, gnari scientesque linguarum morumque Orientis, ceterisque præsidiis instructissimi evaderent. Quod quidem Institutum cum magnæ opportunitatis Nobis videatur, hac utimur occasione ad exhortandos, quotquot sunt, moderatores religiosarum familiarum, quibus Orientales Missiones sunt demandatæ, ut suos alumnos, iidem Missionibus destinatos, ea disciplina excolendos expoliendosque curent.

3/ *vitæ sanctimonia.*

At, qui se ad apostolicum munus recte accingit, unum necesse est ante omnia sibi comparet, utpote maximi momenti ac ponderis, videlicet, quod supra memoravimus, vitæ sanctimoniam. Etenim homo Dei sit oportet, qui Deum prædicat; oderit peccatum, qui odisse peccatum iubet. Maxime apud infideles, qui sensu potius, quam rationibus, ducuntur, multo plus proficitur fidem exemplis prædicando quam verbis. Esto igitur Missionarius omnibus mentis animique laudibus præditus, omnibus doctrinis excultus, omni humanitate politus; nisi hæc cum morum innocentia cohæerant, parum aut nihil efficacitatis habebunt ad salutem populorum, imo plurimum et ipsi et ceteris obesse possunt.

Ab hac enim conjuncta cum pietate, pendet Dei adjumentum

Sit ille igitur in exemplum humilis, obediens, castus, sit præcipue pius, sanctæque orationi ac perpetuæ cum Deo coniunctioni deditus, sedulo apud eum causam agens animarum. Quanto enim fuerit Deo coniunctior, tanto plus ei divinæ gratiæ et adiumenti impertietur. Audiat autem Apostolum sic hortantem: *Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam* (1). Harum ope virtutum patens planusque in animos hominum est veritati aditus, quibusvis submotis

et fœcundi-

(1) Colos. III, 12.

impedimentis, neque enim ulla est adeo contumax voluntas quæ eis facile obsistat. Ergo Missionarius, qui quidem ad similitudinem Iesu Domini flagret caritate, cum vel perditissimos ethnicorum numeret inter filios Dei, utpote eodem divini sanguinis pretio redemptos, non eorum vel inhumanitate irritatur, vel morum perversitate percellitur, non eos despicit aut fastidit, non acerbe atque dure tractat, verum omnibus christianæ benignitatis officiis studet allicere, ut ad complexum Christi, Pastoris Boni, aliquando perducat. In quo illud Scripturæ Sanctæ meditari consuevit: *O quam bonus, et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis: et de quibus peccant, admones et alloqueris, ut relicta malitia, credant in te, Domine... Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, et cum magna reverentia disponis nos* (1) Quid vero est aut difficultatis aut molestiæ aut discriminis, quod talem Iesu Christi legatum ab incœpto remoretur? Nihil sane: nam, gratissimus in Deum qui se tam celso muneri destinavit, omnia quæcumque inciderint adversa et aspera ad tolerandum, labores, contumelias, inopiam, famem, mortem ipsam quamvis crudelem, magno complectitur animo, dum vel unam ex infernorum faucibus animam eripiat.

tas laboris apostolici.

Ita affectus animatusque, Christi Domini Apostolorum exemplo, ad suum munus fungendum fidenter Missionarius aggrediatur: sed omnem fiduciæ suæ rationem in Deo collocabit. Divinum est hoc totum, ut diximus, christianam propagare sapientiam, cum solius Dei sit penetrare in animos, ut et mentes splendore veritatis illustret, et voluntates igniculis virtutum inflammet, et idoneas vires homini, ad sequendum efficiendumque id quod verum bonumque cognoverit, adiiciat. Quare, nisi ministro elaboranti Dominus adfuerit, is frustra contendet. Idem nihilo minus tamen strenue pergat pro instituto contendere, auxilio nimirum fretus divinæ gratiæ, quæ nunquam, eam roganti, defutura est. — Quo loco prætereundæ silentio non sunt mulieres, quæ iam inde a rei christianæ primordiis egregiam operam studiumque Evangelii præconibus navare consueverunt.

Laudandæ *religiosæ* missionibus addictæ.

(1) Sap. XII, 1, 2, 18,

Ac dignæ sunt quæ præcipua cum laude hic commemorentur virgines illæ Deo devotæ, quæ in sacris Missionibus frequentes versantur, puerorum educationi, pietatisque et beneficentiæ multiplicibus institutis addictæ; volumusque hæc suorum commendatio meritorum illis ad bene de Ecclesia sancta merendum animos addat et alacritatem. Illæ autem pro certo habeant tanto suam operam fore utiliorem, quanto magis suæ ipsarum perfectioni spiritus studierint.

III. Universi fideles missionibus opitulentur:

Affari iam libet universos omnes, quicumque, magno Dei miserentis munere, veræ sunt Fidei compotes et innumerabilia, quæ inde manant, beneficia participant. Ac primum attendant oportet quam sancta teneantur lege sacris ad infideles Missionibus opitulandi. Etenim *mandavit* (Deus) *unicuique de proximo suo* (1); quod mandatum eo quidem urget gravius, quo proximum premit maior necessitas. Ad vero quod genus hominum magis fraternæ opis indiget, quam infidelium, qui cum Deum ignorent, cæcis effrenatisque cupiditatibus devincti, pessimam omnium, sub diabolo, serviunt servitutem? Quotquot igitur his illuminandis opem pro facultate attulerint, præsertim Missionalium operam adiuvando, ii et maxima in re officii partes expleverint et grates Deo acceptissimum in modum de Fidei beneficio persolverint. Iamvero triplicis generis sund adiumenta quæ Missionibus afferri possunt, quæque Missionales ipsi rogare non desinunt. Primum est, quod quidem cuique præstare licet, ut propitius eis Deus invocetur. Semel iterumque iam diximus inanem atque irritum, a Missionariis insumptum laborem fore, nisi eum divina gratia fecundarit, Paulo testante qui ait: *Ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit* (2). Huius autem gratiæ impetrandæ una via est eaque in perseverantia humilium precum consistit, nam *de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo* (3) dicit Dominus. Quæ preces, si unquam alias, sane effectu carere non possunt in hac causa, qua nulla præstantior, nulla gratior Deo est. Quemadmodum igitur dum Israelitæ cum

1) *orando;*

(1) Eccli., XVII, 12.
(2) I, Cor., III, 6.
(3) Matth. XVIII, 19.

Amalec præliabantur, interea Moyses in summo colle divinam eis opem sublatis manibus impetrabat, ita Evangelii propagatoribus laboriose in vinea Domini se exercentibus omnes debent Christifideles sanctarum precationum ope suffragari. Cui quidem officio rite exsequendo cum proprie institutus sit *Apostolatus precationis* qui dicitur, eum hic vehementer bonorum universitati commendamus, optantes ut nemo se ab eius consortione abstineat, sed velint, quotquot sunt apostolici laboris si non re at studio esse participes.

Secundo loco, Missionalium paucitati medendum est; quæ cum antea non exigua esset, summa iam facta est confecto bello, ut multæ Dominici agri partes a cultoribus vacent. In quo vestram præcipue, venerabiles Fratres, advocatam desideramus diligentiam; vosque rem facturi estis vestro religionis amore in primis dignam, si et in clero et in Seminario diœcesano apostolatus semina, quæ quis forte sibi inesse ostenderit studiose foveatis. Nec vos ulla species recti decipiat aut humana aliqua ratio permoveat, quasi, quod exteris Missionibus permiseritis, id de utilitate diœcesis vestræ detraxisse videamini. In locum enim unius quem dimiseritis foras, plures domi sacerdotes perutiles Deus vobis suscitabit. Qui vero Ordinibus Institutisve religiosorum præsunt exteras colentibus Missiones, oramus et obsecramus ne ad tantum opus nisi sodalium lectissimos destinent, eos, scilicet qui et vitæ innocentia et devotionis ardore et animarum studio præstare videantur. Idem autem cum Missionarios suos cognoverint in aliquo populo ab impura superstitione ad christianam sapientiam traducendo feliciter esse versatos, ecclesiamque ibi satis firme fundasse, eos, ut electos milites Christi, ad aliam gentem ex diaboli manibus eripiendam transferant, et quicquid ab illis iam quæsitum Christo sit, aliis, cultura promovendam in melius, haud inviti relinquant. Quo pacto, opimam facientes tamquam messem animarum, uberrima, quoque suis Familiis divinæ bonitatis munera acquirent.

2) *missionarios* mittendo

tam ex clero sæculari

quam ex regulari

dotibus præstantes;

Denique opes et eæ non ita tenues requiruntur ad Missiones tuendas, maxime cum earum necessitates ex bello in immensum creverint, tot scholis et nosocomiis et domibus hospitalibus et gratuitis rerum diribitoriis aliisque sublatis extinctis. Hic enimvero bonos omnes appellamus, ut liberales pro

3) *opes conferendo.*

facultatibus exsistant. Nam *Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo; quomodo charitas Dei manet in eo?* (1) Ita quidem Ioannes Apostolus, de illis loquens qui rerum externarum necessitate premantur. At quanto est sanctius observanda caritatis lex in hac causa, cum agitur non solum ut inediæ ceterisque miseriis infinitæ multitudinis subveniatur, sed etiam et in primis ut tam ingens animarum numerus e superbo Satanæ dominatu in filiorum Dei libertatem vindicetur? Quare illa præsertim quæ in sacrarum Missionum commodum sunt instituta, adiuvari catholicorum liberalitate cupimus. Primum est Opus quod appellatur a *Propagatione Fidei*, pluries iam a decessoribus Nostris dilaudatum; ex quo ut vel maior fructuum optimorum ubertas exsistat in posterum, volumus sacrum Consilium christiano nomini propagando diligentissime curet. Maxime enim ex eo copiæ suppetant oportet unde Missiones tum quæ iam sunt conditæ tum quæ posthac condendæ erunt, sustententur: confidimus autem non permissurum catholicum orbem ut, cum alii ad errores diffundendos abundent affluantque opibus, nostri verum disseminantes cum inopia luctentur. Alterum, quod etiam vehementer omnibus commendamus, est *Sanctæ Infantiæ* Opus, cuius est vigilare ut infidelium parvulis decedentibus baptismus ministretur: idque eo est commendabilius, quia pueri quoque nostri ipsum participare possunt, itaque, mature intelligentes quanti sit Fidei donum, suam operam ad illud cum aliis communicandum discunt conferre. Nec vero prætermittendum est *Opus Sancti Petri*, ut aiunt, quo educatione atque institutioni cleri indigenæ Missionum consulitur. — Ad haec diligenter observari volumus quod est a decessore Nostro fel. rec. Leone XIII præscriptum, ut in festo Epiphaniæ Domini in omnibus orbis terrarum sacris ædibus stipes « pro redimendis captivis ex Africa » corrogentur, et quantum collectum erit pecuniæ, ad S. Consilium Fidei Propagandæ mittatur.

Promoveantur opera

Propagationis fidei,

S. Infantiæ,

S. Petri;

Sed quo certius uberiusque optata Nostra eveniant, debetis omnino, venerabiles Fratres, vestri cleri disciplinam

(1) I. Io. III, 17.

peculiari quodam modo ad Missiones dirigere. Vulgo enim fideles ad opitulandum hominibus apostolicis inclinant et propendent ; vosque hac animorum propensione sapienter utamini, ut quam maximo Missionibus sit emolumento, Scitote igitur Nos cupere, in omnibus orbis catholici diœcesibus eam quam vocant *Missionalem cleri consociationem*, institui, quæ in dicione sit Sacri Consilii christiano nomini propagando, cui quidem Sacro Consilio omnem iam huius rei fecimus facultatem. Orta ea nuper in Italia, brevi in alias regiones diffusa est ; Nostroque studio cum floreat, multis iam est a Nobis pontificalis indulgentiæ muneribus ornata. Et merito : nam eius instituto clericorum actio optime ordinatur, cum ad iniiciendam christianis curam de tot ethnicorum salute, tum ad opera ea cuiusvis generis provehenda, quæ in Missionum utilitatem Apostolica hæc Sedes iam probarit.

ubiquæ instituatur *Missionalis cleri consociatio.*

Hæc, venerabiles Fratres, de fidei catholicæ toto orbe propagatione scribere ad vos habuimus. Iam vero, si suo quisque officio, uti par est, omnes satisfecerint, Missonarii foris, Christifideles domi, bona nitimur spe, futurum ut, ex maximis belli vulneribus damnisque refectæ, celeriter sacræ Missiones revirescant. Atque hic, tamquam hortante nos, ut olim Petrum, ea Domini voce : *duc in altum* (1), quanto urgemur paternæ caritatis ardore, ut innumerabiles, qui nunc sunt, homines ad ipsius complexum adducamus. Etenim alitur vigetque semper Dei Spiritu Ecclesia ; nec suo possunt effectu carere tot hominum apostolicorum studia, qui ad eam amplificandam laboraverunt adhuc et laborant. Horum autem exemplis excitati, existent subinde plurimi, qui, bonorum et pietate et munificentia suffragante, lætissimam parient Christo copiam animarum.

Exhortatio finalis.

Faveat communibus votis Magna Dei Parens, Regina Apostolorum, Evangelii præconibus effusionem Sancti Spriritus conciliando ; cuius auspicem et benevolentiæ Nostræ testem, vobis, venerabiles Fratres, et clero popu-

(1) Luc V, 4.

loque vestro apostolicam benedictionem paramanter impertimus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum die XXX novembris MCMXIX, Pontificatus Nostri anno sexto.

BENEDICTUS XV PP.

DE SANCTISSIMA TRINITATE CONTEMPLATIO.

O sanctissima Trinitas divina, quæ unus Deus es, omnipotens, ipsa Sapientia, ipsaque Bonitas ; o Trinitas beatissima, super omnia benedicta, veneranda, amanda atque glorificanda, Te adoro meque Tibi cum profundissima animi summissione seu humilitate subjicio, Te super omnia unice diligo atque amo, meque ipsum et omnia, quiquid sum et habeo, a Te accepta, in gloriam Tuam ex integro refero.

*
* *

Tu, gratuito supra omnem exigentiam viresque cujuscumque naturæ finitæ beneficio, beatificæ visionis Tuî, Tibi soli natura propriæ, participes esse Tuaque ipsius beatitudine æternum perfrui voluisti creaturas tuas intellectuales, dummodo hæ, per breve tempus probationis, donis Tuis, pariter supra omnem naturam creatam vel creabilem easdem extollentibus tantoque fini aptantibus, rite uterentur ad eumdem finem sublimem attingendum.

*
* *

Et rectus quidem illorum donorum usus mihi hic est ut, vita supernaturali per gratiam sanctificantem potitus, intellectu fide divina illustrato Te agnoscam, principium et finem meum, Teque, nondum visum, fide nuda, simplici, pura ac vivida, utpote scientiæ Tuæ divinæ participatione quadam, *supra omnem* aliam cognitionem, apprehendam, assidueque contempler ; ut spe divina Tibi, summo bono ac fini meo, *supra cuncta* creata ac fluxa bona, inhærens, ab Omnipotentia Tua auxiliante

expectem omnia necessaria ac opportuna subsidia ad finem illum beatum consequendum ; ut tandem Tibi, licet nondum plene possesso, per charitatem *super omnia* quam intime conjungar, omneque opus bonum virtutum quoque moralium, charitate formatarum, perficiam, movente et adjuvante gratia tua, cujus motioni per dona Spiritus sancti, mihi pariter tam liberaliter supra naturam infusa, prompte obsequar.

***

Igitur Te, individua Trinitas unaque Deitas, oro ferventissime ut, donec veniant visio illa beata et amor ille beatificus, in præsenti jam caligine, aliqua saltem contemplatio Tui intellectum meum, fide illuminatum, totum occupet, utque amor Tuî voluntatem, charitate informatam, integram insumat, ita ut Tu sis objectum omnis cogitatus mei ac mentalis intuitus, omnis desiderii et spei meæ, omnis dilectionis et amoris, omnis fruitionis ac delectationis meæ.

***

Ast, qua ratione contemplari Te potero, o Trinitas, Deus, qui incomprehensibilis et ineffabilis es cuicumque menti finitæ ?

Quomodo spiritus infimus, materiæ quasi immersus, intuebor Te spiritum infinitum, actum purum intelligendi et volendi, cujus ipsa simplicissima ac infinita perfectione fit ut sis Unus essentia, Trinus in personis ?

Quomodo ego, impurus et iniquitatibus onustus, purum Lumen, ipsamque Justitiam ac Sanctitatem aspicere potero vel ausus ero ?

Quomodo ? Nisi prius ex gratia Tua vere contritus ac pœnitens, et pro posse ab omnibus inquinamentis et ab affectibus inordinatis purgatus, sed et ab omni vinculo terrenarum rerum solutus ?

*
* *

Atvero, etiamsi nullum hujusmodi impedimentum me gravarit et retinuerit, certe propriis naturæ viribus intellectualibus Te ipsum contemplari non valebo, quibus vix, ex operibus tuis, Te existentem agnoscere possum omnium Artificem, atque per speculum creaturarum et in enigmate omnimodam perfectionem Tuam, in easdem creaturas quadamtenus impressam inque iis a longe relucentem, quasi per partes et fragmenta modoque obscuro et imperfecto nimis, assequi valeo.

*
* *

Quid ergo ? Te ipsum, quis et qualis in Te ipso es, frustra tentarem contemplari, nisi Tu ipse Te revelasses, non quidem jam nunc videndum, at cognoscendum tamen, ut in Te es, ac credendum, fidendo nempe verbo Tuo infallibili, idque non fide qualicumque sed divina a Te supra naturam infusa quæ scientiæ Tuæ me participem efficit, et qua supernaturaliter apprehendo ipsam divinam locutionem Tuam. O bona, summa benefica Trinitas, unus Deus, qui mihi hanc fidem dedisti, omni naturæ dono longe pretiosiorem, Teque ipsum, sicuti es, elocutus, per hanc fidem mihi manifestas arcana miranda divinitatis Tuæ, qualia absque hac dignatione Tua non licuit nec licet ulli intellectui creato ac finito assequi et agnoscere.

*
* *

Attamen adhuc fides est, non visio, nec vel talis agnitio, qua posita, intellectus sibi rationem reddat rei cognitæ seu demonstrare valeat rei cognitæ veritatem. Quomodo ergo jam potero Te, summe Deus, contemplari, quod intueri seu videre quoddam est ?

Quomodo ? Nisi in me operante Te, qui omnia potes ?

Et, omissis quidem viis mirabilibus ac insolitis per quas nonnumquam animas puras et electas duxisti, mihi licet indigno, gratia Tua ordinaria largiri haud dedignaberis aliquam Tuî contemplationem, unionemque Tecum contemplativam. Videlicet, benigne des mihi, quæso, primum *credere ut intelligam,* deinde *intelligere ut gustem,* tandem *gustare ut quadamtenus videam* seu contempler, sicuti per Psalten tuum nos mones : « *Gustate et videte* quoniam suavis est Dominus. » (Ps. XXXIII).

*
* *

Itaque, primum, *credere* volo ut intelligam (ANSELM., *Proslog.*, C. I). Scio quidem fidem non esse sine aliquo intellectu seu notitia credendorum ; scio quoque rationem sub aliquo respectu necessario præire fidei, quippe quæ rationabilis est assensus ; verum fides « qua, dicente Augustino (1), cor mundatur, ut magnæ rationis capiat et perferat lucem », sub altero proin respectu antevertit rationem, et rei creditæ notitiam perficit, ejusdemque intelligentiam præbet ampliorem, solidiorem, profundiorem, clariorem.

Igitur credo Te, Domine mi Deus, esse unam summam rem, incomprehensibilem ac ineffabilem, infinitum et omnimodo simplex Esse, Spiritum absolute perfectum, actum purum intelligendi ac volendi, cujus ipsa infinita opulentia ac fœcunditate fit ut sis necessario unus ac unicus essentia, natura seu substantia, et Trinus in Personis, seu Relativis subsistentibus in una illa eadem essentia ; nempe per duas admirabiles processiones, unam secundum intellectum, alteram secundum voluntatem, æternas, incommutabiles, semper præsentes, sine successione aut intermissione ; ita ut sit Principium non de principio, Ingenitus ac Innascibilis, Pater, ex quo procedit per generationem intellectualem Filius,

(1) *Ad Consentium*, epist. 120, n. 2-4.

seu Verbum, imago substantialis, consubstantialis Patri, splendor gloriæ et figura substantiæ ejus ; et ex Patre Filioque, tamquam ex uno principio, procedat secundum voluntatem Spiritus sanctus, amor substantialis utriusque.

Hæc est fides mea, et « quousque ad plenitudinem cognitionis perfectionemque perveniam, ab itinere fidei non recedam (1). » Et credo ut intelligam, nam post fidem inducitur ratio, non quæ sufficienter probet radicem, ut loquitur divus Thomas (2), sed quæ radici jam positæ per revelationem et fidem, ostendat congruere consequentes effectus.

*
* *

Re quidem vera, credo *ut intelligam*. Etenim divina fide aliquatenus particeps factus divinæ Tuæ scientiæ, o Deus Trinitas, et sic nuda, pura et simplici fide tibi immediate unitus, supra aliam omnem cognitionem ascendi, et jam clarius intelligere potero plura mirabilia arcanorum Tuorum.

Hac fide intelligo, o beatissima Trinitas, esse divinam Tuam essentiam realiter unam, identicam cum singulis, sicuti cum tribus relativis subsistentibus seu personis. Licet sub notione essentiæ non concipiam explicite personas, eamque considerare possim cum abstractione formali a personis, implicite tamen sub essentia comprehendo personas, neque essentiam cum præcisione objectiva a personis intelligere possum. Tres igitur personas intelligo eamdem essentiam seu perfectionem infinitam esse, cum expressa mentione trium personarum, unamque personam rursum eamdem esse essentiam, cum expressione unius personæ et cum comprehensione implicita duarum reliquarum, quatenus identificantur cum eadem essentia : — sic circumin-

(1) Cf. *Augustinum*, ibid.
(2) 1ª q. XXXII, a. 1, ad 2m.

sessionem et immanentiam mutuam personarum significans — et quatenus propterea sub formali ratione relativorum subsistentium eas pertinere intelligo ad perfectionem uniuscujusque personæ, non quidem ut illam constituentes, cum una proprietas tantum relativa unam personam constituere intelligatur, sed ut termini intrinseci, ita ut Pater non intelligatur nec sit sine Filio, nec Filius sine Patre, nec uterque sine Spiritu sancto, neque hic sine illis — sicque plenius concipio circuminsessionem seu potius circumincessionem, id est immeationem mutuam divinarum personarum.

Inde quoque perspicio non esse plus perfectionis in tribus personis quam in singulis, cum sit eadem trium essentia infinita ; et rursum intelligo perfectionem relative conceptam singulorum esse in tribus et singulis, at diverso modo : sic paternitatem esse in Patre, ut constituentem personalitatem Patris, in Filio vero ut in termino intrinseco procedente ; vicissim filiationem formaliter ut constituentem personalitatem Filii, esse in solo Filio, eamdem tamen perfectionem esse in Patre, ut in principio a quo procedit Filius ; item quidquid perfectionis est in Patre et Filio, eamdem esse in Spiritu sancto, siquidem paternitas et filiatio ratione tantum distinguitur a spiratione activa, et hæc in pleno conceptu Patris necnon Filii comprehenditur, unde et Spiritus sanctus habet quidquid perfectionis est in paternitate et filiatione, seu in Patre et Filio, non quidem ut constituens suam personalitatem, sed quatenus est terminus intrinsecus spirationis.

Hæc considerans Augustinus, beatus Tuî, o beatissima Trinitas, contemplator assiduus, præclare eloquebatur dicens (1) : « Hic in rebus corporeis non tantum est res una quantum tres simul, et plus aliquid sunt duæ quam una res ; cæterum in illa summa Trinitate tantum est una quantum tres simul, nec plus aliquid

(1) *De Trinitate*, l. VI, c. X, n. 12.

sunt duæ quam una. Et in se infinita sunt. Ita et singula sunt in singulis et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia. Qui videt hoc vel ex parte, vel per speculum et in ænigmate, gaudeat cognoscens Deum, et sicut Deum honoret et gratias agat ; qui autem non videt, tendat per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum. Quoniam unus est Deus, sed tamen Trinitas. »

Profecto ex iis esse volo, o Deus Trinitas, qui Te honorent Tibique gratias agant. A te siquidem accepi hanc fidem, per Te credidi ut intelligerem, et gavisus sum nimis Te cognoscens.

*
* *

Ast, rursum nondum est contemplatio, quod est videre quoddam seu intueri. Ascendam ergo altius, quantum potuero, memor dictum esse : *Gustate* et *videte*, et conabor *gustare ut contempler*.

Igitur fidei tamquam fundamento ac radici innixus, et eadem nuda, pura, simplici atque vivida fide Deo immediate unitus, jam juvantibus donis Spiritus sancti, præprimis intellectus et sapientiæ seu sapidæ scientiæ, superius explicata mirabilia Dei summa cum admiratione, ardenti cum amore et maximo cum gaudio ac delectatione gustabo, ita ut ea non meris viribus, elevati licet, intellectus, sed et gustu connaturali seu sympathia cum rebus divinis seu cum ipsa divina Trinitate, apprehendam. Hoc gustu quem tum animo a creaturis prævie abstracto ac vitæ omnimoda puritate, tum Tuî amore summo ac modinescio obtinere conabor ; hoc gustu plane cælesti, quem a Te, o celsissima ac suavissima Trinitas, supplex peto, jam gustabo ut videam, et videbo Te, non quidem visione faciali, bene vero directo quodam, sine ambagibus ratiociniorum, unoque intuitu, quam contemplationem obscuram vocant mystici ; non proinde secundum perfectum usum intel-

lectus seu stricte dictam visionem, sed per connaturalitatem illam seu sympathiam cum rebus divinis (1), id est Tecum, o benedicta Trinitas, prius summe dilecta et delectabiliter gustata.

O præcelsa Trinitas, quam bonum est hoc saltem modo et vel « in ictu trepidantis aspectus », ut Augustinus ait (2), Te amorose et fruitive contemplari ; donec illucescat dies æternitatis et dissipentur umbræ præsentis caliginis, veniatque visio facie ad faciem.

Interim gustabo et videbo quam magnus et quam suavis est Dominus, gustabo ut contempler, neque a gustando et contemplando cessabo, donec ad beatificam visionem, Te largiente, aliquando perveniam.

O quam jucunda et suavis, etiamsi obscura, contemplatio Tuî, summa Trinitas, una Deitas ! Quam tamen suavitatem, ipsamque futuram beatitudinem, sicut et omne quod sum et habeo, ad re refero, in honorem et gloriam Tuam, o Trinitas æternum benedicta !

---

(1) Cf. S. Thomam, 2, 2, q, XLV, a. 2.
(2) *Confess.*, l. VII, c. XVII, n. 23.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

II

Q. *Explica hoc assertum:* In hac vita, nostra cognitio de Deo non est nisi mediata et analogica.

R. A. Duplex de Deo ac de divinis rebus datur cognitio: *naturalis* scilicet et *supernaturalis:* utraque differt ab altera, tum principio subjectivo, tum objecto.

Cognitionis naturalis *principium subjectivum* est facultas intellectiva naturali virtute operans, *objectum* autem est omne verum quod prædicta facultas detegere potest de Deo et de iis quæ ad Deum pertinent.

Cognitionis supernaturalis *principium subjectivum* adæquatum est intellectus intrinsece elevatus entitate supernaturali, sive transeunte, sive habitualiter inhærente, *objectum* autem est vel complexus veritatum a Deo revelatarum et præcipue mysteriorum (1) vel ipsa essentia Dei immediate in semetipsa cognita. Quum agatur de intellectuali cognitione, quæ in *hac vita*

(1) Dico præcipue mysteriorum: hæc enim sunt *proprium* objectum cognitionis supernaturalis, quæ ad hanc pertinent *per se*, quia non nisi divina revelatione innotescere possunt: his veritatibus proprie differt ratione objecti cognitio supernaturalis a naturali. Quod exponitur in definitione Concilii Vaticani: « Hoc quoque perpetuus Ecclesiæ catholicæ consensus tenuit et tenet duplicem esse ordinem cognitionis non solum principio sed objecto etiam distinctum: principio quidem quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus, objecto autem quia præter ea, ad quæ naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quæ, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt » Sess. III, *Const. de fide catholica*, c. 4, DENZINGER-BANNWART, *Enchidion*, Friburgi Br., 1911, n. 1795.

habetur, non consideranda intuitiva Dei visio, quippe quæ mero homini non nisi post hanc mortalem vitam conceditur (1).

B. Quid importet cognitio *mediata* et *analogica* explicatur.

Mediata est cognitio qua et quatenus aliquid ex alio *cognito* cognoscitur, v. gr. qua causa detegitur et apprehenditur ex effectu (2), vel qua conclusio perspicitur ex præmissis et sub evidentia connexionis inter antecedens (seu præmissas) et consequens. Ut cognitio sit mediata, oportet detur medium *objectivum*, nempe ut sit objectum *cognitum*, quod ut cognitum est id ex quo aliud cognoscitur (3).

Analogica est cognitio quando apprehenditur res non prouti est in propria natura, sed tantum per proportionem, vel similitudinem, vel relationen quam habet cum alia re. Nempe opponuntur cognitio *propria* et cognitio *analogica :* prior habetur quando objectum cognitum est ratio seu essentia rei prouti est in se ipsa ; secunda vero habetur quando objectum cognitum est ratio seu essentia rei quatenus intentionaliter concipitur a nobis ex alia re quarum connexa est. Homo, hac in terra degens, naturaliter habet cognitionem *propriam* essentiarum rerum materialium, v. gr. essentiæ hominis, equi, statuæ, etc. Rerum vero inmaterialium non nisi *analogicam* habet cognitionem,

---

(1) Videsis Van der Meersch, *Tractatus de Deo uno et trino*, Brugis, 1917, n. 283, 299 ss.

(2) Habetur etiam *sensibilis* cognitio quæ est mediata. v. gr. in speculo videtur objectum cujus imago exhibetur nobis in speculo.

(3) Cognitio non est mediata ex hoc quod perficitur medio *subjectivo*, nempe specie intelligiblii *impressa*, quæ est forma determinans intellectum ad actum intelligendi, et specie intelligibli *expressa*, quæ est terminus actus intelligendi. Species, sive impressa sive expressa, non est id quod cognoscitur, sed est intentionalis imago rei, qua imagine directe apprehenditur ipsa res cujus species est similitudo. Cf. De Jaegher, *Instit. Philos.*, Rollarii, 1914, n. 426, 428. Cognitio humana intellectualis igitur est mediata quando obtinetur vi *discursus* seu *ratiocinii*.

v. gr. essentiæ angeli, quam eatenus cognoscit homo quatenus infert essentiam angeli ex cognita essentia animæ humanæ quacum in quibusdam similis est angelus.

Nota. 1. Ut indoles cognitionis *analogicæ* perspiciatur perpendamus quod elementum *cognoscitivum,* in quo habetur *analogia*, est *conceptus* seu *apprehensio*, non autem judicium, seu ratiocinium (1). Etenim imprimis analogici dicuntur termini *orales* seu nomina, et consequenter termini *mentales* seu conceptus : omnino enim connectuntur *orales* et *mentales* termini quum illi sint horum signa. Porro analogicus est conceptus « ille qui, dum prædicatur de subjectis diversis, accipitur ratione non simpliciter sed proportionaliter tantum eadem » (1). Nempe tunc analogus habetur conceptus, quando ratio concepta seu forma nomine significata competit quidem diversis subjectis sed *alio et alio modo*, aliis verbis, quando ratio formaliter significata per nomen est quidem *communis* diversis subjectis, sed *aliter et aliter* illis inest vel illis competit. Inde dantur diversæ species analogiæ, de quarum denominatione non omnes auctores idem tenent. Sed hoc omisso, unum tradimus exemplum, in quo analogia clare apparet : planta est vivens, equus est vivens, homo est vivens, angelus est vivens, Deus est vivens. Perfectio formaliter significata per nomen *vivens* vere inest singulis subjectis, sed in his *aliter et aliter* verificatur : planta vere vivit, sed vivit aliter ac equus, etc. *Ratio formalis vitæ* verificatur in singulis : sed *aliter et aliter ;* differentia est *in modo* quo *ipsa vita* verificatur, adeoque vivens dicitur analogice, et conceptus vivens est analogus (3).

Conceptus perfectionum simplicium sunt analogi : v. gr.

---

(1) Ne confundatur *analogia* conceptuum, de qua hic agimus, cum argumentatione ex analogia, quæ ad inductionem reducitur. Cf. DE JAEGHER, *Institutiones philosophicæ*; Rollarii, 1914, n. 76.

(2) DE JAEGHER, *o. c.*; n. 17.

(3) Si differentia non esset in modo quo verificatur ipsa *ratio formalis* vitæ, non esset analogia : ita ratio *animalis* est conceptus *univocus ;* quia illa ratio *eodem modo* verificatur in homine et in bruto, ratio *rationalis*, quæ est differentia specifica hominis, est *extra* rationem formalem *animalis*.

ens, vivens, intelligens, etc. proinde illi conceptus objective spectati nullam imperfectionem includunt, nempe ratio concepta est ipsa perfectio, abstractione facta *a quolibet modo* quo verificatur : quando judico : « homo est intelligens », assero perfectionem, formaliter significatam per nomen intelligens, inesse homini ; idem habetur quando judico : « Deus est intelligens ». Illa duo judicia vera sunt quia ipsa perfectio per nomen *intelligens* significata, competit et homini et Deo ; nec obstat quod *aliter* intelligat homo et *aliter* Deus : nam in prædictis judiciis abstrahitur a modis diversis quibus verificari potest perfectio τοῦ intelligere.

Quapropter non admittendum censemus id, quod quidam auctores asserunt, nempe conceptus analogos esse *corrigendos* antequam applicentur Deo. Illi conceptus non sunt *mutandi* secundum quod diversis subjectis applicantur, præcise quia perfectionem apprehendunt *abstractam a modis diversis* quibus hæc perfectio verificatur, adeoque sunt analogi. Utique ad magis distinctam cognitionem acquirendam, homo utetur pluribus judiciis quibus explicite apprehendat *differentiam* inter *modum* quo homo est intelligens et *modum* quo intelligit Deus : sed ille intellectualis labor non prærequiritur ad hoc ut homo rite judicet : Deus est intelligens ; sufficit ut homo habeat conceptum analogum τοῦ intelligens, concipiatque ipsissimam intelligendi perfectionem, non coarctatam ad aliquem specialem *modum* intelligendi. Si homo judicaret : Deus est intelligens *eo modo* quo intelligit homo, tunc falsum esset judicium (1).

2. Licet non habeamus de Deo cognitionem *propriam*, tamen multa *proprie* prædicantur de Deo : nempe omnia quorum formalis ratio vere inest Deo; alia dicuntur *metaphorice* de Deo. Omnes perfectiones *simplices* prædicantur *proprie* de Deo (2). Quantum ad hoc, sanctus Thomas opportune

---

(1) Quia periculum esse potest ne homines perverse cogitent de divinis perfectionibus, utile est, imo et necessarium, ut explicite doceatur non eodem modo esse in Deo perfectiones ac in creaturis, seu perfectiones quas ex creaturis inferimus inesse Deo, *aliter* omnino inesse Deo : sed per hoc efformatur ipse *analogus* conceptus : qui, si rite in mente constituitur non est mutandus, nec corrigendus.

(2) Cf. Van der Meersch, *o. c.*, n. 317 ss.

distinctionem ponit inter *id quod* significat nomen et *modum quo* significat, docetque nomina significantia perfectiones simplices dici *proprie* de Deo quoad ad id quod significant, non vero quoad modum quo significant (1). Et sane modus significandi correspondet modo quo perfectionis sunt in creaturis, et non modo quo illæ sunt in Deo. Sed intellectu concipimus nos ipsam perfectionem, præcisam a modo quo verificatur vel verificari potest a parte rei, et sic habemus *analogum* conceptum, qui nullam includit imperfectionem.

Ne igitur confundamus *cognitionem propriam* cum *prædicatione propria* : *cognitioni* propriæ opponitur cognitio analogica ; *prædicationi* propriæ opponitur prædicatio metaphorica.

Cognitio est analogica quando constituitur conceptibus analogis ; inter analogos conceptus vigent diversæ species analogiæ, quarum una est metaphora. Aliæ species analogiæ non impediunt quominus termini analogi dicantur *proprie* de diversis subjectis, quibus aliter et aliter competunt.

C. Hisce prænotatis, non difficulter explicabitur propositio.

1. *Mediata* est nostra de Deo cognitio.

a) Quoad *naturalem* cognitionem. Hæc enim imprimis acquiritur quatenus ex effectibus cognitis infertur existentia et natura causæ. Profitemur enim « Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quæ facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse » (2). Non solum *existentiam* primæ causæ, sed etiam naturam ejus operationemque, ex effectibus intelligere possumus. Omnis autem talis cognitio est mediata.

Præterea quum Dei existentiam et quasdam ejus perfectiones cognoscamus, possumus ex una perfectione

---

(1) « Quantum igitur ad id quod significant hujusmodi nomina, proprie competunt Deo, et magis proprie quam ipsis creaturis, et per prius dicuntur de Deo. Quantum vero ad modum significandi, non proprie dicuntur de Deo : habent enim modum signficandi qui creaturis competit » *Sum theol.*, I, q. XIII, a. 3.

(2) Pius X. *Formula jurisjurandi*, cf. *Collat. Brug*, t. XV, p. 594.

inferre alias : v. gr. ex hoc quod Deus est intelligens deducere possum illum etiam volentem esse ; ex hoc quod Deus est ipsum Esse deducere possum illum esse infinitum in perfectione (1). Hæc sunt demonstratio *a priori*, sed nihilominus mediata : omnis enim cognitio, quæ habetur ex discursu, sive ex demonstratione *a posteriori*, sive ex demonstratione *a priori*, est mediata.

b) Quoad *supernaturalem* cognitionem scilicet *fidem* ; hæc est essentialiter assensus intellectus in veritatem a Deo revelatam formaliter propter auctoritatem Dei revelantis (2).

Jamvero si consideratur ratio *cognitionis* in actu fidei, apparet hanc esse *mediatam* : nam fide cognoscitur aliquid mediante cognita scientia et veracitate Dei revelantis. Certo cognitio quæ fide habetur non est mediata *eo modo* quo mediata est scientia : hæc enim est cognitio conclusionis ex cognitis præmissis et determinatur perspecta intrinseca evidentia. Fides vero non determinatur evidentia, sed imperatur libero voluntatis actu ; et intellectui ratio adhærendi veritati revelatæ est auctoritas Dei revelantis : fide ergo cognoscimus ex cognita Dei revelantis auctoritate, adeoque mediata est cognitio fidei.

2. *Analogica*, est nostra de Deo cognitio.

a) Quoad *naturalem* cognitionem : hæc acquiritur per species a phantasmatibus abstractas, quæ intentionaliter repræsentant perfectiones rerum. Sed omnis perfectio est in creaturis *aliter* ac in Deo : proinde apprehensio cujuscumque perfectionis præscindit a modo diverso quo forma concepta est in diversis subjectis, adeoque est analoga.

b) Quoad *supernaturalem* fidem : in hac necessario utimur iisdem speciebus quibus constituitur naturalis cognitio et proinde analogica est.

---

(1) Cf. Van der Meersch, *o. c.*, n. 204, 343.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 46.

Ad rem sanctus Thomas : « Cognitio gratiæ est elevatior quam cognitio naturæ, sed hæc elevatio potest intelligi vel quantum ad *intelligibile* [h. e. *objectum* cognoscendum] vel quantum ad *modum intelligendi*. Quantum ad intelligibile quidem per gratiam elevatur cognitio hominis sine mutatione status, sicut cum per gratiam fidei elevamur ad cognoscendum ea quæ sunt supra rationem, et similiter per gratiam prophetiæ ; sed quantum ad modum cognoscendi non elevatur humana cognitio, nisi status mutetur. Modus autem quo naturaliter cognoscit intellectus ejus est ut a phantasmatibus accipiat .. Unde nisi homo in alium statum mutetur, oportet quod etiam in cognitione gratiæ, quæ est per revelationem divinam, semper intellectus inspiciat ad phantasmata » (1).

Nota. Conceptibus analogicis cognoscimus de Deo tum veritates, quas naturali rationis lumine detegere valemus, tum veritates, quæ non nisi revelatione divina nobis innotescunt. Analogia qua mysteria proprie dicta cognoscimus, est diversa ab analogia qua intelligimus alias veritates : hæc diversitas habetur primo ratione *originis*, quia nobis innotescit solùm per revelationem ; deinde ratione *extensionis* analogiæ *ad alios modos*, quibus, in mysterio, verificatur perfectio per conceptus repræsentata, et quos modos, absque revelatione, ne suspicari quidem possemus : ita, v. gr., conceptus *generationis* verificatur in processione Verbi a Patre, conceptus *personæ* verificatur in relatione incommunicabili originis subsistente.

Ad rem Illmus ac Revmus Waffelaert : « Conceptus [nostri] analogici [sunt] in duplici differentia, quos alios immediatos, alios mediatos non immerito dixeris. Revera immediate ex creaturis apprehendimus analogice quæcumque ad unitatem divinæ essentiæ attributaque absoluta spectant; quando vero de Deo agitur formaliter ut est... personarum Trinitas, cum sic non sit nec esse possit causa operum ad extra, ex hisce operibus non possumus eum immediate sive quid sit sive an sit cognoscere, creatas perfectiones transferendo ad Deum...

(1) *De veritate*, q. XVIII, a 5.

Igitur ad attingendum mysterium SS. Trinitatis, notiones analogicæ ex creaturis non immediate deserviunt, sed potius mediate, quatenus, posita revelatione processionum ad intra, relationumque originis ac personarum divinarum, et ipsa revelatione analogicé ex creatis notiones proponente, mediante hac revelatione et ex attributis Dei absolutis, adeoque mediate ex creaturis nobis Deum secundum essentiæ unitatem manifestantibus, jam cum analogia ad creata nobis nota quadamtenus processiones divinas Trinitatemque concipimus » (1).

J. Van der Meersch.

III-IV.

De justo pretio in contractibus.

Q. *Breviter expone quænam sit norma* pretii per se justi, *in consueto contractu emptionis-venditionis.*

A. **Notiones.**

Cum in hac quæstione quisque satis intelligat justum fore pretium si adæquet verum rei valorem, recolenda est prius notio *valoris* rerum in ordine œconomico. « Valor nempe rei duplex distingui potest : *absolutus*, seu utilitas intrinseca et invariabilis quam res habet in ordine ad satisfaciendum alicui indigentiæ humanæ ; et *relativus* (valeur en échange) seu venalis, quo cum aliis rebus quibus indigent homines commutari potest, et est essentialiter variabilis secundum adjuncta... » (2) Jamvero venalis ille valor, ut reflectenti patet, est valor stricte dictus de quo agitur ; *pretium* autem nil aliud est quam iste valor pecunia expressus.

Varia profecto sunt elementa quæ in dictum pretium practice influunt : sic, præter ipsam rerum utilitatem

---

(1) *Méditat. théol.*, in *Collat. Brug.*, t. III. p. 420 s. ; *Méditations théologiques*, Bruges, 1910, t. I p. 223 s. ; *Goddelijke Beschouwingen*, bl. 272.

(2) Cf. Ill^{mum} Waffelaert : *De Justitia*, I, n. 608.

intrinsecam, maximum sane influxum exercet abundantia vel penuria mercium aut vicissim pecuniæ ; accedunt deinde expensæ omnes factæ ad res efficiendas vel afferendas, necessitates vitæ (le coût de la vie) et æqua remuneratio expensi laboris, pericula quandoque subeunda, modus vendendi minutatim (en détail) vel in magna simul quantitate (en gros) etc.

Verum, nec utilitas rerum, nec abundantia sive penuria earum, nec alia elementa sive sola sive simul sumpta, *proxime* efficiunt valorem venalem : iisdem enim manentibus omnibus positivis elementis, adhuc facile pretium mutatur secundum tempora et loca.

Sed revera a *communi æstimatione*, quæ supradicta elementa proprio et variabili modo pro temporibus et locis ponderat, venit proxime et formaliter taxatio pretii seu valoris mercium : valor enim æquivalet aptitudini rerum ad commutationem ; ista autem aptitudo proxime efficitur per æstimationem communem. Nonne, si aliquorum tantummodo contra communem æstimatione quædam merces carius vendantur, statim res illas « supra valorem » vendi exclamant ? Communis porro tunc erit æstimatio, cum a tota quadam communitate pretium determinatum, tum temporis et loci, qua justum recognoscatur et acceptetur ; nec ceteroquin requiritur ut hæc æstimatio si prudens, modo sit communis : « ut contingit ex. gr. pro Nigritis aurum vel ebur dantibus pro vitro vel pannis candidis. Nam si talis error est communis, jam reapse objecta illa, quæ alibi minimi sunt pretii, magnum valorem in eorum regione acquirunt, et a detentoribus quibuscumque cum aliis rebus pretiosissimis commutari possunt » (1).

Itaque valor rerum, ut reflectenti patet, non est aliquid mere subjectivum, a cujusque privato lubitu pendens, sed objectivum quid, extra singulos vendentes

(1). Génicot-Salsmans : *Institutiones Theologiæ Moralis*, 8e ed., I, n. 683.

ementesque existens ; et hoc vocatur pretium naturale sive *commune* seu *vulgare* (1).

Admittit tamen iste valor aliquam *latitudinem*, præcise quia communis hominum æstimatio non solet tam exacte in unum convenire. Et ita distinguitur pretium vulgare *summum*, *medium* et *infimum :* in quo, ob eumdem communem sensum, parum distat primum ab ultimo in rebus necessariis et frequentioris venditionis, longius vero in rebus superfluis et pretiosioribus.

Practice nunc, pretium mercium mathematice definitur per privatam contrahentium conventionem, et dicitur *pretium conventionale :* de cujus nempe justitia quæritur.

Tandem contingit quandoque pretium quarumdam rerum ab ipsa *lege* auctoritative taxari ; quod vocatur *pretium legale* seu legitimum.

B. **Resolutio.**

Quæ cum ita sint, duplex est pretium per se justum : *legale* scilicet et *vulgare*.

1/ Ubi nimirum pro certis mercibus *pretium legale* statuitur, illud per se ex stricta justitia servandum est (2) : « tum quia Superior melius potest æstimare circumstantias omnes ad justam taxationem faciendam ; tum quia Respublica in bonum publicum disponere

---

(1) Cf. *L'ami du Clergé*, 2 Oct. 1919, p. 1106 : « La « valeur » est chose relative à l'estimation qu'en font les hommes ; elle n'a pas d'autre appui, d'autre mesure. Pour les objets d'usage, de consommation ou d'échange courants, c'est donc l'estimation vulgaire qui fixe la valeur, l'opinion ambiante, disions-nous, le sens populaire. A travers les complications de notre présent organisme économique, cherchez bien, et toujours, pour les valeurs d'objets vulgaires (connus, communs, courants) vous trouverez au fond, sous une forme ou sous une autre, l'opinion populaire ambiante comme régulatrice des cours de nos marchés, même des cours de valeurs en banque ».

(2) Hujusmodi tamen leges per se mere pœnales esse, contra communem AA. sententiam, opinatur VERMEERSCH, S. J. in opusculo : *Verslag der algemeene vergadering van den Proostenbond van Brabant*, 19 Juli 1916, bl. 15 enz. — Verum, quamvis hodiernis temporibus obligatio directa legum civilium in genere multo cautius ac olim prædicanda sit, non tamen videtur in casu sententia clari Auctoris admittenda.

potest de bonis subditorum, et prohibere ne plus accipiant vel minus dent pro re aliqua ; et quando justa præcipiendi causa adest, præcepto parendum est » (1). Taxando igitur quasdam merces, verum jus emptoribus constituit Status ne plus solvant, aut quandoque (sed rarius) venditoribus ne minus accipiant (2) ; quod proinde jus si violatum fuerit, restitutio per se facienda manet.

Per se dico : nam nondum essent injusti vendentes propter violatum pretium legale, casu quo *constet* « inique muneribus, odio vel ignorantia crassa duci Superiorem in eo taxando (3) ; nec si interim circumstantiæ notabiliter mutentur aut si merces venditæ notabiliter superent qualitatem ordinariam, quam nempe taxatio respicit ; nec etiam si taxa « a majore parte populi non servetur, sciente principe et non puniente » (4). Quibus in casibus justitia pretii ad normam sequentium foret expendenda.

2) Deficiente nempe, ut communius est, pretio legali, norma pretii per se justi erit *æstimatio communis,* hic et

---

(1) De Lugo : *De Justitia et Jure,* II, disp. 26, n, 38.

(2) Ubi nempe in favorem vendentium pretium legale introducitur.

(3) De Lugo, ibidem.

(4) S. Alphonsus *Theol. Mor.* III, n. 803. — Ad rem *L'Ami du Clergé,* 1920, n. 3, p. 42 : une prescription de l'autorité législative n'est obligatoire en conscience que dans la mesure où son auteur compétent l'impose, et elle cesse d'être obligatoire, quand ledit auteur cesse lui-même de la maintenir dans sa vigueur normale. C'est le cas bien connu de toutes les coutumes contraires à la loi, de toutes les désuétudes... Appliquez cette doctrine au cas qui nous occupe, et vous conclurez avec raison que, de très bonne heure, certaines de nos taxes ont perdu leur caractère obligatoire initial par le fait public et généralisé de leur inobservation, et cela sous les yeux de l'autorité publique qui n'a pas su ou n'a pas voulu assurer efficacement, par tous moyens et sanctions que de droit, le respect de sa loi. » — Circa taxationem legalem in specie a Germanis apud nos tempore belli introducta docet idem scriptor eam nec initio quidem obligasse directe conscientiam, tum quia ab auctoritate iniqua lata erat, tum quia inique fuerat imposita, ad proprium scilicet et exclusivum Germanorum commodum, non vero populi. Ibidem, p. 43.

nunc absque vi et fraude vigens in loco : aliis verbis, solum pretium justum (nisi gratis et libenter alterutra pars de jure suo remittat ; quod rarius contingit) (1) erit per se pretium vulgare secundum communem æstimationem, ita ut salva justitia non liceat vendere supra summum, nec emere infra infimum. Etenim, ut diximus, æstimatio communis justum pretium efficit. Proinde si hoc non fuerit servatum, ex justitia tenetur venditor reddere quod supra summum pretium accepit, vel emptor pretium infimum complere. Apparet igitur non esse a priori justum omne pretium conventionale vel « currens » sed tunc tantum si congruat æstimationi communi.

Quæ doctrina, jam a Scolasticis vindicata, adversatur tum theoriæ a *socialistis* jamdudum propositæ, quæ a solo labore omnem repetit valorem, tum theoriæ *scholæ liberalis*, hodie ob cupidinem magis magisque grassanti, quæ justum per se dicit omne pretium conventionale inter partes, secundum unicam legem oblati et quæsiti (loi de l'offre et de la demande).

Dantur tamen *per accidens*, nec infrequenter quidem, tituli plures speciales, ob quos ex justitia licebit sive vendere supra, sive emere infra vulgare pretium summum aut infimum ; de quibus cf. Ill^mum^ WAFFELAERT in h. l.; n. 613-619.

Nota. — Requiritur sane, ad hoc ut æstimatio communis sit æqua pretii regula, ut sit vere communis : seu ut absque dolo et vi etiam morali homines proprio et libero permittantur judicio ; secus enim specie tenus solummodo existit, et de vera tunc æstimatione com-

---

(1) Contigit tamen frequenter tempore belli, nempe cum fraudatoribus (smokkelaars, makelaars, opkoopers) qui ultro et libenter pretia usque majora agricolis v. g. offerebant. Sed exurgit tunc quæstio justi pretii relate ad illos quibus istæ merces revendebantur : si enim hoc pretium erat excessivum, causa injustitiæ partialis videbantur esse isti agricolæ, quoties partem fructus injusti ipsi a fraudatoribus acceperant.

muni restat conjiciendum qualis foret aut fuisset sine his artibus. Cujus animadversionis practica videtur applicatio facienda pluribus recentibus hodiernisve casibus, in quibus pretium currens a communi æstimatione minime apparet statutum, sed potius a paucorum lubitu renitenti sensui communi impositum. Vera enim est æstimatio communis, quando vendentes et ementes libere communiterque conveniunt tale pretium, inspectis circumstantiis omnibus, pro talibus mercibus esse adæquatum ; quem profecto consensum ex. gr. tempore belli sæpius defecisse nemo est qui ignoret (1).

Difficilis quandoque est conjectura veri tunc pretii : quanta nimirum fuisset æstimatio communis, si vocem libere proferre potuisset. Æquam enim aliquando supponit ponderationem omnium elementorum et circumstantiarum temporis et loci ; præsertim vero, si casus ferat, congruam æstimationem penuriæ rerum, quæ tempore belli v. g. in pluribus locis notabilis erat, quæque maximum sane influxum habere nata est (2). Insuper in tribunali pœnitentiæ, secundum generales prudentiæ regulas, ad bonam fidem pœnitentium est attendendum.

---

(1) Equidem signum seu indicium deficientis æstimationis communis præbet ordinarie ipsa impositio pretii legalis : « la taxe légale n'intervient pas quand il y a un prix vulgaire bien déterminé, reconnu et accepté comme juste par toute la communauté sociale. Si donc on y a eu recours, c'est que cet accord n'existait pas. Et en fait, on en était très loin, car si les vendeurs trouvaient très bon et très juste le prix, par exemple, de 10 francs, les acheteurs le trouvaient très mauvais et exagéré, dépassant de 4 francs la vraie valeur normale objective. Sur quoi l'autorité publique a tranché la controverse en mettant d'accord les deux camps opposés sur le prix moyen de 7 francs. » L'Ami du Clergé, ibid., p. 42.

(2) De hac re sic scribebat Luytgaerens, in opusculo : *Rechtvaardigheid en Naastenliefde*, 2 Aug. 1917, bl. 8 : « Het is dus niet mogelijk nauw te bepalen hoeveel iedere waar verkocht moet worden ; niettemin mogen we wel zeggen dat van den éénen kant de prijzen van vóór den oorlog nu veel te laag zouden zijn ; maar dat er van den anderen kant van

Q. *An et quousque eadem norma applicanda est, ubi agitur de vendendis emendisque rebus insuetis, nempe pretiosis aut extraordinariis.*

Cum circa res insuetas et pretiosas legalis taxatio practice deficiat, ad alteram tantummodo normam justi pretii, communem nempe æstimationem, recurramus oportet ; et quidem ad investigandum num forte ipsa natura seu conditio illarum mercium aliquam regulæ generali exceptionem suggerat.

Qua in quæstione distinguendum videtur. Dantur enim plurimæ res, ut horologia aurea, gemmæ ordinariæ etc., quæ quamvis pretiosæ, suum tamen pretium vulgare æque possident ac merces communes : illud scilicet quod in commercio est, et satis determinate cognoscitur. De his proinde rebus dicendum sicut supra : pretium scilicet per se justum constituere hanc

---

aardappelen, rogge, tarwe, eieren, boter, koolen, erwten, boonen, van meest al de waren die de boer en de hovenier voortbrengen, van varkens, enz., sedert maanden en maanden prijzen gemaakt zijn en tot heden toe nog gemaakt worden, die verre, zeer verre boven de waarde gaan en dus onrechtvaardig moeten heeten. Sommige prijzen overtreffen de waarde drie-viermaal en nog meer. Elk openhartig landbouwer en hovenier zal dat met ons erkennen. » — Principium autem statuebat theologus quidam dioceseos Mechliniensis, in folio cui titulus : *Lichtstraaltjes in donkeren nacht,* n. 7, *Recht en Liefde,* 11 Jan. 1918 : « Als de pas vermelde omstandigheden (de hoogere aankoopprijs der zaden, meststoffen, enz., de aanzienlijke kosten van voortbrengst, het risico van het leveren, enz.) een bepaalden prijs *zeker* niet wettigen, zoodat men zijn waren *goedkooper zou moeten en kunnen afstaan zonder daarom aan billijke winst te verzaken, dan is de prijs onrechtvaardig.* » Verum, severior nobis videtur hæc regula quam ut semper possit accipi (quamvis utique sæpius secura sit) : cum nec per se injustum sit omne lucrum ingens, nec in casu penuriam frumenti etc. multis in locis notabilem fuisse tempore belli quis negare possit, unde jam notabiliter sed legitime pretium creverit. De sententia vero LUYTGAERENS notandum pretia in sua regione sæpe triplo et quadruplo majora fuisse quam in nostra diœcesi. Quamquam profecto non omnia quantalibet pretia apud nos tunc temporis currentia justificare intendamus, nec fraudes aliasve artes injustas sæpe tunc adhibitas excusatione tegere ; cum insuper et caritas attendenda sit, quæ procul dubio sæpe sæpius fuit violata.

commercii vulgarem æstimationem, relicta utique latitudine majori inter pretium summum et infimum.

Sed et aliæ quædam sunt res pretiosæ admodum raræ et extraordinariæ : ut picturæ quædam eximiæ, statuæ librive omnino rari, gemmæ prorsus singulares et sic porro ; de quibus nullum determinatum datur pretium, cum ob suam raritatem in commercio non sint, adeo ut de his communis æstimatio deficiat (1). De quibus inter AA. controversia viget. Alii enim censent normam justi tunc pretii esse simpliciter privatam pro lubitu partium conventionem, absque vi et fraude initam : nam deficiente alia norma, illud putatur justum quod ita convenitur. Alli vero volunt « res illas vendi non posse nisi secundum æstimationem virorum in his intelligentium..... Etenim semper æqualitas in contractu servanda est : porro illa æqualitas determinari debet ex judicio communi prudentum, attentis omnibus circumstantiis ; si ergo illi non solum tale pretium non offerant, sed judicent imprudenter offerri, scientes totam rei perfectionem, raritatem, novitatem etc., signum est rem non esse tali pretio dignam.... Observandum tamen longe majorem in his rebus admitti pretii latitudinem : ita communiter auctores. Sed agnoscendum semper aliquem esse terminum, ultra quem non solum imprudentis, sed insani hominis esset pro re illa dare : neque certe ab injustitia excusaretur venditor qui illud exigeret (2).

Admisso igitur illo termino, ultra quem omnes pretium

---

(1) Cf. L'Ami du Clergé, 2 Oct. 1919, p. 1107 : « Il peut arriver (c'est plus rare) qne vendeur et acheteur ignorent le prix juste d'un objet, pour la bonne raison que ce prix n'existe pas, l'objet, à cause de sa grande rareté, étant inconnu et n'ayant par conséquent été apprécié par aucune opinion ou estimation ambiante...,. Tel est le cas des choses extrêmement rares ou précieuses tant qu'elles ne sont pas « tombées dans le commerce » ou de celles qui en sont sorties (tableaux, gemmes extraordinaires, vieux manuscrits, antiquités, etc.) ».

(2) Carrière : *De Contractibus, pars 2ª*, n. 683.

stultum et insanum prædicant, multi AA. moderni post S. ALPHONSUM (1) mitiorem sententiam probabilem censent. Circa quam probabilitatem duo attendenda velimus : primum, vere parvum esse numerum illarum rerum quæ actualiter ita sunt incognitæ vel adeo extra commercium positæ, ut pretium quoddam commercii non habeant ; alterum, admittendum fore sæpius, ut nobis videtur, per comparationem cum similibus rebus quæ in commercio existunt, pretium quoddam infimum rei pretiosæ hujusmodi, infra quod injustitia certo inciperet. Fac enim recenter inveniri gemmam miræ prorsus magnitudinis : numquid infra pretium gemmæ ordinariæ juste æstimabitur ?

Ceterum, quum et severior sententia notabilem hic pretii justi latitudinem admittat, non adeo longe in praxi ab altera distare videtur.

Quinimo, et ipsa plures titulos *per accidens* agnoscit, quibus secure liceat pretio stare pure conventionali, sicque nonnunquam res pretiosas parvo etiam pretio coemere. Ut « si res jam actualiter ad vilem usum sit destinata, v. g. liber ad dilacerandum (voor scheurpapier) ; jam enim censetur in illis adjunctis pretium suum amisisse, adeoque emi posse eo pretio quo ad usum illum vilem communiter valet » (2) ; vel si res publice vendenda exponitur in foro apud antiquarios ; aut si uterque contrahens bona fide rei pretium ignoret, quia contractus fit inde aleatorius ; item si intercedat alius quidam specialis titulus ad normam supradictorum de æstimatione communi ; etc.

Coronidis instar notetur iterum cavendum esse ne peccata materialia in formalia mutentur. « Nam passim homines bona fide existimant justum esse quodcumque pretium libere et sine fraude inter partes convenerit.

---

(1) *Theol. Mor.* III, n. 808.
(2) Cf. Ill^mum WAFFELAERT, op. c. n. 612.

Hanc bonam fidem confessarius turbare non debet, nisi error sit evidens et fructus monitionis probabilis » (1).

E. HOSTEN.

V

De dubio negativo et de dubio irrationabili.

Q. Describe discrimen inter dubium conscientiæ negativum et dubium irrationabile.

Ratione motivi dividitur dubium conscientiæ in dubium mere subjectivum et dubium objectivum, et hoc iterum distinguitur in dubium negativum et dubium positivum.

1° *Dubium mere subjectivum* est dubium quod non ex reali inevidentia objecti perspecto causatur, sed ex inordinata quadam affectione, sive in appetitu sensitivo, sive in voluntate subjecti dubitantis enascitur. Tale dubium debitæ diligentiæ in reflexione et examine non resisteret, et ideo *irrationabile* seu imprudens vocatur.

Est autem vel dubium strictum, seu indebita judicii suspensio inter duas sententias contradictorias, v. g. inter liceitatem et illiceitatem actionis, vel dubium late dictum seu assensus uni sententiæ indebite hæsitans aut trepidans, ubi a parte objecti nulla motiva fundant hanc judicii suspensionem aut trepidationem.

Ad dubium mere subjectivum reducuntur tum *anxietates scrupulosorum* qui ex inordinato quodam peccati timore, ubi moraliter constat de liceitate actionis, motiva dubitandi de ea sibi effingunt, vel motivis inanibus momentum immerito tribuunt ; tum *dubia temeraria* laxorum qui ex affectu inordinato opposito, habituali neglectu, nimirum, obligationum conscientiæ, motiva dubitandi vel hæsitandi circa aliquam obligationem excogitant, ubi hæc moraliter certa est (2).

---

(1) GÉNICOT-SALSMANS, *op. c.* n. 635.

(2) ILLs ac REVs WAFFELAERT. *De dubio solvendo*, n. 112 sq, Cf. P. GILLET, O. P. *L'éducation de la conscience*. Desclée, 1913, p. 205, ss.

Dubium irrationabile in efformanda conscientia certa est simpliciter contemnendum seu non attendendum, quin rationes speciales adducantur ad illud solvendum.

2° *Dubium objectivum* seu rationabile, prudens, istud est quod causatur reali inevidentia objecti perspecta et quod igitur commune esset omni sapienti et probo viro qui in eisdem adjunctis de re judicaret (1).

Quando objecti veritas (existitne talis lex, estne hic liquor vinum merum) aut actionis particularis liceitas ita latet ut nulla vel levia tantum adsint motiva ad dandum assensum alterutri sententiæ contradictoriæ et ideo « propter defectum moventium » intellectus merito suspensus manet, habetur *dubium negativum* (2).

Ad hunc statum mentis, qui, ut apparet, pene cum nescientia aut ignorantia coincidit, proxime accedit *suspicio* aut *existimatio,* quæ est inchoativus assensus seu propensio in unam partem præ altera ob leve motivum seu parvam veritatis apparentiam (3).

Quando vero objecti veritas aut actus particularis liceitas sese manifestat imperfecte seu probabiliter tantum, tunc vel assensus datur opinativus (4) (opinio, seu *dubium positivum late dictum)*, vel assensus suspenditur quum ex æquo inclinetur intellectus in utramque sententiam oppositam (5) *(dubium positivum stricte dictum).*

Quomodo solvendum sit dubium negativum, vide *Collat. Brug.*, t. VII, (1902). f. 640 ss. et *De dubio solvendo,* n° 209-219. Resolvitur nimirum ille status

---

(1) *De dubio solvendo,* n. 113.

(2) Improprie et, ut videtur, immerito dubium negativum vocatur levis formido de opposito quæ cum judicio moraliter certo remanere potest et quæ, ut imprudens negligi debet, ut apud LEHMKUHL. *Theologia moralis,* ed. 11, n. 122.

(3) *De dubio solvendo,* n 109, 113, 198, 209 ss. BOUQUILLON[3], *Theologia moralis fundamentalis,* n. 267, 283, 287. Cf. S. THOMAS. *De veritate,* q. 14, a. 1, coll. II-II, q. 2, a. 1.

(4) Qui assensus dari potest tum in casu probabilitatis solitariæ, tum in casu probabilitatis simultaneæ.

(5) In ordine ad deponendum dubium positivum practicum, seu ad

suspensionis quatenus aliunde ad certitudinem practicam devenitur, sive ex interventu alicujus legis superioris, sicut de dubio speculativo dictum est apud *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 22 ss., sive ope principii possessionis, quando scil. constat quænam pars, obligatio an libertas, ante ortum dubium sit « in possessione », sive ope præsumptionum, sive tandem ex generali principio probabilismi.

A. LEGRAND.

VI

De quatuor formularibus Missarum pro defunctis.

Q. *Cur in Missali Romano exstant quatuor diversa formularia Missarum pro defunctis ? Indica generali modo quandonam singula sint adhibenda.*

R. Paulisper reflectenti apparet Ecclesiam cæremonias et preces liturgicas, quas merito stabiles esse vult, adaptare tamen quantum fieri potest, tum adjunctis in quibus, tum personis et intentionibus pro quibus orat vel offert. Ideo præter Ordinem Missæ stabilem, sunt partes in singulis missis mutabiles ; et hæ quidem in missis de die aut votivis omnino diversæ sunt ab iis quæ in missis pro defunctis adhibentur ; in his tandem missis *Requiem* rursus variantur orationes et lectiones pro diversitate tam defunctorum pro quibus quam temporum in quibus celebratur.

Ratione *defunctorum* variari possunt præsertim *orationes :* unde perplures exstant in Missali orationes diversæ pro defunctis tum intra quam post missas pro defunctis.

Ratione vero *temporum et adjunctorum celebrationis,*

---

conscientiam practice certam efformandam, nihil refert utrum assensus opinativus detur an vero intellectus dubio stricto suspensus maneat. Ut enim quis possit applicare principium reflexum : *lex dubia lex nulla*, sufficit ut libertas ipsi appareat certo probabilis, (judicium de probabilitate), sed non requiritur ut de facto opinetur libertatem vere remanere (opinio actualis de libertate).

mutantur etiam *epistola et evangelium* et ideo exhibet nobis Missale quatuor formularia diversa, de quibus inquirendum nobis est.

I. Sunt enim imprimis tria tempora magis solemnia, in quibus christianus erga defunctos affectus et Ecclesiæ traditio hortantur nos ut specialiter et instantius pro defunctis oremus.

1) Primum est *ipsius obitus ac sepulturæ dies et tempus proxime subsequens*. Unde hac occasione solebat jam primitiva Ecclesia, ut testantur v. g. Tertullianus (1), S. Cyprianus, S. Ambrosius, S. Augustinus, sacrificium « pro dormitione » offerre. Et huic tempori aptavit Ecclesia formulare proprium, secundo loco positum, quod inscribitur : *in die obitus seu depositionis defuncti*.

In hoc Ecclesia tanquam pia mater inclinat se super corpus filii morientis et defuncti et intimo corde Te, Deus, « cui proprium est misereri semper et parcere » exorat « pro anima famuli tui N. quæ hodie de hoc sæculo migravit » seu quam Tu « hodie de hoc sæculo migrare fecisti » ; et dum oculis et votis prosequitur eam in aliam vitam transmigrantem, supplex Te rogat « ut non tradas eam in manus inimici (diaboli) sed jubeas eam a sanctis angelis suscipi et ad patriam paradisi perduci ».

Sed ecce convertit se mater ad cognatos et amicos gravi dolore oppressos eisque ad instructionem et solatium prælegit verba S. Pauli : « nolumus vos ignorare de dormienti-

(1) TERTULLIANUS, *De anima*, 51, agit de recens mortuo, qui « cum in pace dormiret, et *morante adhuc sepultura*, interim *oratione presbyteri* componeretur. » S. CYPRIANUS, *Epist.* I, 2 agit de decreto synodali prohibente quominus « sacrificium *pro dormitione* ejus celebraretur » qui moriens clericum constituisset tutorem. S. AMBROSIUS in exsequiis fratris sui Satyri orationem funebrem habuit *De excessu fratris Satyri*, I, et missam celebravit (ibid. I, n. 80), in qua lecta fuit epistola : Nolumus vos ignorare... (ibid. I, n. 9). S. AUGUST., *Confess.*, IX, 12 : « Neque in eis precibus quas Tibi fudimus cum *offerratur pro ea* (matre defuncta) *sacrificium pretii nostri*, juxta sepulchrum posito cadavere, *priusquam deponeretur*... »

bus — somnus enim christianis est mors — ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent », et exposita eis doctrina de resurrectione et æterna cum Domino unione, tam pulchre concludit : « Itaque consolamini invicem in verbis istis (1). » Deinde meditandam eis proponit suavissimam pericopam evangelicam in qua Jesus tam salutari doctrina tamque amico affectu docet ac solatur Martham, quae amare luget dilectum fratrem *recens* mortuum. Quot animæ piæ dolentes cum Martha dicerent « Domine, si fuisses hic... »! Sed in altum erigit Jesus earum mentem : « resurget frater tuus... Ego sum resurrectio et vita... » Et si attente ac pie audierunt hanc lectionem, fide erectæ respondebunt cum Martha : « Utique, Domine, ego credidi quia tu es Christus, Filius Dei vivi ».

Adhibetur hoc formulare : a) in ipsa die obitus seu depositionis, h. e. ab ipsa die mortis usque ad diem sepulturæ inclusive ; imo, si ex gravi causa sepultura facta sit absque missa, usque ad diem missæ exsequialis quæ in casu, celebrari potest, corpore moraliter præsente, infra biduum post sepulturam.

b) in prima die libera post acceptum alicujus in loco dissito obitus nuntium ;

c) in die tertia, septima aut trigesima (2) ab obitu aut sepultura.

d) in die commemorationis omnium fidelium defunctorum, pro missa tertia si quis ter celebrat.

2. Secundum tempus solemne est quando, integro a morte anno verso seu elapso, redit ipsa obitus aut sepulturæ anniversaria dies, in qua primitiva jam Ecclesia, iisdem testibus (3), missam annua die pro defunctis celebrare consuevit.

---

(1) De qua epist. Cf. pulcherrimi S. AUGUSTINI *Sermones*, 172 et 173.

(2) De hoc usu cf. S. AMBROS., *De fide ressurrect.* l. II, c. I, n. 1 ; *De obitu Theodosii*, n. 3 ; AMALARIUS, *De eccles. offic.* III, 44.

(3) TERTULLIANUS, *De corona militis* c. 3 : « Oblationes (sacrificia) pro defunctis... annua die facimus ». S. AMBROS , *De excessu fratris* Satyri, II, 5 : « eum quo obierunt diem celebri solemnitate renovemus. »

Ideo statuitur formulare proprium quod inscribitur *In anniversario defunctorum* et ponitur tertio loco.

In hoc nihil insinuat mortem recentem aut vehementem luctum, sed oramus pro animabus eorum « quorum anniversarium depositionis diem commemoramus », « quorum hodie annua die agitur ». — In epistola proponitur exemplum Judæ Machabæi, qui « bene ac religiose de resurrectione cogitans », sacrificium offerri jussit pro viris qui aliquo jam tempore obierant, ut a peccatis h. e. a peccatorum pœnis solverentur; — In evangelio proponitur rursus doctrina de resurrectione : hanc esse voluntatem Dei Patris ut omnes qui credunt in Filium habeant vitam æternam et ab ipso resuscitentur in novissimo die.

Utendum est hoc formulari : a/ in anniversariis stricte dictis omnibus ; b) in anniversariis late dictis quæ a religiosis communitatibus aut piis sodalitatibus pro confratribus, aut in parochiis pro parochianis, *semel in anno* fieri solent. Nemo non videt etiam his epistolam convenientissime adaptari. c/ tandem in die Commemorationis omnium defunctorum, missa secunda.

3. Tertia tandem epocha est annua *Commemoratio omnium fidelium defunctorum*, pro qua statutum est formulare primum.

Ne enim ullius defuncti sors oblivioni tradatur, non solum consuevit Ecclesia sæpius orare pro omnibus fidelibus defunctis, sed et instituit ut quotannis dies integra specialiter impendatur filiis suis defunctis adjuvandis. Hujus diei formulari proprium est quod « fidelium *omnium* Conditori et Redemptori » commendet omnes defunctorum animas, et quod tam in epistola quam in evangelio proponit doctrinam de resurrectione *universali*, in qua tamen non omnes immutabuntur aut gloriosam induent immortalitatem, quum alii procedent in resurrectionem vitæ, alii vero in resurrectionem judicii et damnationis ; pro nobis, si velimus, mors erit « victoria per Dominum nostrum Jesum Christum ».

Adhibendum est hoc formulare : a) die Commemora-

tionis omnium fidelium defunctorum in missa unica, aut in cantata, si una tantum in cantu celebretur, aut in prima, si duæ vel tres ab eodem sacerdote celebrentur. — b) etiam in omnibus missis quæ celebrantur pro die obitus aut anniversario defuncti Romani Pontificis, Cardinalis, Episcopi et sacerdotis (1), adhibitis tamen orationibus propriis, ut inter Orationes diversas.

II. Tandem quia « sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare », convenit ut etiam extra hæc tempora specialia, sæpius missa offeratur pro defunctis. Inde conditum est quartum formulare *missæ quotidianæ pro defunctis*.

In hoc facilius eligi possunt orationes diversæ pro diversitate defunctorum, et in lectionibus proponuntur generalia, quæ eo ipso convenientius servari possunt in adjunctis diversis. Inculcantur nempe felicitas et requies eorum qui in Domino mortui sunt, necnon media quibus ad illam felicem vitam æternam perveniendum est: hæc sunt opera bona quæ sequuntur defunctos, et s. communio, quæ est « pharmacum immortalitatis » et « pignus futuræ gloriæ ».

Hoc formulari utendum est in missis sub I non enumeratis. Missa « quotidiana » celebratur semper ritu simplici, adeoque cum tribus (quinque aut septem) orationibus.

Nota. Post quartam missam ponebatur rubrica sequens: « Epistolæ et Evangelia superius posita in una missa pro defunctis dici possunt etiam in alia missa pro defunctis ». Sed hæc rubrica suppressa est in nova editione typica Missalis pro defunctis : hæc libertas igitur nunc adempta est.

C. Callewaert.

---

(1) Antea in die obitus et anniversario simplicis sacerdotis formulare primum adhiberi *poterat*. In novo autem Missali pro defunctis, absolute statuitur illud adhibendum esse sicut pro Papa, Cardinali et Episcopo, In missa autem quotidiana adhiberi nequit.

V. LA LITURGIE DU CAREME ANCIEN.[1]

C. Les Messes stationales dans les titres prebytéraux.

Pour bien se rendre compte de l'ordonnance primitive et des premiers développements de la liturgie quadragésimale, il convient de se rappeler le caractère propre de certaines églises et leur rôle particulier dans l'organisation du culte public. On distinguait en effet, à Rome, diverses sortes d'églises.

Voici d'abord le groupe imposant des **grandes basiliques**, celles qu'on nommera plus tard patriarchales. A l'intérieur de la Ville, ce sont : in Laterano, la basilique constantinienne de *Saint-Jean-de-Latran*, l' « archibasilica omnium ecclesiarum Urbis et Orbis mater et caput », comme l'appelle le martyrologe romain, auprès de laquelle les Papes avaient leur palais ; in agro sessoriano, la basilique de *Sainte-Croix-en-Jérusalem*, érigée dans une partie du palais sessorien occupé par l'impératrice Hélène, que les anciens documents appellent d'ordinaire « Hierusalem » parce qu'elle représentait à Rome les Lieux saints de Jérusalem (2) ; sur le Viminal, la basilique libérienne de *Sainte-Marie-Majeure,* érigée par le pape Libère et qui figurait pour les Romains la Bethlehem de la Palestine.

En dehors de l'enceinte de la Ville, c'étaient, en tout premier lieu, sur le Vatican, la basilique constantinienne de *Saint-Pierre*, bâtie sur la confession du Prince des Apôtres ; le long de la voie d'Ostie, la basilique de *Saint-Paul-hors-les-Murs,* élevée par Constantin sur la

---

(1) Suite de nos articles sur *La durée et le caractère du Carême ancien dans l'Église latine :* Collat. Brug., XVIII, 90, 311, 455 ; XIX, 193 et 263.

(2) Voir notre article *Tweeden Zondag van den Advent* (*Tijdschrift voor Liturgie*, I, (1920) num. 1).

tombe de l'apôtre des Gentils ; le long de la voie Tiburtine, la basilique également constantinienne de *Saint-Laurent-hors-les-Murs*, érigée sur le tombeau du grand martyr romain.

Ajoutons à cette première catégorie, à cause de son importance liturgique (1), la basilica *Julia*, bâtie sur le Quirinal par le Pape Jules I (337-352) et grandiosement reconstruite sous Pélage I, en 561, par Narsès, sur le plan du célèbre Apostoleion de Constantinople. Primitivement dédiée aux Apôtres et consacrée par Pélage sous le vocable des SS. Philippe et Jacques le Mineur, elle est appelée d'ordinaire dans les documents liturgiques « ecclesia ou basilica apostolorum » ou simplement « ad apostolos ».

Ces sanctuaires étaient chers entre tous au cœur des chrétiens de Rome. Ils consacraient les plus glorieux souvenirs de l'histoire de l'Église à Rome et couvraient les reliques les plus vénérées. Monuments grandioses, décorés avec une magnificence impériale, ils se dressaient comme des arcs de triomphe qui célébraient la victoire définitive de la religion chrétienne sur le paganisme mourant. Leur plan était conçu de façon à permettre un déploiement magnifique des cérémonies du service pontifical, et leurs vastes nefs pouvaient contenir les innombrables fidèles affluant de tous les coins de la Ville.

Ils étaient donc tout désignés pour devenir les grands centres de la vie liturgique de la capitale du monde chrétien. C'était là qu'on accourait des diverses régions de la Ville pour solenniser les principales fêtes du cycle ecclésiastique : Pâques, Pentecôte,

---

(1) C'est dans cette basilique en effet qu'avait lieu, au moins depuis sa reconstruction, la réunion liturgique du vendredi des Quatre-Temps. Elle était donc associée aux basiliques de Saint-Pierre et de Sainte-Marie-Majeure en vue du déploiement des grandes cérémonies des ordinations sacerdotales.

Noël, les derniers jours de la semaine sainte, pour assister à l'administration solennelle du baptême ou prendre part aux grandes réunions liturgiques des semaines des Quatre-Temps ou des ordinations. C'est autour de ces basiliques que nous voyons se grouper les plus anciens et principaux monastères de Rome.

Le second groupe, plus nombreux, était celui des **tituli** ou églises presbytérales.

Les *tituli* étaient, au fond, les églises paroissiales de Rome, « analogues à nos paroisses urbaines, sous la direction de prêtres nommés à poste fixe » (1). Au point de vue ecclésiastique, la ville de Rome était divisée en 25 districts. Chaque district « quasi diœcesis » dit le *Liber Pontificalis*, avait son église ou *titulus*. Chaque église titulaire était gouvernée par un clergé peu nombreux sans doute (2), mais qui avait à sa tête un ou plusieurs presbyteri chargés d'assurer ce que nous appellerions aujourd'hui le service paroissial.

L'organisation avait été introduite surtout en vue de l'administration du baptême et de la pénitence ainsi que de la sépulture des fidèles du district. Ce n'est qu'au Ve siècle que nous sommes exactement renseignés sur le nombre et l'organisation des tituli ; mais l'un et l'autre doivent remonter plus haut. Certaines données historiques, la coutume de les désigner par le nom du donateur du terrain ou du fondateur de l'église plutôt que par le vocable d'un saint, enfin leur emplacement

---

(1) Voir L. Duchesne, *Notes sur la topographie de Rome au moyen-âge.* II Les titres presbytéraux et les diaconies, dans le t. VII (1887) des *Mélanges d'archéologie et d'histoire.* H. Grisar, *Histoire de Rome et des Papes,* Paris, 1906, t. II, p. 154 ss.

(2) Les inscriptions anciennes mentionnent plusieurs fois des *lectores* attachés aux tituli, mais rarement ou jamais des diacres et des sous-diacres. Les offices liturgiques ne se célébraient en grande pompe dans les tituli qu'aux jours de station, lorsque le clergé des diverses régions et les fidèles de toute la Ville y affluaient.

dans les régions moins centrales de la Ville, en dehors du centre de la vie classique et païenne : tout concorde pour témoigner en faveur de la haute ancienneté des titres presbytéraux.

Les **diaconies** (1) étaient plutôt « les sièges de la charité chrétienne et destinées à la répartition des aumônes, au soin des malades et des indigents » (2). La Ville de Rome avait été divisée au point de vue ecclésiastique en sept régions, vraisemblablement par le pape Fabien (236-250). Sous la direction de l'archidiacre, les sept diacres, qui sont déjà mentionnés dans une lettre du pape Corneille (251-253), étaient chargés de la distribution des aumônes et de tout ce qui se rapportait à la charité publique et à la gestion des hospices. L'administration des services de charité était restée longtemps concentrée autour du pape dans le palais de Latran. Au VIe-VIIe siècle elle fut scindée et les divers bureaux rattachés à des églises disséminées par la Ville qui reçurent le nom de diaconies. Leur nombre, qui était peut-être primitivement de sept, s'éleva graduellement jusqu'à seize sous le pontificat d'Hadrien.

Ces églises, généralement plus récentes que les tituli, occupent bien plus que ceux-ci le centre de la Ville, et ne sont, bien souvent que des bâtiments publics transformés en sanctuaires chrétiens.

Outre ces trois groupes, il y avait en dehors de la Ville, un certain nombre d'églises élevées au-dessus des principaux cimetières suburbains : elles étaient desservies par le clergé des divers titres presbytéraux. Il reste à mentionner enfin quelque sanctuaires et

(1) Voir Mgr Duchesne, *Notes sur la topographie* dans *Mélanges d'archéol. et d'histoire*, t. VII (1887), p. 237 ss.

(2) R. P. Grisar, *o. c.*, I, 159.

églises érigés dès le IVe siècle à l'intérieur même de la Ville, sans caractère déterminé et plus indépendants de l'administration générale ecclésiastique.

***

Jetons maintenant les yeux sur le tableau publié *Collat. Brugen.*, t. XIX, p. 264 s. Laissons-là les deux groupes de stations que nous avons signalés antérieurement, dont l'un représente les jours de la liturgie primitive et l'autre les accroissements postérieurs au VIIe siècle (1) : il nous reste une série de vingt-trois stations fériales.

A la suite de Tommasi et de D. G. Morin (2) nous ferons observer que les églises de ces stations sont toutes, à une seule exception près, des *tituli* ou églises paroissiales. Seule la basilique Saint-Étienne (n. 41) au mont Cœlius n'a pas compté parmi les *tituli* avant 938.

Des vingt-cinq titres presbytéraux, trois seulement ont été négligés. Encore semble-t-on avoir voulu réparer l'omission plus tard. Car le *titulus Julii* ou *Callisti* (n. 19, - S. Marie au Transtévère) et le *titulus Equitii* ou *Silvestri* (n. 33 - Saint-Sylvestre-et-Martin ai Monti) ont été désignés au VIIIe siècle comme églises stationales respectivement pour les Jeudis de la seconde et de la quatrième semaine du carême. Plus tard, au cours du moyen-âge, le *titulus Praxedis* a remplacé le titulus *Fasciolæ* ou des Saints-Nerée-et-Achille (n. 44), comme on peut le constater dans le Missel actuel.

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 266 ss.

(2) *Liturgie et basiliques de Rome au milieu du VIIe siècle, d'après les listes d'évangiles de Wurzbourg*, dans Revue Bénédictine, XXVIII, 296-330 (1911), p 325.

Voici la liste de ces stations avec les dénominations anciennes des titres correspondants.

4. Ad S. Sabinam	Tit. *S. Sabinæ.*
6. Ad SS. Joannem et Paulum	Tit. *Pamachi,* ou *Byzanti.*
9. Ad S. Petrum ad Vincula	Tit. *Apostolorum* ou *A vinculis S. Petri* ou *Eudoxiæ.*
10. Ad S. Anastasiam	Tit. *Anastasiæ.*
16. Ad S. Clementem	Tit. *Clementis.*
17. Ad S. Balbinam	Tit. *S. Balbinæ.*
18. Ad S. Cœciliam	Tit. *S. Ceciliæ.*
20. Ad S. Vitalem	Tit. *Vestinæ,* ou *S. Vitalis,* ou *SS. Gervasi et Protasi.*
21. Ad SS. Marcellinum et Petrum	Tit. *SS. Marcellini et Petri.*
23. Ad S. Marcum	Tit. *Marci* ou *Pallacinæ.*
24. Ad S. Pudentianam	Tit. *Pudentis* ou *Pudentianæ.*
25. Ad S. Xystum	Tit. *Crescentianæ* ? ou *S. Xysti.*
27. Ad S. Laurentium in Lucina	Tit. *Lucinæ,* ou *S. Laurentii in Lucina.*
28. Ad S. Susannam	Tit. *Gai* ou *S. Susannæ.*
30. Ad SS. Quatuor Coronatos	Tit. *Æmilianæ* (?) ou *SS. Quatuor Coronatorum.*
31. Ad S. Laurentium in Damaso	Tit. *Damasi* ou *S. Laurentii in Damaso.*
34 Ad. S. Eusebium	Tit. *Eusebii.*
37. Ad S. Chrysogonum	Tit. *Chrysogoni.*
38. Ad S. Cyriacum	Tit. *Cyriaci.*
39. Ad S. Marcellum	Tit. *Marcelli.*
44. Ad SS. Nereum et Achilleum (*nunc* ad S. Praxedem)	Tit. *Fasciolæ* ou *SS. Nerei et Achillei.*
45. Ad S. Priscam	Tit. *Priscæ* ou *Tigridæ* (?).

Cette régularité à ne choisir que des églises paroissiales, est d'autant plus remarquable qu'il y a plus de

variété dans le groupe des stations ajoutées au VIIIe siècle. Car celui-ci comprend des basiliques patriarcales, comme Saint-Pierre (n. 42) (1) ; des tituli presbytéraux restés libres, tels Sainte-Marie au Transtévère n. (19) et Saints-Sylvestre-et-Martin (n. 33) ; des diaconies, comme S. Georges in Velabro (n. 3) et Saints-Côme et-Damien (n. 26), enfin des sanctuaires non classés, de moindre importance et de date plus récente, comme Saint-Apollinaire (n. 40).

On peut en inférer, avec Dom Morin, qu'une idée de suite a présidé au choix de ces 23 églises, et que leur introduction dans l'ordre des stations quadragésimales se rattache à une organisation plus ou moins complète et définitive de la liturgie férialе du carême.

Celle-ci existait au VIIe siècle, puisque nous la trouvons consignée, au début de ce siècle, dans le *Comes* et, quelques années plus tard, dans le *capitulare evangeliorum* de Wurzbourg. Mais à quelle époque remonte-t-elle ? Aucun document décisif ne permet actuellement de trancher cette question avec certitude. Il faudra donc — plus qu'on ne l'a fait jusqu'ici — grouper et peser toutes les données qui peuvent apporter quelques éléments de solution. En tout cas, nous constatons avec plaisir qu'à mesure que la connaissance des documents anciens vient jeter plus de lumière sur la liturgie primitive, les auteurs tendent à reporter plus haut les origines de l'ordonnance quadragésimale. On ne se croit plus du tout obligé de rester en deça de Grégoire le Grand (2).

---

(1) Dans les Sacramentaires des VIII-IXe siècles. A la basilique Saint-Pierre on a substitué plus tard l'église Saint-Jean à la Porte Latine.

(2) Le Cardinal Tommasi publia autrefois une dissertation spéciale pour prouver, entre autres contre Ménard, que l'institution de la *feria IV in capite Jejunii* n'est pas postérieure à S. Grégoire. Voir E. De Azevedo, *Vetus missale romanum*, Romæ, 1754, Appendix II, p. 341 ss

Il est même certain qu'il faut remonter au-delà des réformes de ce Pape. Car Grégoire le Grand composa des homélies non seulement pour l'évangile du premier dimanche du carême, mais encore pour les trois dimanches de la période préparatoire au carême, et d'après l'intitulé des manuscrits, elles furent prononcées dans les églises stationales dont le missel romain a conservé le souvenir jusqu'aujourd'hui. Il est vrai que ces intitulés sont peut-être des additions de date plus récente, dont on ne peut rien déduire. Mais, au moins pour la septuagésime — le dimanche qui pourrait être le plus sujet à caution — le texte même du sermon fournit la preuve que la station devait être célébrée à l'église Saint-Laurent située bien loin en dehors de la Ville, sur la Voie Tiburtine. En effet le Pape tient à ne pas prolonger son sermon « ne vos, dit-il, et *extensa processio* et prolixa expositio videatur onerare » (1).

Au reste, rien dans ces sermons n'indique que les solennités de la Septuagésime aient été introduites par l'auteur des homélies. Aussi plusieurs historiens récents sont d'avis que « le formulaire des trois dimanches avant le carême » fut une œuvre contemporaine des papes du milieu du VIe siècle, peut-être de Jean III (561-574). Ils retrouvent dans les cris d'angoisse, qui semblent caractériser les formulaires de ces messes, l'écho des événements politiques d'une « époque de douleureuse nécessité » comme le fut le milieu du VIe siècle (2).

On peut toutefois se demander s'il convient de mettre la *Quinquagésime* sur le même pied que les deux dimanches

---

(1) *Liturg. Tijdschrift*, I. (1911) p. 175 s. H. Grisar, *o. c.*, II, 337 ; Id. *Die Stationsfeier und der erste römische Ordo*, dans *Zeitschrift für Kath. Theol.*, t. IX (1885), p. 389-407.

(2) Septuagésime : Circumdederunt *me gemitus mortis, dolores inferni* circumdederunt me et in *tribulatione*. Sexagésime : *Exsurge, quare obdormis*, Domine ? *Exsurge* et ne *repellas in finem*.. Sciant *gentes* quoniam nomen tibi. Deus... pone illos ut *rotam* et *sicut stipulam ante faciem venti*... ut *fugiant* a facie arcus... ut *liberentur electi tui*. Cf. H. Grisar *Hist. de Rome*, II, 337; D. Huf, *Liturgische studiën*, t. II. *Krijgsgebeden en oorlogsmissen*, p. 71 ss.

précédents ? Les prières liturgiques de ce dimanche laissent une impression de calme confiant et même joyeux qu'on cherche en vain dans les messes de la Sexagésime et de la Septuagésime (1).

Au reste les évangiles de ces deux dernières messes, les paraboles des ouvriers dans la vigne et du semeur, ne font que continuer la série des évangiles des dimanches après l'Epiphanie, qui nous parlent tous de l'Eglise et nous représentent celle-ci, à partir du IVe dimanche, sous l'image des paraboles évangéliques du royaume de Dieu. Les dimanches de Septuagésime et de Sexagésime appartiennent ainsi par leurs évangiles au temps de l'Epiphanie ; ils ont été introduits comme temps de pénitence à une époque où la série des évangiles propres au temps de l'Epiphanie s'étendait jusqu'à la Quinquagésime exclusivement. Celle-ci au contraire se présente comme une préparation immédiate au carême (2).

C'est ainsi que le lectionnaire de Capoue du VIe siècle (3) et d'autres documents mentionnent la Quinquagésime et la Sexagésime sans la Septuagésime. En Espagne le lectionnaire de Tolède, du VIIe s. ne connaît qu'un seul dimanche « ante carnes tollendas » (4) : il correspond à notre Quinquagesima. En Gaule, un sermon de Fauste de Riez légitime déjà, dès la seconde moitié du Ve siècle, l'usage de commencer à jeûner dès le dimanche avant la

---

(1) Rien qui rappelle les « gemitus mortis » ou les cris de détresse « Exsurge Domine » des dimanches précédents ni à l'Introït qui respire une douce confiance, ni au Graduel ou à l'Offertoire qui expriment une reconnaissance joyeuse, ni surtout au trait qui est presque un chant d'allégresse et est un écho de la messe du Dimanche dans l'octave de l'Epiphanie.

(2) Du IVe au VIe siècle, les prédicateurs sont unanimes à recommander tout spécialement les œuvres de miséricorde et la pratique de la charité fraternelle comme des pratiques caractéristiques de l'ascèse du carême : c'est la raison du choix de l'épître. Le carême nous prépare à la célébration du mystère de notre Rédemption par la passion, la mort et la réssurrection du Fils de l'homme, et cette préparation doit opérer en nous un revirement, une guérison de notre aveuglement : l'évangile du jour s'adapte précisément dans ce cadre.

(3) Voir *Liber Comicus* ed. D. G. Morin, Maredsous, 1893, p. 439.

(4) *Liber Comicus*, p. 53.

Quadragesima (1). En sens opposé le premier concile d'Orléans (511) défend de célébrer la Quinquagésime (can. 24). Mais la prohibition ne put arrêter le mouvement qui tendait à introduire et à allonger un temps de pénitence préparatoire au carême. Le quatrième concile d'Orléans tenu en 541 crut devoir réitérer la défense d'imposer le jeûne depuis la Quinquagésime ou même la Sexagésime (can. 2). Entretemps S. Césaire d'Arles enjoint à ses moines de jeûner tous les jours, sauf les dimanches, « les deux semaines avant la Quarantaine ».

Il est donc très probable que, à Rome comme dans les autres chrétientés, la Quinquagésime a été introduite plus tôt que la Sexagésime et la Septuagésime, donc avant le milieu du VIe siècle.

Et si l'*extension* du carême date au moins du milieu de ce siècle, ne devons-nous pas raisonnablement supposer que *l'organisation du carême lui-même* remonte plus haut encore ? Cela nous amène ainsi au commencement du VIe siècle.

Mais voici un indice qui nous montre que l'ordonnance des stations doit être antérieure au début du VIe siècle et au pontificat de Symmaque (498-514). Une des trois églises titulaires qui furent exclues de la liste primitive des stations quadragésimales est le titulus Equitii et Silvestri. Or cette église, érigée par le Pape S. Sylvestre, fut restaurée ou plutôt reconstruite par le pape Symmaque (498-515). Le *Liber Pontificalis* s'étend avec complaisance sur la munificence de Symmaque envers cette église : « il construisit depuis les fondements (a fundamento construxit) la basilique des Saints-Sylvestre-et-Martin, près des Thermes de Trajan ; il érigea au-dessus de l'autel un ciborium (tigurium) d'argent, du poids de 120 livres ; fit faire douze arcs d'argent, pesant chacun 10 livres, et une

(1) *Fausti Reiensis et Ruricii opera* ed. A. Engelbrecht *(Corpus scriptorrum ecclesiastic. latinorum,* t. XXI), Vindobonae, 1891, p. 328 cf Migne *Patr. lat.* t. LIV, c. 488-490.

confession d'argent du poids de 15 livres ». C'est la restauration ou reconstruction (1) la plus importante que le pape Symmaque ait entreprise. On ne peut donc pas supposer, semble-t-il, que l'auteur de cette reconstruction et de ces largesses ait exclu précisément son église privilégiée de la liste des stations du carême. Et cette conclusion paraît avoir quelque valeur également pour les premiers successeurs de Symmaque.

Nous sommes donc ainsi invités à reporter au Ve siècle l'ordonnance des stations du carême. C'est d'ailleurs l'opinion qu'exprimait dernièrement Dom Morin : « Rien ne s'oppose, dit-il, à ce que l'ordonnance actuelle de la liturgie du carême ait été constituée dès la seconde moitié du Ve siècle ; plusieurs motifs contribuent même à rendre cette conjecture fort plausible » (2).

Ainsi « la préférence évidente qui a porté à assigner à Sainte-Sabine le premier rang, en tête de toute la série », s'explique peut-être par le fait qu'elle est le plus récent des titres choisis pour les stations, puisqu'il a été « dédié seulement, semble-t-il, sous Xyste III (432-440) » (3).

« La basilique de Saint-Etienne du Cœlius, dit encore D. Morin, est d'origine plus récente encore que celle de Sainte-Sabine, elle ne doit sa fondation qu'au pape Simplicius (468-483), second successeur de Léon le Grand. Il se pourrait donc que l'organisation définitive de la liturgie quadragésimale fût à peu près contemporaine de ce pontife ; on aurait ainsi tenu à

(1) En réalité la nouvelle église fut bâtie au-dessus de l'ancien titulus Equitii, qui servit d'église inférieure ou de crypte à la construction nouvelle.

(2) *Liturgie et basiliques de Rome*, dans *Rev. Bénéd.* t. XXVIII (1911), p. 327.

(3) D. Morin, *a. c.* p. 326. La basilique Sainte-Sabine vient d'être rendue — autant que possible — à son état primitif avec une délicatesse de goût et une connaissance archéologique auxquelles tout le monde se plaît à rendre hommage.

faire une exception en faveur de l'important édifice consacré par lui à la mémoire du premier martyr. D'autant plus que sa notice au *Liber pontificalis* attribue à ce pape la répartition du service des trois grandes basiliques de Saint-Pierre, Saint-Paul et Saint-Laurent entre le clergé des différentes paroisses de Rome. »

Mais serait-il défendu de monter d'un échelon de plus l'échelle des âges et de voir dans S. Hilaire (461-468), prédécesseur immédiat de Simplicius, le premier organisateur d'une ordonnance systématique des stations du carême ?

Toujours est-il que parmi les premiers successeurs de S. Léon, personne ne témoigna autant de sollicitude et de générosité pour la restauration ou la décoration des édifices religieux et la dignité du culte. Les inscriptions nous ont gardé le souvenir de grands travaux d'embellissement, exécutés sous S. Hilaire au *titulus Anastasiæ*, l'église de la cour. C'est là qu'on gardait les croix processionnelles qui précédaient le cortège pieux aux jours de station (1). Annuellement on allait les y prendre le mercredi des Cendres afin de se rendre processionnellement de là à l'église de la première station, Sainte-Sabine. Le *Liber Pontificalis* nous parle de plusieurs remaniements et d'agrandissements considérables exécutés aux grandes basiliques de Saint-Laurent, Saint-Jean et Sainte-Croix. Mais rien ne donne une idée des largesses de S. Hilaire comme l'interminable liste des objets d'art et de valeur offerts par le pape aux basiliques constantiniennes : ils « représentent un total fabuleux d'orfèvrerie d'or et d'argent. » (2).

---

(1) Mgr Duchesne, *Notes sur la topographie*, c. III, *S. Anastasie* dans *Mélanges d'hist. et d'archéol.*, t. VII (1887), p. 407 ss.

(2) Hartmann Grisar, *Hist. de Rome*, I, 347. « Un ancien historien des papes a évalué à 102983 écus la somme qu'Hilaire, d'après le *Liber Pontificalis* dépensa, pendant ses sept années de gouvernement, en objets

Mais voici un texte du *Liber Pontificalis* qu'il faut souligner parce qu'il témoigne nettement de la sollicitude S. Hilaire pour les stations :

« In urbe Roma constituit [Hilarus] ministeriales, » qui circuirent *constitutas stationes*. Scyphum aureum » stationarium ; pensantem libras octo ; scyphos argen- » teos per *titulos viginti quinque*, pensantes singuli » libras decem ; amas argenteas *viginti quinque*, pen- » santes singulæ libras decem ; calices ministeriales » *quinquaginta*, pensantes singuli libras duas. Hæc » omnia in basilica constantiniana vel ad sanctam » Mariam constituta recondidit. »

Voilà donc un service presque complet de vases liturgiques, exclusivement destiné aux offices des *stations* dans les vingt-cinq églises titulaires. Car en dehors des jours stationaux cette vaisselle précieuse doit être gardée à la basilique du Latran ou à Sainte-Marie-Majeure, qui « semblent avoir été les centres liturgiques des stations » (1). Cette dotation exceptionnelle semble avoir été la conséquence ou le complément d'une organisation liturgique des stations. Car le pape Hilaire institua également des « ministeriales » chargés de fonctions spéciales aux offices stationaux. Et remarquons bien que la générosité du pape ne s'étend pas aux églises non presbytérales, qui pouvaient cependant avoir elles aussi leurs stations aux jours de fête du sanctuaire. Ne sommes-nous pas amenés ainsi naturellement à songer à une organisation des stations *quadragésimales*, qui n'aurait compris, outre les grandes basiliques, que des églises presbytérales de Rome ? Du Ve au VIIe siècle, il peut y avoir eu des changements dans la liste des stations, comme il y en a eu plus

et décorations de métal précieux ; ce qui fait plus d'un demi million de francs, somme assurément considérable, étant donnée la valeur relative de l'argent à cette époque. » H. Grisar, *Hist. de Rome*, I, 347.

(1) R. P. Grisar. *o. c.*, t. I, p. 347.

tard (1), comme il semble y avoir eu des substitutions dans le groupe des églises titulaires (2).

Ainsi le pape Simplicius pourrait avoir remplacé la station encore récente à une église presbytérale par la station à la basilique nouvellement dédiée a S. Etienne au mont Cœlius. Cette substitution paraît d'autant plus plausible que le pape Simplicius semble avoir eu une dévotion spéciale à Saint Etienne (3) dont les reliques furent apportées de Jérusalem et déposées à Saint-Laurent dont le culte devait à ce moment prendre de rapides développements à Rome (4). Il est d'ailleurs assez frappant que précisément la station *ad scm Stephanum* est remplacée par la mention *ad scm Vitalem*, dans le *Comes* de Murbach dont le R. P. Dom Wilmart (5) faisait ressortir récemment la haute valeur.

Le texte cité du *Liber Pontificalis* suggère peut-être une autre question. Presque à chaque ligne, les libéralités du Pape Hilaire ramènent le chiffre de *vingt-cinq* tituli. Ne faudrait-il pas supposer que le Pape a englobé dans l'organisation des stations fériales du

---

(1) Ainsi la station ad *Scos Nereum et Achilleum* (n. 44) cède la place à celle de Sainte-Praxède; Saint-Jean *ad Portam latinam* se substitue à Saint-Pierre (n. 42) ; *Saint-Nicolas in carcere* prend la place de Saint-Laurent-hors-les-murs (n. 35).

(2) Ainsi Mgr. Duchesne estime que le *titulus Matthei* situé *in Merulana* et mentionné au concile de 499, mais passé sous silence dans les souscriptions au concile de 595, aura été remplacé dans la liste des tituli par l'église des Saints-Marcellin-et-Pierre qui figure au concile de 595, mais qu'on cherche en vain dans celui de 499. Les deux églises n'étaient distantes que d'environ 200 mètres. *(Notes sur la topographie*, p. 228).

(3) *Le Liber Pontificalis* attribue au pape Simplicius la dédicace de quatre « basilicæ », dont deux sont dédiées à S. Etienne: Saint-Etienne-le-Rond au Cœlius et une autre « juxta basilicam Sancti Laurentii ». Cette dernière semble toutefois n'avoir été qu'une chapelle funéraire de moindre importance.

(4) R. P. Grisar, *Hist. de Rome*, t. I, p. 411. A la basilique de Saint Laurent, la mosaïque de l'arc triomphal, exécutée sous Pélage II, représente le diacre de Jérusalem avec le diacre romain, patron de l'église.

(5) Le *Comes de Murbach* dans la *Rev. Bénéd.* t. XXX (1913), p. 41.

carême *toutes* les églises titulaires ? Peut-être bien. Mais la pénurie de documents ne nous permet pas de donner une réponse catégorique. Si toutefois on pouvait admettre comme une réalité, la « possibilité » laissée ouverte par Mgr Duchesne « que la basilica Julia *(ad Apostolos*, n. 13) ait été titulaire à l'origine » (1), nous aurions déjà comme stations vingt-quatre églises titulaires. Et ne pourrait-on pas supposer que la station du mercredi de la première semaine se serait tenue à une église presbytérale, jusqu'au moment où un pape — Gélase p. ex. — lui aurait substitué Sainte-Marie-Majeure, en assimulant peut-être complètement cette première semaine aux autres semaines des Quatre-Temps ? Dans cette hypothèse, les vingt-cinq églises titulaires auraient eu leur station. Mais, nous la répétons, ce n'est là qu'une hypothèse.

Nous avons l'impression que, dans leur ensemble, les formulaires des messes du carême ne s'opposent pas à la haute antiquité que nous leur attribuons (2). Les versets psalmiques des chants de l'antiphonaire ne sont pas tirés du *psalterium gallicanum,* mais empruntés à une version antérieure. Quant aux lectures, toutes les épîtres sont tirées de l'Ancien Testament et sont assez souvent en corrélation avec la péricope évangélique correspondante : elles servent ainsi à établir la *concordia utriusque Testamenti,* qui était un thème favori de l'ancienne catéchèse chrétienne, notamment dans la préparation des catéchumènes au baptême. La plupart d'ailleurs de ces textes se trouvent expliqués dans des sermons que S. Ambroise, S. Augustin, S.

---

(1) L. Duchesne, *Notes sur la topographie*, p, 235. Cf. Id. *La Liber Pontificalis,* p. 225.

(2) Il va sans dire que ces formulaires ont subi, depuis S, Hilaire, bien des changements. Il en est qui sautent aux yeux ; d'autres peuvent être prouvés avec certitude ; il en est enfin que nous ne pouvons que soupçonner, Mais dans leur ensemble ils doiveut avoir garde leur physionomie primitive.

Pierre Chrysologue, S. Maxime de Turin et S. Césaire semblent avoir prononcés durant le temps de carême. Un assez grand nombre enfin rentrent dans le cycle des sujets, représentés dans les peintures des catacombes et les plus anciennes mosaïques des basiliques. Tous ces indices nous semblent favorables à une haute antiquité.

L'ardeur, qu'on met depuis ces tout dernières années à examiner en détail tout ce qui se rapporte aux stations quadragésimales et à leur influence sur le choix des textes et des cérémonies liturgiques, ne manquera pas sans doute d'appeler l'attention sur plus d'un indice qui pourrait être de nature à contredire, à rectifier ou à confirmer notre hypothèse. Nous ne demandons pas mieux.

Entretemps nous ne pouvons manquer de signaler un rapprochement chronologique qui nous a frappé. Par une suite de considérations basées sur des textes, des faits et des analogies, nous en sommes arrivé à croire que c'est le pape Hilaire qui a fixé l'ordre des stations du carême et conséquemment sans doute arrêté le formulaire des messes quadragésimales, à partir du mercredi des cendres : la série des évangiles y débute par les recommandations de Notre Seigneur sur la droiture d'intention dans le jeûne et l'aumône (Matth. VI, 16-21). D'autre part, en étudiant les sermons de S. Maxime de Turin au point de vue de l'histoire du carême, nous constatons que le zelé prédicateur, tout en repoussant énergiquement l'extension du carême jusqu'à la Quinquagésime (1), admet néanmoins et approuve, comme préparation au carême, un jeûne de dévotion plus court, qui, tout considéré, ne peut être autre que le jeûne du mercredi et du vendredi — anciens jours de stations — avant le premier dimanche du carême. Et

(1) Migne Patrol. Lat. t. LVII, *Sermo XXVI*, initio.

l'orateur nous fournit ces indications dans une homélie sur l'évangile du jour, précisément celui de notre mercredi des cendres ! Or le pape Hilaire a célébré à Rome en novembre 465, un concile auquel assistèrent d'assez nombreux évêques de Gaule et d'Italie : parmi ceux-ci se trouvait S. Maxime de Turin : il eut même l'honneur d'être le premier, aprés le pape, à apposer sa signature au bas des actes du concile romain. Serait-il téméraire de croire, qu'en retournant à Turin, S. Maxime ait emporté, dans sa valise, autre chose que les actes conciliaires du synode de Rome ?

C. Callewaert.

Indulta Apostolica

I

De oneribus missarum manualium aut fundatarum.

BEATISSIME PATER,

Archiepiscopus et Episcopi Belgii ad pedes Sanctitatis Vestræ humiliter provoluti, devote postulant ut impertiat ipsis facultates Ordinariis Italiæ a Sancta Sede die 29 Iunii 1919 concessas, signanter quod spectat reductionem Missarum sive manualium sive fundatarum ad taxam diœcesanam pro temporis necessitate adauctam (1).

Insuper iidem Episcopi oratores reverenter exponunt in suis partibus non infrequentes esse casus quibus vel fundationum redditus sive partim sive totaliter perierunt; vel fundationum tituli tum originales tum transumpti sunt combusti aut alias destructi; vel ipsarum Missarum manualium celebrandarum elenchus deperditus est ita ut de earum numero notitia certa haberi nequeat. Ideo enixe postulant iidem

---

(1) Tenore litterarum S. Congregationis Consistorialis, de quibus in supplicatione agitur, Sua Sanctitas:

1° consilio iuvat Ordinarios Italiæ ut, attentis temporum circumstantiis, stipendium missarum manualium ad minus ad liras tres augeant;

2° facultatem eisdem tribuit, ad normam novæ taxationis, reducendi stipendium missarum, quocumque e fonte provenientium, quas apud Curiam sive apud se retinent, supplente Sua Sanctitate, pro imminuto numero missarum, de thesauro Ecclesiæ;

3° facultatem similiter tribuit omnibus totius Italiæ Ordinariis, inclusis regularibus, pro uno quinquennio, reducendi onera missarum legatis aut piis fundationibus inhærentium, ea lege scilicet, ut quod, solutis solvendis pro utensilibus sacris, et pro administratione et pro aliis oneribus a fundatoribus statutis, supererit, erogetur pro missis ad normam taxæ synodalis.

oratores ut opportuna remedia adhibere Sancta Sedes benigne dignetur.

Et Deus.

(s.) † D. J. Card. MERCIER, Arch. Mechlin.

Mechliniæ, 26ª Augusti 1919.

Petitam facultatem quoad missarum reductionem libenti animo concedimus ; quoad secundam facultatem libero et prudenti arbitrio Episcoporum belgarum rem integram remittimus.

Die 14ª Dec. 1919.

(s.) BENEDICTUS PP. XV.

II

De abstinentia quadragesimali et facultate in abstinentiæ lege dispensandi.

Mechliniæ, 30 Augusti 1919.

BEATISSIME PATER,

Cardinalis Archiepiscopus Mechliniensis cæterique Episcopi Belgii, ad pedes Sanctitatis Vestræ provoluti, exponunt quod sequitur.

Vi Codicis Iuris Canonici (can. 1252), lex abstinentiæ per tempus quadragesimale servanda est feriis sextis et sabbatis. Atvero adhinc longo jam tempore præfati Episcopi singulis annis, vi Indulti pontificii, fidelibus suis dispensationem super esu carnis tribuerunt die Sabbati, exepto Quatuor Temporum, ita ut dies abstinentiæ hisce in regionibus non manserint tantummodo feriæ quartæ et sextæ. Quum hæc observantia jam moribus invaluerit, et timendum sit statutum canonis 1252 practice introduci non posse, Sanctitatem Vestram humiliter rogant Oratores ut decernere dignetur legem abstinentiæ in diœcesibus Belgii, non Sabbato, excepto Quatuor Temporum, sed feria quarta et feria sexta per tempus quadragesimale servandam esse.

Insuper Sanctitatem Vestram supplicant ut ipsis benigne indulgeat facultatem dispensandi, justis de causis, etiam generali dispositione, a lege abstinentiæ illos qui in diversoriis vel cauponis (hôtels, restaurants) cibum sumunt.

Et Deus.

(s.) † D. J. Card. MERCIER, Arch. Mechlin.

Binas facultates concedimus ad quinquennium.

(s.) BENEDICTUS PP. XV.

Die 14ª Dec. 1919.

Commissio Pontificia de re biblica

De Parousia seu de secundo adventu Domini nostri Iesu Christi in epistolis Sancti Pauli Apostoli (1).

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio de Re Biblica ita respondendum decrevit :

I. Utrum ad solvendas difficultates quæ in epistolis sancti Pauli aliorumque Apostolorum occurrunt, ubi de « Parousia », ut aiunt, seu de secundo adventu Domini nostri Iesu Christi sermo est, exegetæ catholico permissum sit asserere, Apostolos, licet sub inspiratione Spiritus Sancti, nullum doceant errorem, proprios nihilominus humanos sensus exprimere, quibus error vel deceptio subesse possit ?

R. Negative.

II. Utrum præ oculis habitis genuina muneris apostolici notione et indubia sancti Pauli fidelitate erga doctrinam Magistri ; dogmate item catholico de inspiratione et inerrantia sacrarum scripturarum, quo omne id quod hagiographus asserit, enuntiat, insinuat,

---

(1) *Acta Apostolicæ Sedis*, tom. VI, 1915, pp. 357-358.

retineri debet assertum, enuntiatum, insinuatum a Spiritu Sancto; perpensis quoque textibus epistolarum Apostoli, in se consideratis, modo loquendi ipsius Domini apprime consonis, affirmare oporteat, Apostolum Paulum in scriptis suis nihil omnino dixisse quod non perfecte concordet cum illa temporis Parousiæ ignorantia, quam ipse Christus hominum esse proclamavit ?

R. Affirmative.

III. Utrum attenta locutione græca « ἡμεῖς οἱ ζῶντες οἱ περιλειπόμενοι » ; perpensa quoque expositione Patrum, imprimis sancti Ioannis Chrysostomi, tum in patrio idiomate tum in epistolis Paulinis versatissimi, liceat tamquam longius petitam et solido fundamento destitutam reiicere interpretationem in scholis catholicis traditionalem (ab ipsis quoque novatoribus sæculi XVI retentam), quæ verba sancti Pauli in cap. IV, epist. I ad Thessalonicenses, vv. 15-17, explicat quin ullo modo involvat affirmationem Parousiæ tam proximæ ut Apostolus seipsum suosque lectores adnumeret fidelibus illis qui superstites ituri sunt obviam Christo ?

R. Negative.

Die autem 18 iunii 1915, in audientia infrascripto Reverendissimo Consultori ab Actis benigne concessa, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XV prædicta responsa rata habuit et publici iuris fieri mandavit.

Romæ, die 18 iunii 1915.

L. ✠ S. LAURENTIUS IANSSENS, O. S. B.
Abb. tit. Montis Blandini.
Consultor ab Actis.

Pontificia Commissio

Ad Codicis Canones authentice interpretandos

I

DUBIA

IN PLENARIO CŒTU DIEI 17 FEBRUARII 1918
PROPOSITA AC RESOLUTA (1)

I. An lex abstinentiæ cesset in Gallia diebus festis sub præcepto in universa Ecclesia servatis, sed in Gallia ex concessione Sanctæ Sedis suppressis, scilicet festis Circumcisionis, Epiphaniæ, Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli. C. 1252, § 4.

Resp. : *Negative.*

II. Quænam sint festa suppressa, de quibus in cann. 339, § 1, 466, § 1, in quibus nempe ab Episcopis et Parochis applicanda est Missa pro populo sibi commisso. C. 339, § 1 et 466, § 1.

Resp. : Nihil hac in re per Codicem iuris canonici immutatum esse a disciplina huc usque vigente.

III. Utrum festa quæ non enumerantur in can. 1247, § 1, ipso facto ipsaque lege nullibi sint amplius de præcepto, etiamsi in aliqua natione, diœcesi aut loco antea fuerint de præcepto ex particulari lege vel consuetudine etiam centenaria loci, aut ex speciali concessione Sanctæ Sedis. C. 1247, § 1.

Resp. : *Affirmative*, ita ut in iis diebus non amplius fideles urgeat duplex obligatio audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus.

P. Card. Gasparri, *Præses*,

Aloisius Sincero, *Secretarius*.

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1918, t. X, p. 170.

II.

DUBIA

IN PLENARIIS CŒTIBUS DIERUM 2-3 IUNII 1918 SOLUTA (1).

I.

De obligationibus clericorum.

C. 139. § 3. Utrum quoad licentias habendas, de quibus in Decr. *Docente Apostolo*, 11 nov. 1910 (2), recurrendum sit ad S. Sedem, an vero ad proprium Ordinarium.

Resp. : Ad Ordinarium proprium.

II.

De religionum regimine.

C. 505. Utrum præscriptum canonis : « superiores minores locales ne constituantur ad tempus ultra triennium, etc. », applicetur quoque superioribus seu directoribus scholarum, hospitalium, aliorumque piarum domorum.

Resp. : Affirmative, si superiores isti seu directores sint simul superiores religiosorum, sub sua potestate habentes alios religiosos, etiam quoad religiosam disciplinam.

III.

De irregularitatibus aliisque impedimentis.

C. 987. n. 5. 1. Utrum ad sensum canonis 987, n. 5, impediti sint qui ad militiam forsan vocabuntur, sed de facto nondum sunt vocati, vel quia ætate impares sunt, vel quia, examine recte peracto, ad tempus inhabiles sunt declarati.

Et quatenus negative :

2. Utrum prædicti non solum ad primam tonsuram et minores Ordines, sed etiam ad maiores licite

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, l. c., p. 344 ss.

(2) Cf. *Coll. Brugen.*, 1911, t. XVI, p. 11 s. ; De Brabandere-Van Coillie, *Jus. can. et can.-civ. comp.*; ed. 8, t. I, p. 614, n. 545.

promoveri possint, servato tamen, quoadusque hoc bellum perduraverit, Decreto *Ut ius certum* (1).

Resp. : Ad 1m Affirmative.

Ad 2m Provisum in primo.

IV.

De matrimonio.

1. Si quis reclamet ius suum ex sponsalibus valide contractis contra partem inituram matrimonium cum alio, matrimonium eritne suspendendum usque dum actum fuerit de iusta causa dispensationis priorum sponsalium et de damnorum reparatione, si qua debeatur ? C. 1017, § 3.

Resp. : Negative, seu non amplius admitti actionem de iusta causa dissolutionis sponsalium ; actionem vero reparationis damnorum non suspendere matrimonii celebrationem.

2. Utrum actio reparationis damnorum, de qua in can. 1017, § 3, pertineat ad forum ecclesiasticum, an ad civile. C. 1017, § 3.

Resp. : Actionem reparationis damnorum, de qua in can. 1017, § 3, esse mixti fori.

3. Si sponsa vel sponsus inveniantur ignari doctrinæ christianæ, eritne locus eos respuendi a matrimonio, vel differendi matrimonium usque ad instructionem ? C. 1020, § 2.

Resp. : Parochus servet præscriptum canonis 1020, § 2 ; et dum ea peragit quæ Codex peragenda præscribit, sponsos ignorantes sedulo edoceat prima saltem doctrinæ christianæ elementa ; quodsi renuant, non est locus eos respuendi a matrimonio ad norman canonis 1066.

4. Si pars post adeptam pubertatem plusquam per sex menses commorata fuerit in longissimis et dissitis oris, a quibus ut habeatur regularis attestatio libertatis status longius tempus requiritur, cum tamen urgeat celebratio matrimonii, sufficitne in casu ad certiorandam libertatem status iuramentum partis cum testimonio duarum, vel si non possint haberi duo, C. 1023, § 2.

(1) Decret. S. C. Consist., ad Italiæ Ordinarios, 2 jan. 1917, *Acta Ap. Sed.*, 1917, t. IX, p. 15 s.

saltem unius, qui secum commorati fuerint illis in regionibus ?

Resp. : Rem remitti prudenti iudicio Ordinarii, qui alias probationes, non excluso iuramento suppletorio, præscribere potest ad norman canonis 1023, § 2.

C. 97, § 1, 1077, etc. 5. Quid si copula illicita et occulta præcesserit nativitatem nubendæ, de qua dubitari possit an sit filia vel soror alterius partis ?

Resp. : Provisum per can. 1076, § 3.

C. 4, 10. 6. Vis novi Codicis estne retroactiva in his, quæ modificantur circa sponsalia et impedimenta tum impedientia quam dirimentia matrimonium, ita ut quodlibet ius acquisitum vigore sponsalium validorum, nullimode possit reclamari, nisi in quantum novus Codex concedit, et contracta impedimenta modificata a novo Codice, nulla dispensatione indigeant ?

Resp. : Codici, etiam quoad sponsalia et impedimenta, non esse vim retroactivam : sponsalia autem et matrimonia regi iure vigenti quando contracta sunt vel contrahentur, salvo tamen, quoad actionem ex sponsalibus, canone 1017, § 3.

C. 4, 10. 7. Quid dicendum de matrimoniis, si quæ nulla sint ex capite impedimentorum a novo Codice abrogatorum : fiuntne matrimonia illa valida ipsa promulgatione novi Codicis, vel etiam post dictam promulgationem indigent dispensatione, sanatione, etc. ?

Resp. : Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

C. 768, 1079. 8. Utrum cognatio spiritualis ante diem Pentecostes anni 1918 contracta ultra terminos nunc a novo Codice definitos in can. 768, a præfata Pentecostes die ipso facto cesset quoad omnes effectus, an tantum desinat esse impedimentum ad matrimonium.

Resp. : Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam.

V.

De custodia et cultu Sanctissimæ Eucharistiæ.

C. 1267. 1. Canon 1267, quo statuitur in religiosa vel pia domo SS. Eucharistiam custodiri non posse nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio, intelligendusne est

ita, ut prohibeatur eam custodiri præterquam in publica ecclesia pro commoditate fidelium, etiam in principali oratorio, in quod sodales conveniunt ad exercitia pietatis communia ?

Et quatenus negative ad primum.

2. An idem dicendum sit, si quando ecclesia clausa ordinarie maneat et fidelibus non pateat.

3. An idem dicendum sit de pluribus oratoriis in eadem pia domo pluribus sodalium classibus destinatis (duobus, tribus, etc., pro novitiis ex gr., fratribus laicis, studentibus, sacerdotibus), ita ut unaquæque classis suum distinctum habere possit oratorium cum SS. Sacramento ; an potius hoc coarctandum ad ecclesiam et oratorium pro tota communitate destinatum.

Resp. : Sensus canonis 1267 hic est. Si religiosa vel pia domus adnexam habeat publicam ecclesiam eaque utatur ad ordinaria et quotidiana pietatis exercitia explenda, SS. Sacramentum in ea tantum asservari potest ; secus in oratorio principali eiusdem religiosæ vel piæ domus (sine præiudicio iuris ecclesiæ, si quod habet) ; in eoque tantum, nisi eodem materiali ædificio sint distinctæ ac separatæ familiæ, ita ut formaliter sint distinctæ religiosæ vel piæ domus.

VI.

De delictis contra obligationes proprias status clericalis vel religiosi.

An societatibus clericalibus sine votis applicentur can. 2386, 2387, 2389, 2410, 2411, 2413. C. 2386, 2387 2389, 2410, 2411, 2413.

Resp. : Affirmative quoad cann. 2386, 2387, 2389, quatenus sodales vitam communem degant ; quoad can. 2410 quatenus societas privilegio gaudeat dimissorias concedendi ad Ordines suis subditis ; quoad primam partem can. 2411, salvis quoad reliqua constitutionibus ; et quoad can. 2413.

PETRUS CARD. GASPARRI, *Præses.*

Aloisius Sincero, *Secretarius.*

III.

DUBIA

SOLUTA IN PLENARIIS COMITIIS EM^morum PATRUM (1)

C. 6. 1. Utrum præscripta decreti S. C. C. diei 30 nov. 1910 « Decorem domus Dei » (2) *de chori disciplina in urbe servanda*, I-VIII, adhuc vigeant.

Resp. : Affirmative.

C. 10. 2. Utrum vota religiosa simplicia perpetua ex parte voventis, emissa ante promulgationem Codicis in Religionibus votorum sollemnium, sive virorum sive mulierum, sint moderanda quoad modum dimissionis religiosorum et quoad effectus dimissionis a iure antiquo vigente ante Codicem (3).

Resp. : Affirmative.

---

(1) *Acta Apost. Sedis.*, 1919, t. XI, p. 476 ss.

(2) *Ibid.*, 1910, t. II, p. 959.

(3) *Acta Apostolicæ Sedis* hic adjiciunt ad majorem claritatem libellum supplicem oblatum Commissioni cui responsum est : « Fr. Iosephus « Antonius a S. Ioanne in Persiceto, Procurator Generalis Ordinis « Fratrum Minorum Cappuccinorum, ad pedes Sanctitatis Vestræ pro- « volutus, quæ sequuntur humiliter exponit :

« In Ordinibus regularibus virorum sive etiam monialium stricte « dictarum, vota simplicia, quæ usque ad diem Pentecostes h. a. 1918 « sollemnibus præmittebantur, erant (et sunt) *perpetua* ex parte voventis « (S. Congr. super st. Reg., *Sanctissimus*, 12 iun. 1858, n. I ; et S. C. « Episc. et Regul., *Perpensis*, 3 maii 1902, n. V) ; eaque vota, usque « in diem quo vigere cœpit Codex Iuris canonici : *a) apud regulares* « *viros* in Ordinibus clericalibus, ex iustis ac rationabilibus causis, sol- « vebantur ex parte Ordinis in actu demissionis professorum (*Sanctis-* « *simus*, n. III et IV ; et quoad religiosos etiam Ordinis laicalis « militari servitio adscriptos, S. C. de Relig. *Inter reliquas*, 1 ian. 1911, « n. VIII) ; *b) apud Moniales* vero solvebantur ab ipsa Sede Apostolica, « ad quam recurrendum erat in singulis casibus iuxta præscriptum « decreti *Perpensis*, n. XII.

« Porro, quum dimissio huiusmodi professorum non videatur con- « templari saltem explicite sub tit. XVI, lib II, Codicis, *de Personis*, « infrascriptus Procurator Generalis Ordinis FF. Min. Capuccinorum « humiliter quærit :

« Utrum prædicti Regulares, *votis tantum simplicibus sed perpetuis* « obstricti, dimitti deinceps possunt, sicut olim, vi decr. *Sanctissimus* « S. Congr. super st. Reg., 12 iun. 1858, n. IV, respect. *Inter reliquas*, « S. C. de Relig., 1 ian. 1911, n. VIII ; vel, si agatur de Monialibus,

3. Utrum ad normam canonum 199, § 1, et 874, § 1, Parochi, Vicarii parochorum, aliive sacerdotes ad universitatem causarum delegati, possint sacerdotibus sive sæcularibus sive religiosis delegare iurisdictionem ad confessiones recipiendas, aut saltem iisdem iam approbatis iurisdictionem extendere ultra fines loci vel personarum, intra quos ad norman can. 878, § 1, fuerit circumscripta; an ad id egeant speciali facultate seu mandato Ordinarii loci. Can. 199, § 1 et 874, § 1.

Resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

4. An vi canonis 395, § 1, Episcopus teneatur pro quotidianis distributionibus, tam in Cathedralibus quam in Collegiatis, tertiam partem fructuum separare, etiam si in dictis ecclesiis distributiones chorales quamvis tenues, originem repetant ex privilegio apostolico. C. 395, § 1.

Resp.: Affirmative.

5. An optio, de qua in canone 396, § 2, censeatur prohibita, etiam ubi viget ex speciali indulto apostolico. C. 396, § 2.

Resp.: Affirmative.

6. Utrum Canonici iubilati sint exempti a servitio altaris pro sua vice præstando, non obstante contraria consuetudine. C. 422, § 2.

Resp.: Affirmative.

7. Utrum verba *qui sectæ acatholicæ adhæserunt* canonis 542 sint intelligenda de iis, qui Dei gratia moti ex hæresi vel schismate, in quibus nati sunt, ad Ecclesiam pervenerint; an potius de iis qui a fide defecerunt et sectæ acatholicæ adhæserunt. C. 542.

« ad normam decreti *Perpensis* S. Congr. Episc. et Regul. 3 maii 1902, « n. XII, ita ut, data dimissione, ab omni vinculo dictorum votorum « et obligatione liberi fiant;

« vel utrum etiam quoad eosdem professos servare licebit modum « dimissionis qui, sub cap. I, tit. XVI, lib. II, Codicis, servandus « præscribitur circa Religiosos qui vota *temporaria* nuncuparunt;

« et, quatenus affirmative ad hanc secundam partem, quæritur utrum « Religiosus (regularis sive monialis), hoc modo dimissus, ipso facto « solutus habendus sit ab omnibus votis religiosis, uti de dimissis « professis votorum *temporariorum* statuitur in can. 648 ».

Resp. : Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

C. 567, § 1 et 578, n. 1.

8. Utrum, ad normam canonis 567, § 1, et canonis 578, n. 1, novitii et professi a votis temporaneis, si morte præveniantur, ad eadem ac professi a votis sollemnibus, aut professi a votis simplicibus perpetuis, suffragia ius habeant, etiamsi aliter ferant constitutiones antea approbatæ a S. Sede.

Resp. : Affirmative et ad mentem.

Mens est : Ordines et Congregationes religiosæ possunt congrua eademque suffragia pro omnibus novitiis, temporanee professis et professis a votis sollemnibus aut professis a votis simplicibus perpetuis præscribere in suis constitutionibus emendandis et pro approbatione exhibendis ad S. Religiosorum, ad normam eiusdem S. Congregationis Decretum diei 26 iunii 1918 (1).

C. 569, § 1.

9. Num verba *nisi constitutiones aliud ferant* canonis 569, § 1, ad vocem *libere* referantur, ita ut liceat per constitutiones determinare in quem finem de usu et usufructu a novitiis sit statuendum.

Resp. : Constitutiones ante promulgationem Codicis approbatæ servandæ sunt sive novitiis adimant ius disponendi de usu et usufructu suorum honorum, sive hoc ius limitent, seu præfiniant.

C. 621, § 1.

10. Utrum canon 621, § 1, intelligendus sit tantum de religiosis mendicantibus stricto sensu dictis ; an etiam de illis, qui latiori sensu tales appellantur, uti sunt Fratres Ordinis Prædicatorum.

Et quatenus affirmative ad primam partem :

An dicti mendicantes indigeant Ordinarii licentia, si velint stipem petere in diœcesi pro ædificatione, ornatu, etc., suarum ecclesiarum.

Resp. : Affirmative ad primam partem, negative ad secundam ; quod vero attinet ad licentiam ab Ordinario obtinendam provisum in cit. can. 621, § 1.

C. 756 et 98.

11. Utrum qui ad preces parentum, contra præscriptum canonis 756, a ritus alieni ministro baptizati sunt, pertineant ad ritum in quo sunt baptizati, vel

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. X, p. 280.

ad ritum in quo, iuxta præscriptum canonis 756, baptizari debuissent.

Resp. : Prout casus exponitur, negative ad 1m partem, affirmative ad 2m.

12. Utrum facultas celebrandi Missam in domo privata sit ab Ordinario, ad normam canonis 822, § 4, interpretanda restrictive. C. 822, § 4.

Resp. : Affirmative.

13. Utrum, ad normam can. 987, impeditis adnumerandus sit is, cuius pater vel mater tantum est acatholicus, alter parens catholicus. Et quatenus affirmative, an etiam eò in casu, quo matrimonium mixtum datis cautionibus cum dispensatione in hoc vetito contractum fuit. C. 987.

Resp. : Affirmative in omnibus.

14. An sepultura fidelium, quæ locum obtinet in ecclesia subterranea, censenda sit facta in ecclesiâ in sensu canonis 1205, § 2. C. 1205, § 2.

Resp. : Affirmative si agatur de ecclesia subterranea, quæ sit vere et proprie ecclesia, divino cultui addicta.

15. Utrum periculum offensionis, vulgo *malumore*, ex parte fidelium et cleri sit, ad normam canonis 1215, gravis causa, quæ excuset a transferendis cadaveribus fidelium e loco in quo reperiuntur, ad ecclesiam ubi funus persolvatur. C. 1215.

Resp. : Negative, et consuetudinem non transferendi cadavera fidelium, antequam tumulentur, e loco in quo reperiuntur in ecclesiam esse reprobandam.

16. An in collatione parœciarum non reservatarum possit Episcopus imponere pro una vice tantum moderatam taxam favore Seminarii, etiam si parœcia de qua, obnoxia sit tributo huic Instituto solvendo. C. 1355, 1356 1441.

Resp. : Recurrendum esse in singulis casibus ad S. Congregationes competentes.

17. Utrum Ordinarius, prætermissis iuris sollemnitatibus in Constitutione Apostolica *Dei miseratione* requisitis, matrimonium possit declarare nullum cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, quin opus sit secunda sententia, hisce in casibus, nempe : C. 1990.

1) Si duo catholici, in loco certe antehac obnoxio

cap. *Tametsi* Conc. Tridentini, vel post Decretum *Ne temere,* matrimonium civile tantum inierunt, omisso ritu ecclesiastico, et, obtento civili divortio, novum in Ecclesia inire student matrimonium vel novum matrimonium, civiliter initum, in foro Ecclesiæ convalidare.

2) Aut catholica pars, quæ cum acatholica, spretis Ecclesiæ legibus, in templo sectæ protestanticæ (in loco certe antehac obnoxio cap. *Tametsi* Conc. Tridentini, et ubi Benedictina declaratio extensa non est, vel post Decretum *Ne temere*) matrimonium contraxit, obtento civili divortio, in facie Ecclesiæ novum matrimonium cum catholico consorte inire vult.

3) Aut apostatæ a fide catholica, qui in apostasia civiliter vel ritu alieno se iunxerunt, obtento civili divortio, pœnitentes ad Ecclesiam redire et cum parte catholica alteras nuptias in Ecclesia celebrare desiderant.

Resp.: Casus supra memorati nullum iudicialem processum requirunt aut interventum defensoris vinculi, sed resolvendi sunt ab Ordinario ipso, vel a Parocho, consulto Ordinario, in prævia investigatione ad matrimonii celebrationem, de qua in can. 1019 et seqq.

Romæ, 16 octobris 1919.

PETRUS, Card. GASPARRI, *Præses.*

Aloisius Sincero, *Secretarius.*

Pariter propositum fuit Commissioni sequens dubium (1):

C. 1251, § 1. *An retineri potest* tuta conscientia *doctrina ab aliquibus auctoribus tradita juxta quam, post publicationem Codicis, licet diebus solius jejunii carnes edere pluries de die?*

EM^mus Præses Commissionis respondit die 29 octobris: *Negative* (2)

PETRUS, Card. GASPARRI, *Præses.*

Aloisius Sincero, *Secretarius.*

(1) Lingua italica propositum.

(2) In cœtu plenario die 9 decembris 1917, EM^mi Patres, proposito sequenti dubio: *Utrum dubia quæ minoris sint momenti aut non multum difficultatis habeant, solvi possunt ab EM^mo Præside Commissionis*, responderunt: *affirmative.*

Decreta in materia indulgentiarum

Plura inde ab anno 1914 prodierunt decreta circa Indulgentias. Ea brevitatis causa compendiose ordine chronologico exhibemus.

De partialibus indulgentiis semel vel pluries in die lucrandis (1).

... Toties lucrifieri valent indulgentiæ partiales, quoties injunctæ preces vel opera iterentur, si nulla fiat in ipsarum concessionibus declaratio de iis pluries in die vel semel tantum acquirendis. (S. Cong. S. Officii, sectio de Indulgentiis, 25 junii 1914).

Circa modum benedicendi quædam devotionalia Apostolica auctoritate (2).

In benedicendis pluribus similibus aut diversis religionis objectis, quæ sacerdoti pluribus facultatibus munito conjuncta vel commixta offeruntur, atque in ipsis, vigore diversarum facultatum, indulgentiis ditandis, sufficit unicum signum crucis pro pluribus benedictionibus atque indulgentiarum adnexionibus (3). Sed hæc regula ne extendatur ad metallica numismata scapularibus substituenda, de quibus vide decretum S. Officii 16 decembris 1910 (4). (S. Cong. S. Officii, sectio de Indulgentiis, 18 maii 1914).

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. VI, p. 379. Cf. CODEX JURIS CANONICI, c. 928 § 2.

(2) *Ibidem*, t. VI, 1914, p. 346. Cf. *Nouv. Rev. Théol.*, 1914-1919, p. 531.

(3) Quando sacerdoti offeruntur simul plures cruces, coronæ, numismata, crucifixi, ut ipse facultatibus munitus, iis respective adnectat v. g. indulgentias apostolicas, S. Brigittæ, Crucigerorum, bonæ mortis, viæ crucis etc., unicum signum crucis, nulla adhibita formula, sufficit.

(4) Tot fiant signa distincta quot sunt scapularia quibus suffici debeant numismata, *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 148, coll. p. 301 et t. XVIII, p. 525 et hoc tomo v. i. — Si autem præscribatur aliqua formula ad benedictionem impertiendam, v. g. pro indulgentiis S. Rosarii, non sufficit unice signum crucis.

Circa indulgentiam « toties quoties » crucifixis adnexam (1).

Hoc sensu et non alio facultas a quovis obtenta talem benedictionem impertiendi est intelligenda ut quicumque Christifidelis in articulo mortis constitutus aliquem ex hujusmodi crucifixis benedictis, etiamsi illi non pertineat, osculatus fuerit, vel quomodocumque tetigerit, dummodo confessus ac Sacra Communione refectus, vel si id facere nequiverit saltem contritus, SS. Jesu nomen ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperit, plenariam indulgentiam acquirere valeat. (S. Cong. S. Off. sectio de Indulgentiis, 11 junii 1914)

Indulgentiæ Apostolicæ Benedicti PP. XV (2).

Eadem sunt monita, eædem Indulgentiæ ac quæ a Pio Papa X publicata fuerunt initio sui Pontificatus, quæ invenire est apud *Collat. Brugenses,* t. IX, 1904, p. 60 sq. (S. Cong. S. Officii, sectio de Indulgentiis 5 septembris 1914).

Circa indulgentias sodalitatibus lectioni S. Evangelii provehendæ concessas (3).

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. VI, p. 347. Occasio declarationis est usus quorumdam sacerdotum ad S. Officium relatus benedicendi auctoritate apostolica, ut asserebant, crucifixos iis applicando indulgentiam plenariam toties a fidelibus lucrandam quoties osculum alicui ex præfatis crucifixis infixerint. Quæ facultas jam inde non authentica dicenda videbatur quod limites discretionis excedebat. Hac ergo benedictione crucibus adnectitur indulg. plenaria, quam semel in articulo mortis lucrantur *tot quot* osculantur aut tangunt hanc crucifixi imaginem. Cf. *Nouv. Rev. Theol.* 1914-1919, p. 535 sq. Inde differt a cruce cui adnexæ sunt ind. apostolicæ. Manet dubium debeantne crucifixi de quibus hic, præsentari moribundo a possessore, et cessetne indulgentia toties quoties ad mortem possessoris crucis.

(2) *Ibidem*, t. VI, p. 503 sqq. — Hæc tantum mutatio occurrit quod elenchus indulgentiarum apostolicarum si lingua vulgari edatur ferre debeat approbationem S. Congregationis S. Officii, ad quam devolutæ sunt partes S. Congregationis Indulgentiarum. Huic congregationi postea substituta est S. Pœnitentiaria : vide infra.

(3) *Ibidem*, t, VI, p. 670.

Ad lucrandas indulgentias die 23 aprilis currentis anni tributas (1), non est necessarium ut fideles adscribantur sodalitio exsistenti in loco vel diœcesi in qua degunt, sed sufficit ut dent nomen cuicumque libuerit ex iis quæ canonice a Rev^mis Ordinariis erectæ sunt. Visitatio præscripta ad lucrandas indulgentias peragi potest in qualibet ecclesia vel publico oratorio; salvo jure eorum qui vitam communem agunt, juxta decretum hujus S. Congregationis, d. d. 14 januarii 1909 (2). (S. Cong. S. Officii, sectio de Indulg. 26 novembris 1914).

Declaratio circa titulum : « Cor Jesu Eucharisticum » (3).

Quæstioni « Num titulus *Cor Jesu Eucharisticum* servet sensum, quibuscumque non obstantibus, quem habet in ultima Collectione *(Raccolta)* Indulgentiarum anni 1898 et in Brevi dato a Leone XIII die 16 februarii 1903 », respondit S. Congregatio S. Officii, 24 martii 1915), in litteris Em^mi Cardinalis Merry del Val ad Em^mum Cardinalem Parisiensem, 3 aprilis 1915) : « Affirmative ; et ad mentem. *Mens est* ut firma et immutata remanere debeant Decreta S. Sedis quoad emblemata, imo etiam quoad partem liturgicam devotionis erga Cor Jesu Eucharisticum : attamen devotio ipsa erga Cor Jesu Eucharisticum haberi debeat ut adprobata ab Apostolica sede in sensu declarationis quæ continetur in ultima collectione Indulgentiarum, anno 1898 edita ».

---

(1) *Collat. Brugenses*, t. XIX, (1914), p. 480.

(2) *Ibidem*, t. XV. (1910), p. 303. Hi nimirum visitare possunt sacellum propriæ domus quoties præscribatur visitatio *alicujus ecclesiæ in genere, id est non determinatæ*. Concessa est etiam indulgentia 300 dierum, semel in die pie legentibus Evangelium saltem per horæ quadrantem, et indulgentia plenaria sub conditionibus ordinariis iis qui mense integro singulis diebus ita legerint (S. C. Indulg. 13 decembris 1898).

(3) *Acta Apost. Sedis*, t. VII, p. 205 sq. Cfr. *Ami du clergé*, 12 juin 1919, p. 875 sq.

Nota. In præfata declaratione Cor Jesu Eucharisticum colitur tamquam symbolum caritatis Christi *instituentis* Sacramentum Corporis et Sanguinis sui (1). (S. Cong. S. Off., sectio de Indulgentiis, 24 marti 1915).

Circa Pia opera Propagationis Fidei, S. Francisci Salesii et S. Infantiæ (2).

Sacerdotes qui in Curiis diœcesanis secretarii munere funguntur, per anni decursum oblationes recipientes, quas parochi diœcesum attulerint, ad respectivum directorem diœcesanum Piorum Operum Propagationis Fidei, S. Francisci Salesii et S. Infantiæ transmittendas, jus non habent ad facultates et privilegia parochorum [collectorum scil.].

Neque directores prædicti auctoritate pollent easdem facultates et privilegia iisdem secretariis communicandi. (S. Cong. S. Officii, sectio de Indulg. 10 junii 1915).

Apostolatus orationis (3).

Qui Apostolatui orationis adscribitur, non potest, ut indulgentiam diei adscriptionis adnexam lucretur, alium diem ad libitum eligere, loco ipsius diei inscriptionis.

Quotidiana matutina intentio in prædicto Apostolatu peragenda vocali formula est exprimenda. (S. Cong. S. Off., sectio de Indulg., 10 junii 1915).

---

(1) Ratio dubitandi erat decretum S. Cong. Rituum, 15 julii 1914, (*Acta Apost. Sedis*, t. VI, p. 382 sq.), ubi *Cor Jesu Eucharisticum* intelligendum declarabatur Cor Jesu prouti *præsens* est in SS. Eucharistiæ sacramento. Hic sane sensus non damnatur; alter tamen in textu relatus antea usurpatus in Raccolta et in Brevi Leonis XIII, authentice a S. Officio approbatur in devotione erga Cor Jesu Eucharisticum.

(2) *Acta Apost. Sedis*, t. VII, p. 409. Circa Opus Propagationis Fidei. cf. *Collat. Brugenses*, t. XVIII, p 645; Beringer, *o. c.*, II, p. 425 et 521; *Florilegium*, p. 284. — Circa Opus S. Francisci Salesii, cfr. Beringer, *o. c.*, II, p. 391; *Florilegium*, p. 292. — Circa Opus S. Infantiæ, cf. *Collat. Brug.*, t. X, p. 386; *Florilegium*, p. 288; Beringer, II, p. 435.

(3) *Ibidem*, t. VII, p. 409. Cfr. Beringer, *o. c.*, II, p. 197 et 517; *Florilegium*, p. 240.

Altare privilegiatum (1).

Non requiritur ut sive sacerdos celebrans, sive fidelis offerens missæ stipendium eliciat intentionem saltem virtualem lucrandi pro defuncto Indulgentiam plenariam Altaris privilegiati. (S. Cong. S. Off. sectio de Indulg., 17 junii 1915, confirmans decretum S. Cong. Indulgentiarum, d. d. 12 martii 1855).

De indulgentiarum concessionibus recognoscendis (2).

... « Illarum tantummodo sub pœna nullitatis supremæ Congregationi [S. Officii] exhibenda sunt documenta Indulgentiarum, quæ universi catholici orbis christifidelibus concessæ sint ». Itaque deinceps nec Indulgentias *particulares*, quantumvis late pateant, nec facultates benedicendi pia objecta eisque Indulgentias et privilegia adnectendi, quibusvis sacerdotibus tributas, necesse est ejusdem Congregationis recognitioni subjicere. (*Motu proprio* Benedicti XV, 16 septembris 1915).

Numismata scapularia (3).

Dum sufficit primum scapulare (v. g. B. M. V. de Monte Carmelo) quod in adscriptionis actu induitur, benedicere, quin deinde alia ejusdem generis scapularia nova benedictione egeant pro eadem persona, non sufficit item primum numisma benedicere sed debent singula numismata quæ præcedenti deperdito aut usu detrito substituuntur, nova benedictione muniri. (S. Cong. S. Officii, 11 maii 1916).

Circa indulgentias Tertii Ordinis S. Francisci (4).

Ex facta communicatione indulgentiarum et privilegiorum I^i et II^i Ordinis S. Francisci ad Tertium Ordinem « non

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. VII, p. 410. Cf. Beringer, *o. c.*, I, v. tabul. analyt. p. 735 ; P. Stein, *Tractatus de Indulgentiis lucrandis* ², p. 28.

(2) *Ibidem*, t. VII, p. 457. Hoc jam valet de S. Pœnitentiaria ad quam materia indulgentiarum translata est per *Motu Proprio* 25 martii 1917 quod infra refertur. Codex J. C., c. 920. Pius Pp. X in suo *Motu Proprio* 7 aprilis 1910 hanc recognitionem exigebat etiam pro concessionibus particularibus.

(3) *Ibidem*, t. VIII, p. 175 sq.

(4) *Ibidem*, t. VIII, p. 293 sq.

pauca dubia suborta sunt, quoad eiusdem interpretationem et applicationem ad casus particulares. Quapropter, ut secure procedatur in re tanti momenti, orator suppliciter rogavit ut authentice solverentur hæc dubia :

I. Utrum vi prædictæ communicationis, ecclesiæ seu publica oratoria quæ sint propria Tertii Ordinis Sæcularis Franciscalis, gaudeant Indulgentiis concessis cuilibet ecclesiæ et oratorio publico primi et secundi Ordinis nec non Tertii Ordinis Regularis favore omnium fidelium, qui ea loca certis diebus visitaverint ?

II. Utrum fideles adscripti Tertio Ordini S. Francisci lucrari possint Indulgentias directe concessas ecclesiis seu oratoriis primi, secundi et tertii Ordinis Regularis, si loco ipsorum visitent ecclesiam seu capellam in qua sedes Sodalitii est constituta, quamvis hæc ecclesia seu capella ad Tertium Ordinem proprie non pertineat ? Et, si affirmative.

III. An vi indultæ communicationis, Tertiarii lucrari valeant Indulgentiam plenariam concessam visitantibus ecclesias primi Ordinis in Commemoratione omnium Fratrum defunctorum, tum in die quo eadem Commemoratio celebratur apud Familiam sub cuius obedientia vivunt, tum etiam in die quo apud alias Familias celebratur, idest pluries per annum ?

IV. Utrum Indulta pro consequendis Indulgentiis favore Tertiariorum infirmorum, impeditorum, etc., de quibus agitur cap. V Summarii approbati a Sacra Congregatione Indulgentiarum die 11 septembris 1901, respiciant dumtaxat Indulgentias Tertio Ordini Sæculari directe concessas, an etiam communicatas, ex primo, secundo ac tertio Ordine Regulari ?

V. An hæc communicatio a Pio X indulta valeat tam pro Indulgentiis ad ea usque tempora concessis quam pro illis quæ in posterum Ordini Franciscali concedentur ?

Et E^mi Domini Cardinales Generales Inquisitores, feria IV, die 7 iunii 1916, in ordinario cœtu coadunati, respondendum censuerunt :

Ad I et II. *Affirmative.*

Ad III. *Negative,* sed semel tantum in anno.

Ad IV. *Negative* ad primam partem ; *affirmative* ad secundam.

Ad V. *Affirmative.* (S. Cong. S. Officii, sectio de Indulgentiis, 8 junii 1916).

De formulis precum indulgentiis ditatis non interpolandis (1).

Formulæ quæcumque precum, laudum, invocationum etc. a Sancta Sede indulgentiis ditatæ, per quamlibet additionem, detractionem, interpolationem, concessis indulgentiis plane destituuntur. (S. Cong. S. Officii, sectio de indulg., 22 junii 1916).

Sodalitates ad provehendas juvandasque religiosas vocationes indulgentiis ditantur (2).

Omnes et singulæ Indulgentiæ ac privilegium Missarum, quæ per decretum S. Congregationis S. Officii, 29 maii 1913, Pius Pp. X elargitus est sodalitatibus promovendis juvandisque ecclesiasticis vocationibus erectis vel erigendis (3), extenduntur ad consimiles sodalitates provehendis juvandisque, pro

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. VIII, p. 265. Cf. CODEX J. C., c. 934, § 2.

(2) *Ibidem*, t. VIII, p. 399.

(3) *Ibidem*, t. V, p. 236 sq. Decreto citato sequentes concessæ sunt indulgentiæ.

1° Ind. plen. a) die ingressus in sodalitatem : conditiones : conf. s. comm., preces ad int. S. P. Applicabilis animabus purgatorii ;

b) in artic. mortis sub condit. ordin. pro tali indulg. Incranda ;

c) in festo Titularis, in SS. Apostolorum natalitiis (i. e. in festis principalibus eorum non vero in secundariis), in uno ex tribus singulorum Quatuor Temporum diebus : conditiones : conf., s. comm., visitatio eccl. et preces. Applicabilis animabus purgatorii.

2° Indulg. 100 dierum pro quolibet pietatis vel caritatis opere quod juxta fines sodalitatis peragitur. Applicabilis an. purg.

3° Missæ omnes quæ in suffragium animarum sodalium defunctorum celebrantur, ita illis animabus suffragantur ac si in altari privilegiato celebratæ fuissent.

Benignissimam attentionem confratrum in sacerdotio provocamus ad opus benedicente Illmo D. Episcopo in Seminario brugensi institutum : *Werk ter bevordering van priesterlijke roepingen.*

quolibet Ordine, Congregatione, Instituto, ex utroque sexu, religiosis vocationibus atque admissionibus ad novitiatus, canonice jam constitutas vel in posterum constituendas. (S. Cong. S. Officii, 11 octobris 1916).

Indulgentia « toties quoties » in Commemoratione omnium fidelium defunctorum lucranda ex Decreto S. Officii 25 junii 1914 in favorem animarum in Purgatorio degentium (1) non est annexa perenniter ipsi diei 2 novembris sed ipsi Commemorationi omnium fidelium defunctorum si hæc, juxta Rubricas, contingat alia die celebrari (2). (S. Cong. S. Officii, sectio de Indulg., 14 decembris 1916).

S. Pœnitentiaria substituitur S. Officio (3).

« Quidquid ad Indulgentias pertinet, omne jam esto Pœnitentiariæ Apostolicæ: quæ quidem pro suo instituto judicabit de omnibus quæ spectant ad *usum et concessiones Indulgentiarum, salvo jure S. Officii videndi ea quæ doctrinam dogmaticam circa novas orationes et devotiones respiciunt.* » (*Motu proprio*, Benedicti XV, 25 martii 1917).

Tertiariis sœcularibus S. Francisci datur facultas benedictionis seu absolutionis recipiendæ intra octiduum festivitatum quibus ea est adnexa (4). (Benedictus XV, 14 aprilis 1917).

Altaria privilegiata (5).

1° An privilegium Altaris applicari potest pluribus defunctis, pro quibus Missa celebratur ? R. Negative,

---

(1) *Ibidem*, t. VI, p. 378. Nota in præsenti *Motu proprio* ex menda typographica hoc Decretum inscribi 25 julii in textu Actorum ; quam mendam corrigimus. — Cf. *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 604.

(2) *Acta Apost. Sedis*, t. IX, p. 179. Hæc translatio tunc tantum occurret si dies Dominica incidat in 2 Novembris quo casu Commemoratio Defunctorum cum suis privilegiis in die immediate sequenti celebratur juxta decretum 28 februarii 1917, *Acta*, t IX, p, 186. Cfr. Calendarium diœc. brug,, 1920, p. 5.

(3) *Ibidem*, t. IX, p. 167. Cfr. C. J. C., c. 920.

(4) *Ibidem*, t. IX, p. 262.

(5) *Ibidem*, t. IX, p. 440.

prout jam decisum a S. Cong. Indulg., 29 februarii 1864 et 19 junii 1880.

2° An recipi queunt onera perpetua missarum ad Altare privilegiatum celebrandarum ? R. Recipi possunt, dummodo numerus Missarum tam fundatarum quam adventitiarum sit talis ut ei commode satisfieri possit. (S. Pœnitentiaria apostolica, sectio de Indulg., 6 julii 1917).

Mutilati lucrari possunt indulgentias pro quibus lucrandis recitatio precum una cum aliquo corporis actu injungitur (v. g. signo crucis, vel genuflexione) quem peragere impares sunt, fusis dumtaxat precibus (1): (S. Pœnitentiaria, sectio de Indulgentiis, 22 octobris 1917).

Dubia circa pium Viæ Crucis exercitium et indulgentias eidem adnexas rite lucrandis (2).

Quæritur : I Utrum decretum S. Officii 24 julii 1912 (3) abrogaverit etiam pias Uniones et pia Exercitia « *Viæ Crucis Perpetuæ* » (4) et « *Viæ Crucis viventis* » (5); cum indulgentiis quæ eisdem respective sunt adnexæ ?

II. Utrum abrogatio coronarum, quas vocant Viæ Crucis, et cuiusvis concessionis, quæ eas respiciat, se extendat etiam ad illas Viæ Crucis coronas, quæ ante abrogationis Decretum fuerant legitime benedictæ, indulgentiis ditatæ et fidelibus iam distributæ ?

III. An per idem Decretum censendus sit abolitus usus crucium vel crucifixorum, quibus per facultates speciales, cuicumque tributas, adnexæ fuerant indulgentiæ Viæ Crucis, lucrandæ ab iis etiam qui nullo detinentur impedimento ab exercitio rite obeundo ; et an huiusmodi cruces et

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. IX, p. 593. Refer ad can. 936 de mutis.

(2) *Acta Apost. Sedis*, t. X, p. 30 sq.

(3) Vide *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 682. Cf. *Ephemerides liturgicæ*, 1912, p. 280 et 619 ; *Nouv. Rev. Théol.*, 1912, p. 691 ; *De religiosis*, 1912 p. 7.

(4) Beringer, *Les Indulgences*, 1905, II p. 154.

(5) *Ibid.*, II, p. 156,

crucifixi, qui fuerint iam benedicti et distributi, in posterum pro lucrandis indulgentiis valeant tantum in casu legitimi impedimenti ?

IV. Utrum in usu crucifixorum cum adnexis indulgentiis Viæ Crucis rite benedictorum, ad indulgentias lucrandas, requiratur Passionis Dominicæ meditatio, vel saltem pia eiusdem recordatio ; an sola sufficiat statutarum precum recitatio, viginti nempe *Pater* cum totidem *Ave*, *Maria*, et *Gloria* ?

V. An laudato Decreto abrogata fuerint etiam Indulta, quibus confessariis aliisve concessa est facultas impeditis commutandi preces iniunctas in alia pia opera ?

VI. An eodem Decreto abolitæ sint etiam illæ concessiones, quibus permittitur, in stationibus singulis rite visitandis, ut multitudo populi fidelis in suo loco consistat, ibique pro qualibet statione assurgat tantum et genuflectat ?

Et Sacra Pœnitentiaria respondendum censuit :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III. *Affirmative* ad utramque partem.

Ad IV. *Affirmative* ad primam partem ; *Negative* ad secundam.

Ad V. *Negative* dummodo usus crucifixi benedicti non omittatur, et aliqua saltem addatur pia Passionis Dominicæ memoria.

Ad VI. *Negative*, si agatur de publico exercitio in ecclesia, quod a multitudine fidelium in communi peragatur. (S. Pœnit., sectio de Indulg., 14 decembris 1917).

Pia unio cleri « pro missionibus » spiritualibus favoribus augetur (1).

I. Ind. plen. sub consuetis conditionibus, in festis 1) Epiphaniæ, 2) SS. Apostolorum (2), 3) S. Michaelis Archangeli, 4) S. Francisci Xaverii, 5) semel in mense

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. XI, p. 20. — Decreto S. Cong. de Propaganda Fide, 2 februarii 1920, *ibid.*, p. 121. præses Piæ Unionis pro Belgio nominatur Em^mus^ Cardinalis Mercier.

(2) Id est in eorum festo natali tantum. C. J. C., c. 921.

die ad proprium cujusque arbitrium eligenda, 6) in articulo mortis, servatis servandis.

II. Ind. 100 dierum pro quolibet pietatis opere in favorem Missionum expleto.

III. Facultas, dummodo adscriptos ad sacramentales confessiones audiendas sit approbatus :

1) benedicendi, extra Urbem, unico crucis signo, coronas, rosaria, cruces, crucifixos, numismata et parvas statuas, cum applicatione indulgentiarum apostolicarum (de quibus in *Acta Apostolicæ Sedis*, sub die 5 septembris 1914) ; 2) benedicendi, unico signo crucis, coronas, iuxta typum Rosariorum B. M. V. confectas, cum applicatione indulgentiarum, quæ a PP. Crucigeris nomen habent ; 3) benedicendi ac imponendi, servatis ritibus ab Ecclesia præscriptis, scapularia Passionis D. N. I. C., Immaculatæ Conceptionis, B. M. V., SS. Trinitatis, B. M. V. Perdolentis, B. M. V. a Monte Carmelo, ab Apostolica Sede approbata, firmo onere legitimæ inscriptionis pro tribus postremis ; 4) benedicendi, unico signo crucis, crucifixos, cum applicatione indulgentiarum pii exercitii a Via Crucis nuncupati, in favorem fidelium, qui quominus sacras visitent « Stationes », legitime impediuntur ; 5) benedicendi, unico signo crucis, crucifixos, iisdemque applicandi plenariam indulgentiam, in articulo mortis ab iis acquirendam, qui paæscriptis expletis conditionibus illos osculati fuerint, aut saltem aliquo modo tetigerint.

IV. Indultum personale altaris privilegiati, quater in qualibet hebdomada, dummodo simile indultum pro alia die non obtinuerint. (S. Pœnitentiaria 15 novembris 1918).

A. Legrand.

LIBRI DE APOLOGETICA

(Sequitur) supra p. 50.

Nihilominus poterit apologeta appetibilitatem dogmatum, ubi occurrit, in lucem ponere, adeoque in infideli gignere dispositionem præviam, qua desideret vera esse ea quæ ut revelata et credenda proponuntur. Attamen in talibus argumentis cavendum est a/ ne appetibilitas exhibeatur ac si esset credibilitas, aliis verbis, ne veritates ideo ut credendæ proponantur quia placent; b/ ne id, quod supernaturale est, exhibeatur ut postulatum a naturalibus animæ humanæ tendentiis. Quæ incommoda non vitavit A., ut videtur, in exemplis quæ proposuit (p. 342-408) et præsertim in iis quæ disserit p. 408-428. — Quid intelligit A. scribendo « la solution chrétienne du problème de Dieu comme vérité *humaine* » (p. 390)? An censet A. in ipsa anima humana, quatenus naturaliter Deum cognoscere aut amare potest, inveniri aliquid quod postulat Trinitatem divinam? — Rite indicat A. errores quos philosophi, extra christianismum, docuerunt de Deo et errores qui inveniuntur in religionibus non-christianis, sed an ideo *vera* est religio christiana, quia ejus de Deo doctrina est immunis a talibus erroribus? An *vera,* quia mysteria circa Deum proposita in christianismo « fondent entre Dieu et l'homme des relations d'une extraordinaire intimité et dont l'amour est le cararctère spécifique et dominateur » (p 391)? Nec etiam clare apparet in quo consistat *valor proprius* illis argumentis, quæ appetibilitatem dogmatum exponunt. Dicit A. (p. 424): « L'apologétique interne (illa scil. quæ appetibilitatem dogmatum probare censetur) examine le contenu scripturaire en fonction des besoins du sujet, des aspirations de la conscience [?] humaine, pour déterminer avec précision si le christianisme leur offre une réponse adéquate, supérieure même à celle de toutes les autres religions ». Quomodo, si agitur de mysterio proprie dicto, puta de SS. Trinitate, potest ostendi, absque petitione principii, illud mysterium respondere positive aspirationibus naturæ humanæ et ita quidem ut *adæquate*

illis satisfaciat? (1). — Dicit etiam A. (p. 424): « De plus cette destinée sublime [la vision béatifique] se trouve être en parfaite correspondance avec les vraies aspirations de la *nature* humaine, car l'intelligence et la volonté, ayant Dieu pour objet, désirent le posséder aussi parfaitement que possible ». Illud argumentum ad hoc reducitur. Homo naturaliter appetit Deum possidere intellectu et voluntate tam perfecte quam est possibile; atqui visio Dei intuitiva est perfectissima Dei possessio per intellectum et voluntatem; ergo illa visio respondet naturali appetitui naturæ humanæ. Hac consideratione (si abstrahitur ab intuitivæ Dei visionis possibilitate, quæ solo naturali lumine rationis non potest positive demonstrari) poterit quidem homo allici ad hanc religionem, quæ promittit visionem Dei intuitivam, sed an illa complacentia est aliud quam subjectiva dispositio, qua moveri potest homo ut rite inquirat *credibilitatis* motiva talis religionis? An illa complacentia habet aliquem valorem objectivum in ordine cognitionis? Affirmativam responsionem admittere videtur A., qui scribit (p. 410) : « Qui nous empêche de faire entrer ces raisons du cœur, ces dispositions morales, ses suppléances subjectives [?], à titre d'éléments intégrants, dans une apologétique scientifique, à côté des raisons de l'esprit, des motifs rationnels de crédibilité, pour produire dans l'âme, par leur combinaison [?] la certitude morale qui est requise et qui suffit au jugement de crédibilité ? ». Hoc admitti necquit. Nam appetitus, ut sic, non ingreditur ordinem *cognoscitivum,* nec ipse *discernit* verum a falso, bonum reale a bono apparenti ; appetitus elicitus *inefficax,* ut optime notat A. (p. 445) potest existere quin unquam illi satisfactio detur (2). Appetitus igitur elicitus,

---

(1) Loquimur hic de ipsa dogmatis *appetibilitate,* qua tali, quam adstruit A., non de pulchritudine totius doctrinæ christianæ, nec de excellentia quam habet religio christiana super ceteras religiones; hæc sunt argumenta quæ objectivum valorem habent quibus *probabilis* ostenditur divina origo christianæ religionis. Cf. *Collat. Brug.,* t. XIX, p. 503 ss.; Van Noort, *De vera religione,* n. 67 ss., ubi exponitur argumentum de *præstantia doctrinæ christiano-catholicæ.*

(2) De appetitu inefficaci erga visionem Dei intuitivam et de mente sancti Thomæ circa illud desiderium, egimus in nostro tractatu *De Deo uno et trino,* n. 300, 302.

qua talis, erga aliquid *supernaturale* nequit esse signum existentiæ illius, nec argumentum quo *probabilis* redditur revelatio illius rei supernaturalis, nec ratio qua *confirmatur* demonstratio de credibilitate alicujus dogmatis. Proinde amor non potest componi cum præmissis ex quibus infertur judicium credibilitatis, nec potest homo, si ordinate agere vult, appetibilitatem alicujus rei assumere tamquam supplementum ad cognoscibilitatem ejus et ex appetibilitate judicare *certo* esse *verum* (1) enunciabile cujus evidentia, intrinseca vel extrinseca, non perspicitur intellectu, ac si *fiducia* partim locum teneret evidentiæ. — Quæ quum ita sint, ni fallor, thesim auctoris inficit radicalis quædam confusio inter ordinem cognitionis et ordinem appetitus.

Aliud etiam est animadvertendum: habet A. dissertationem de connexione ad invicem argumentorum quæ pertinent ad apologeticam externam: *la solidarité apologétique des motifs de crédibilité* (p. 229-282), in qua disputatione, hoc propugnat quod simul et quasi ut unum argumentum componendæ sunt demonstratio quæ desumitur ex libris evangelicis, *historice* consideratis, et demonstratio quæ desumitur ex indole Ecclesiæ, scilicet ex mirabili ejus propagatione et extensione, ex ejus sanctitate, etc. Hoc minime admittendum censemus: nam argumentum quod, ad demonstrandam, v. gr., messianitatem vel divinitatem Christi, desumitur ex ipsius testimoniis et miraculis, quatenus illa referuntur in prædictis libris historicis, est, *per se solum*, apodicticum; suus valor demonstrativus, in suo proprio ordine, non augetur ex argumento de indole Ecclesiæ. Scientia autem perfecta exigit ut singulæ demonstrationes singillatim intelligantur et ut conclusio teneatur sub lumine illarum præmissarum ex quibus infertur: deficit scientia in illo qui totam vim unius demonstrationis non perspicit.

*
* *

Idem Auctor aliud opus conscripsit, cujus titulus: *Le miracle et ses suppléances*. In primo capite agit A. de eo quod esset sup-

(1) Non admittenda est certitudo moralis, quæ esset quasi mixta, nempe coalescens ex cognitione et ex fiducia, quam certitudinem propugnavit Ollé-Laprune: qua de re videsis VAN DER MEERSCH, *De Deo uno et trino*, n. 38-39.

plementum miraculi, seu de eo quod, totaliter vel partialiter teneret locum miraculi in credibilitate religionis veræ; in reliquis capitibus examini subjiciuntur plures quæstiones circa possibilitatem et essentiam miraculi

In primo capite exponit A. auxilium *supernaturale* quod et quatenus influit in efformandum judicium credibilitatis et duplicem distinguit casum: primum quidem, in quo ipse Deus immediate et interne homini aliquid manifestat et simul clare manifestat *se* esse qui loquitur sicut fit in propheta et in illis qui privatas accipiunt revelationes; in tali casu habetur hoc quod vocat A. « la suppléance *totale* »: tunc enim nulla exigitur inquisitio circa motiva externa credibilitatis, signanter circa miracula. Alter casus est in quo auxilium supernaturale influit in intellectum et in voluntatem ita ut homo consideret et rite percipiat motiva ordinaria credibilitatis: in hoc casu habetur hoc quod vocat A. « la suppléance *relative* »: « Dieu se borne à aider l'intelligence humaine et a concourir avec elle à une œuvre commune » (p. 20 s.). Hic est influxus *gratiæ actualis*, et est diversus in diversis hominibus. A. autem præcipue considerat munus gratiæ, qua homo rite considerat et percipit id quod sine illa non cognosceret, nominatim valorem demonstrativum quorumdam argumentorum, quæ sunt *objective valida*, sed de cujus vi demonstrativa homo non habet scientificam vel distinctam cognitionem. Multa scitu utilia exponit A. licet munus gratiæ in intimo hominis animo sæpissime nobis incognoscibile remaneat. Censet porro A. *de facto* (non de jure) semper requiri auxilium gratiæ ut homo cognoscat *credibilem* esse revelationem divinam (p. 21). Tali opinioni non adhæremus (1), nec argumenta quæ affert A. nobis videntur probabilia.

---

(1) « Doit-on admettre que la grâce intervient toujours dans le jugement de crédibilité et que, sans elle, celui-ci serait impossible, non pas en *droit*, mais certainement en *fait*? Il nous semble, si l'on prend les choses au point de vue *concret* et *réel* et non dans l'ordre de la *possibilité abstraite*, qu'une réponse affirmative à cette question est motivée par de solides raisons théologiques », p. 21. Bene notemus non hic esse sermonem de necessitate gratiæ in illud judicium credibilitatis quod influit in ipsum actum fidei supernaturalis, sed de omni judicio credibilitatis, etiam in homine qui non adducitur ad fidem et qui culpabiliter renuit credere.

Non intelligimus quid intendat A. loquendo « de la transition de l'appétibilité à la crédibilité » (p. 59 ss.) Et sane, morbus aliaque adversa sunt quidem homini *occasio* cogitandi de vanitate rerum mundanarum, de morte futura, de altera vita, dummodo jam cognoscat illas veritates; eruntque occasio cogitandi de Dei providentia, si jam notitiam de illa habet homo; munus etiam gratiæ actualis est ut determinet in homine judicia de illis veritatibus et affectus correlativos. Sed (nisi agatur de privata *revelatione*) gratia non efficit ut primo tunc homo cognoscat illas veritates vel ut statim agnoscat providentiam divinam in prædictis eventibus si prius non habeat notionem et persuasionem de ejus existentia. Præterea si talis fieret cognitio, quo modo hoc esset transitus de appetibilitate ad credibilitatem?

In secundo capite agit A. de *contingentia legum physicarum* et de earum *relativa necessitate* refutatque objectionem quæ ex illis opponitur possibilitati miraculi; in tertio capite disserit de *sociali* influxu miraculi, præsertim in Ecclesia catholica; in quarto, de *fine* miraculi; in quinto, de *supernaturalitate* miraculi, quatenus est supernaturale *quoad modum*. Multa A. profunde scrutatur et dilucide exponit, quæ fere nunquam in aliis tractatibus inveniuntur: quapropter valde proficua erit lectio prælaudati libri, in quo amplissima traditur doctrina de miraculo. — Unum liceat nobis animadvertere circa ea quæ disserit A. de dispositionibus in subjecto requisitis ut *percipiat* miraculum ejusque vim demonstrativam p. 240 ss.: dispositiones morales, quibus avertitur homo a Deo et a religione, possunt impedire quominus percipiat naturam facti miraculosi et logicam conclusionem, quæ ex cognitione illius facti infertur; attamen fieri etiam potest ut homo, aversus a Deo, et superbia elatus, nolens credendo subjicere intellectum Deo revelanti, tamen rite intellectu *perspiciat* miraculum existere et credibilitatem et credenditatem religionis christianæ, adeoque specialiter et gravissime peccet, præcise quia cognoscendo se credere posse et debere, tamen non vult credere. Non est igitur exaggeranda illa quæ dicitur *homogencitas* subjecti cum re cognoscenda.

J. Van der Meersch.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

P. G. Groenen. *Het lijden en sterven van O. H. Jesus-Christus.* Utrecht, Van Rossum, 1919. In 4°, XII, 605 bl.

Een lijvig boekdeel, tweede uitgaaf, herzien en aangevuld, van een terecht geprezen werk over het lijden en sterven van Jesus. Het werk mag waarlijk volledig geheeten worden, voor zooveel het ons, vanaf het begin van het Laatste Avondmaal tot en met de begrafenis, de Evangelie-verhalen geeft, met bijvoeging van andere Schriftuurplaatsen, en alles wat men voor den *tekst,* den *zin,* de historische waarde en den theologischen uitleg redelijkerwijze begeeren kan ; enkel zullen sommige lezers-priesters het — ten aanzien hunner vasten-preeken b. v. — beklagen dat er niet wat meer ascetische toepassingen in voorkomen. — Inzonderheid de twist-vragen zooals er zoo menige voorkomen in dit deel der Evangeliën worden klaar, bondig, en toch volledig voorgedragen, al zegt S. dan ook niet altijd welke oplossing hij zelf voorkiest.

Het is maar spijtig voor zoo 'n nuttig werk dat door de stijging der drukkosten, en voor onze Belgische lezers door den huidigen wisselkoers, de prijs zoo hoog — ongeveer een 35 fr. — moest gesteld worden,

Th. Van Tichelen. *Beelden uit het Evangelie.* — Antwerpen, Geloofsverdediging, 1919. Kl. in-8°, 524 bl.

Schrijver heeft er op gedoeld — zoo ten minste schijnt ons de aard van het werk uit te geven — om den *uiterlijken kader* aan te toonen, waarin de verhalen van het Evangelie werden afgespeeld. De Roomsche en Joodsche geschiedenis ; de godsdienstige en burgerlijke, openbare en private opvattingen en strekkingen, zeden en gewoonten van land en volk, volgens den eigen aard van de verschillende streken en standen ; niet het minst de hemel van 't heilig Land, met zijn zon en maan en weêr, de aarde met haar heuvels en dalen en meeren en stroomen, haar rotsen en akkers, haar planten en bloemen en vogels en dieren : dit alles wordt ons boeiend — ten andere in hooge maat, naar eigen zien en ondervinden van den S. — beschreven, en stelt de daden en woorden van Jesus in hun konkreet midden : zeker een kostelijke bijdrage om die daden en woorden beter en beter vóor de oogen te doen herleven. — Toch legt die *uiterlijke* kant niet alles uit, en 't zal sommige lezers wel spijtig toeschijnen dat S. zijne schriftuur-kennissen niet benuttigd

heeft om ook het *innerlijke* van het Evangelie wat meer verstaanbaar te maken; bij het lezen toch van het voorhandig boek zal een oningewijde, niet door studie voorbereide lezer, op vele bladzijden waar alleen het bloot verhaal van 't Evangelie gegeven wordt, eens te meer moeten bekennen dat.... de Schriftuur duister is op vele plaatsen: dit wel meest voor de woorden en redevoeringen van Jesus. Heeft ook het er naar zoeken om het Evangelie in zijnen natuurlijken kader te plaatsen, niet hier en daar het *bovennatuurlijke* op den achtergrond verdrongen? Gaarne vonden wij in eene nieuwe uitgaaf van het werk, nevens de hooge wetenschap, ook wat meer die diepgaande geestelijke innigheid, die een boek over 't leven van Jesus deugddoende maakt voor het volk (1). — S. is. en met recht, niet ingegaan op de allerhande, veel omstreden twistvragen die ter gelegenheid van 't Evangelie behandeld worden, en heeft, zonder meer, die oplossing die hem de beste scheen, aanvaard en toegepast. Het zou misschien niet zonder nut zijn, in voorkomend geval, met een paar woorden in voetnota's, de andere opvattingen aan te duiden.

In zuivere, eenvoudige en heel vatbare taal geschreven, zal het boek zekerlijk den lezer boeien en aangenaam zijn Moge het bijdragen om, voor de oogen van het christen volk, het betooverend schoone beeld van Jesus te doen herleven, en zoo het woord van Paulus helpen verwezenlijken: Alles herstellen in Christus.

A. Fierens. *Les origines de l'Indulgence de la Portioncule.* — Extrait de la *Neerlandia franciscana*, t. II (1919), pp. 289-303 et t. III (1920), pp. 18-26, Iseghem.

M. Fierens est devenu le champion de l'historicité de l'indulgence de la Portioncule; mais à bon escient. Son travail « *Geschiedkundige oorsprong van den aflaat van Portiunkula* (publié par l'Acad. Royale flamande en 1910), le dernier grand ouvrage sur le sujet, avait été préparé par de longs travaux préliminaires, dont nous avions eu quelques échos dans les *Rapports du Séminaire historique* et dans la *Revue d'Hist. Eccl.* de Louvain. Dans cette brochure il rappelle brièvement les arguments et les conclusions de son grand travail, rencontre ensuite les objections qu'on lui a faites et passe enfin en revue l'importante littérature portionculaire, qui a vu le jour lors du septième centenaire de la célèbre indulgence en 1916. Plusieurs auteurs récents, et non des moindres, se sont rangés de son côté, et admettent comme lui « la concession de l'indulgence à S. François par le Pape ».

R. D. S.

---

(1) Zoo toch meende het Thomas a Kempis toen hij schreef (*Nav. v. Chr.*, I, V): « Si vis profectum haurire [ex lectione sanctarum Scripturarum] lege humiliter, simpliciter, et fideliter: nec umquam velis habere nomen scientiæ ».

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 3 Junii 1919 in Palatio Episcopali Brugis

Recitato hymno *Veni Creator*, Ill^mus^ ac Rev^mus^ Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est :

Reverendi admodum ac dilectissimi Domini,

Hic noster conventus, primus post immane bellum, me invitat ut ad vos, totumque Clerum nostrum dilectum, tanta perpessos mala, verba quædam consolatoria simulque exhortatoria dirigam, quibus, Deo adjuvante, et liniantur dolores de præterito, et animus addatur ferventioris in futuro operæ ad salutem populi nostri propriamque nostram sanctificationem.

Et hac quidem in re mirum in modum Deus optimus mihi providit, cui, in hac civitate quasi in carcere detento, cum studio rerum divinarum sanctisque meditationibus vacarem, occurrit opusculum gravis simulque delectabilis doctrinæ, quod auctor Joannes a Tambaco, Ordinis Prædicatorum, ad scholam insignem mysticorum sæculi XIV^i^ pertinens, inscripsit *Consolatorium theologicum ;* e quo vobis quædam in mutuam nostram consolationem prælegam. Deinde vero nonnulla monita atque hortamenta in futurum addam.

Utile erit ac jucundum ab ipsa præfatione opusculi ordiri.

« INCIPIT præfatio in *Consolatorium theologicum* præclarissimi viri magistri Johannis de Tambaco, sacrarum litterarum doctoris eximii.

Quoniam secundum Apostolum : quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per consolationem Scripturarum spem habeamus : qua scilicet spe gaudentes in tribulatione, ob quorumcumque tristium occasionem a spirituali gaudio in Domino continuando minime defi-

ciamus; idcirco, consideratis mundi hujus tribulationibus ac multiplicibus turbationum causis seu occasionibus, cogitavi de infinitis consolationibus, contentis implicite vel explicite in Scripturis, quasdam redigere in hoc qualicumque opere in scriptis, ad honorem Dei consolatoris optimi et eximii, ac gloriosæ Virginis Mariæ, quam ipse Paraclitus sic fecundavit quod Deum totius consolationis nobis genuit, atque beatissimi Johannis Evangelistæ, qui, propter evangelizandi constantiam exilio relegatus, divinæ visionis et allocutionis meruit crebra consolatione relevari, necnon omnium Sanctorum quos per multas tribulationes oportuit intrare in regnum cœlorum; ac denique ad consolationem omnium, præcipue autem illorum qui pie vivere volunt in Christo et ob hoc, teste Scriptura, persecutiones et tentationes patiuntur. Sane sicut olim insignis ille Boëtius, dum regis Theoderici favere tyrannidi recusaret, missus in exilium et in carcerem reclusus, de consolatione philosophiæ librum edidit: sic et ego impugnatoribus justitiæ pariter et obedientiæ sanctæ romanæ Ecclesiæ a propriæ mansionis loco ejectus, quandam exilii speciem sustinens, præfatum opus aggressus, ipsum (si legentibus placeret) de consolatione theologiæ appellandum judicarem. Quod si interdum philosophorum ac rhetorum necnon aliorum auctoritates in eo sunt insertæ, hoc ea intentione factum est qua doctorem excellentissimum Augustinum dixisse memini: si qua vera dixerunt philosophi, sunt ab eis tanquam ab injustis possessoribus in usus nostros vindicanda....

LIBER PRIMUS.

Primus liber continet consolationum remedia opportuna contra illa turbativa hominis quæ opponuntur mundanæ felicitati et prosperitati.

Capitulum Primum.

De consolatione super carentia mundanæ felicitatis et prosperitatis.

Primo ergo, ut de his quæ opponuntur mundanæ felicitati non turberis sed potius gaudeas, stude ut internis

oculis imaginem Christi venerandam inspicias, in qua multum discere et proficere poteris : quia nobilissimi illius exemplaris, Christi scilicet, gesta considerata te consolari poterunt super omnia cetera consolationum remedia : nimirum ipse est magni consilii angelus, qui unus omnium est magister Deique virtus et Dei sapientia ac salutis auctor, cujus revera auctoritati venerandæ omnis humana ratio digne debet cedere ; si ergo ipsum propensius attenderis, scies procul dubio nil esse curandum de habendo ea in quibus consistit hujus brevis vitæ felicitas, vel non habendo ea in quibus consistit ejus infelicitas : quia suo exemplo efficaciter persuadet neminem christianum, utpote Christi sectatorem, debere aut in bonis mundi felicitatem quærere aut in malis infelicitatem timere ; unde Augustinus : Omnia bona terrena contempsit Homo Christus ut contemnenda monstraret, et omnia mala terrena sustinuit quæ sustinenda præcipiebat, ut nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas. Ceterum, præmissæ considerationi de consolatione in miseriis habendæ adjiciendum est quod miseri non paucos sed plurimos sanctorum excellentissimos in miseriis habent socios, qui his in vita caruere ex quibus humana componitur felicitas, contrariaque passi sunt quibus miseriæ ratio et infelicitatis titulus solet imponi ; sed et pro hujusmodi miserorum solatio deberet sufficere solum Christum socium habuisse : ipse namque Christus, dum viator esset, in miseriarum sustinentia plurimarum voluntarieque assumptarum extimationem prorsus excessit, qui tamen tantæ dignitatis et excellentiæ fuit, quod societas ejus solius in hac parte plus conferre poterit miseris ad solatium, quam habere aliorum centena millia sociorum. Porro parvi pretii atque ponderis est felicitas humana, nec aliquo modo inter ingentia computanda. Audi de hoc mundi desertorem, magnum illum Antonium, qui dum quadam die a fratribus ut eos instrueret rogaretur, sic ait : Nemo cum despexerit mundum arbitretur se reliquisse ingentia : nihil eorum curæ sit monachis quæ secum afferre non poterunt. O viri hujus purissimi cordis judicium, viri quidem cœlestis et quasi de altissimo cœlo prospicientis et parvitatem mundi hujus considerantis ! O totius religionis concilium ! O perfectæ magnanimitatis

præclarum exemplum, tota tibi devotione imitandum! Mirum est ergo si te res aliqua, præsertim de his minimis et perituris, poterit perturbare; quin excellentioribus te præditum potius deberes arbitrari. Simile enim hoc esset ac si magnus quisque imperator et maximus in divitiis de unius oboli amissione querularetur. Audi rursus quid dixerit Hieronymus, omnes quasi humanæ felicitatis particulas comprehendens: Si, inquit, habeas sapientiam Salomonis, si fortitudinem Samsonis, si longævitatem Enoch, si divitias Cresi, si potestatem Octaviani: quid prosunt hæc omnia, cum tandem caro datur vermibus et anima dæmonibus cum divite sine fine crucianda? Audi denique Innocentium de amaritudine felicitatis humanæ loquentem: Mundana, inquit, felicitas multis amaritudinibus est respersa; novit hoc ille qui dixit: Risus dolore miscebitur et extrema gaudii luctus occupat; subito cum non suspicatur infortunium accidit, calamitas irruit, morbus invadit, mors intercipit quam nullus evadet. Unde et Augustinus: Deus felicitatibus terrenis amaritudines miscet, ut alia quæratur felicitas, cujus dulcedo non est fallax. Hoc autem dicit quasi sentiret blandam mundanæ felicitatis dulcedinem fallacem esse; hinc namque et alibi de mundo testatur quod blandus sit periculosior quam molestus. Nimirum felicitatem præsentis vitæ consequitur in hac parte malum veræ miseriæ. Unde Seneca: Miserum te reputo qui nunquam fuisti miser, transivisti viam et non invenisti adversarium, nimis fuisti miser; miseros reputo qui nimia felicitate torpescunt. Hæc Seneca. Porro felicitatem humanam habere præstat habenti non modicum nocumenti: ipsum etenim habentem facit plane negligere aut negligenter quærere verum bonum atque summum, experientia attestante idipsum. Quis enim horum quempiam qui mundana gaudere visus est felicitate vel aliquem cum Apostolo dixisse recordatur: Cupio dissolvi et esse cum Christo? E contra quidem, mala quæ nos hic premunt ad Deum ire compellunt, aliamque vitam vere felicem et omnis infelicitatis miseriis finientem desiderare et quærere faciunt. Idcirco etiam super præmissis miseriis non doleas, sed potius gaudeas eo quod certum sit signum in bonum, quamvis pro brevi tempore sit tædiosum. Nam carere ac

privari felicitate humana, esséque mundanorum hominum judicio in hoc exilio infelicem, signum est vix aut nunquam fallibile declinandi terram illam tenebrosam et opertam mortis caligine, perveniendique ad patriam claritatis æternæ. Sicut enim Job, mundana quorumdam felicitate exposita, de ipsis sic concludit : Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt ; ita e contrario de miseris affirmare possumus : ducunt in malis dies suos et in puncto ad cœlestia regna ascendunt. Habent ergo boni christiani ipsa sua infelicitate seu mundanæ felicitatis carentia in præsenti signum efficax sperandæ felicitatis in futuro ; quemadmodum felices in hoc sæculo signum habent æternæ damnationis in alio. Justo enim judicio Dei videtur facta hæc divisio : ut hii qui hic bene, sancte et pie vixerunt felicitate careant, quæ est in terra ; hii vero qui hic felices fuerunt careant ea quæ est in cælo. Nimirum hanc divisionem inter eos glosa quædam super illud Jacobi (Omne gaudium etc.) clare manifestat spemque bonorum christianorum in præsenti infelicium similiter insinuat dicens : Ne indignemini si mali in mundo florent et vos patimini : quia non est christianæ dignitatis in temporalibus exaltari sed potius deprimi. Mali nihil habent in cœlo, vos nihil in mundo ; sed spe illius boni ad quod tenditis, quidquid in vita contingat, gaudere debetis, nihil est unde doleatis, unde dubitetis. Hæc glosa. Boni igitur christiani non debent tristari, si ea felicitate careant quæ in minimis et caducis consistit, et ob hoc eorum dignitati non congruit, utpote quorum dignitas ad modum angelicæ dignitatis illam in immensum excedit ; quinimo consolati potius gaudere debent ex salutis suæ signo tam præclaro, juxta doctrinam apostolicam (Spe gaudentes) justæ Dei dispensationi in hac parte securius innitentes. Nam, teste Hieronymo, difficile imo impossibile est ut præsentibus et futuris quis fruatur bonis, ut hic ventrem et ibi mentem impleat, ut de deliciis transeat, ut in utroque sæculo sit beatus, ut in cœlo et in terra appareat gloriosus. Unde Hugo, scribens de arrha animæ, ex hujusmodi dispensatione divina suæ sumit in eadem materia considerationis fortissimum argumentum. »

Hæc e *Consolatorio theologico* sufficiant.

Nunc quædam ad praxim in tempore præsenti ac futuro spectantia adjungamus.

Et primo quidem incipiamus a nobismetipsis, eo vel magis quod a sancta vita nostra salus quoque populi pendet. Profecto, teterrimus influxus immanis belli, occupationis hostilis, exilii ac dispersionis quo longius magnam partem plebis nostræ a semita morum christianorum veritatisque divinæ fidei ac religionis sensus abduxit, quo profundius multos in cœnum vitiorum, ipsa notione juris ac justitiæ atque integritatis vitæ christianæ quasi extincta, demersit, aut saltem multorum animos in rerum temporalium sola sollicitudine absorpsit : eo strictius urget nos mandatum Domini : « Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur ?... Vos estis lux mundi. » etc. (1). Si ergo semper et ubique oportet sacerdotes et religiosos viros ac mulieres, non modo vere christianam sed et perfectam ducere vitam, nunc illud omnino necesse esse evidentius apparet. Igitur liceat mihi in memoriam vestram revocare quæ sæpius, tum scripto tum verbo, etiam in his nostris conventibus, prædicavi de vita interiore ac imo contemplativa ; atque iterum atque iterum vos orare et obsecrare ut hujusmodi doctrinam non tantummodo libenter excipiatis et vobismetipsis applicetis, sed eamdem opportune ac importune propagare conemini diligenter : equidem, monente Christo, in mundo sumus ast non de mundo ; supra proinde mundana, supra naturam vivere debemus, vita plane supernaturali atque divina. Nihil, puto efficacius fieri poterit cum in salutem propriam, tum in bonum animarum ; nihil quod certius ac plenius Dei gratiam et misericordiam in hisce luctuosis temporibus nobis conciliabit ; imo, teste experientia ipsaque divina Scriptura, paucæ animæ justæ, vere amantes et Deo plene devotæ salvare possunt a justa Dei vindicta multitudinem hominum.

Quod deinde populum nostrum attinet, etiamsi inter eum haud pauci discoli, ingrati, a sana ratione aversi videri possint, illis non irasci sed misereri oportet super turbam, eo quod non malitia plerumque sed potius ignorantia laborant. Qua

(1) Matt., V, 13-14.

in re hoc quoque nos commovere debet, quod nonnulli sacerdotes ipsi non sine culpa sint, qui nempe gravissimum docendi munus, toties inculcatum, negligere visi sunt. Nunc saltem, cum necessitas docendi sole clarius elucet, accingamus nos ut de scholis præprimis solliciti simus, eas assidue visitemus, omniaque de iis præscripta sedulo impleamus; ut ubique in ecclesiis, in variis congregationibus, in confessionali, publice et privatim, cœlestem doctrinam proponamus; ut, quibus spiritualis directio religiosorum Fratrum et Sororum incumbit, nullo sub prætextu quæ ea in re præcepta sunt omittant. Et hoc quidem jam expertus sum, quod quibus defuit hujusmodi directio atque cura assidua, iis majora pericula in via dispersionis occurrerunt; sed et ipsi sacerdotes et clerici, si hinc inde unus alterve suæ dignitatis immemor fuit, illi fuerunt qui jam antea in studio rerum divinarum et mentali oratione defecerunt.

Tandem, quæ recentius in memoriam revocavi circa *observationem festorum* et *missam dominicalem* vobis iterum, Rev. adm. ac dilectissimi Domini, plurimum commendo sæpius inculcanda omnibus sacerdotibus vobis commissis, qui eadem fideli populo sæpius e suggestu prælegant (1).

Reverendi admodum ac dilectissimi Domini, si multum compassi sumus sed et compatimur vobis propter afflictionem vestram, congaudemus quoque et gratias Deo Optimo Maximo agimus quoniam vos incolumes in vita servavit, Ipsumque ex corde precamur ut et vobis et zelo vestro benedicere dignetur uberius pro fide vestra ac patientia in hac maxima tribulatione sustinenda. Sit vobis pignus certissimum ac validissimum hujus cœlestis benedictionis devotio erga sacratissimum cor Jesu, quam tanto fervore promovere sategistis ac porro satagetis. Cor Jesu sacratissimum, adveniat regnum tuum!

*
* *

Quum Rev^mus^ D^nus^ dicendi finem fecisset, auditis Ampl.

---

(1) V. Epist. nostram de die 1 Maii 1919, et *Collect. Epist. past.* t. XVIII, p. 218-221.

et RR. adm. DD. votis, a Rev^ma sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes :

I.

« Excitentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicæ Sedis traditas ; utque Missæ adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam sanctissimæ Eucharistiæ perceptione, rite dispositi communicent » Ita Canon 863.

Unde 1° oportet ut parochus ejusque cooperatores omnem fidelibus præbeant facultatem ad sacram synaxim frequentandam, atque etiam summo mane ac frequenter horis mututinis paratos sese exhibeant ad Sacram Communionem distribuendam.

2° Quoties Missa ad altare SS^mi Sacramenti celebratur debet, ad communionem sacerdotis litantis, acolythus fideles assistentes signo cymbali monere eis etiam facultatem communicandi præsto esse. Imo identidem e suggestu excitentur ut facultatem communicandi præsto esse. Imo identidem e suggestu excitentur ut potius sub Missa post Communionem celebrantis, ad Sacramentum accedant, quin tamen eis prohibitio fiat aut impedimentum opponatur ne extra Missam communicent. — Quod si propter magnum communicantium numerum Missa æquo nimis protraheretur, posset S. Communio non a celebrante sed ab alio sacerdote distribui.

II.

Mens nostra est ut in omnibus ecclesiis et oratoriis, juxta consuetudinem ab antiquo in Nostra diœcesi existentem, in Laudibus Vespertinis duplex benedictio cum Sanctissimo detur, in initio scilicet et sub fine.

III.

Permittimus ut in diebus festis abrogatis summum Sacrum celebretur hora nona, ac Laudes Vespertinæ fiant eadem hora qua celebrantur aliis hebdomadæ diebus, *præmissis tamen Vesperis.*

IV.

Licebit deinceps *solemnem* puerorum Communionem celebrare in festo Corporis Christi vel circiter, præmissis instructionibus aliisque præparationis exercitiis olim pro prima Communione præscriptis (Cfr. *Liber manualis* p. 145 sqq. 2ª ed.).

Anno autem quo Sacramentum Confirmationis ministratur in districtu, si contingat ministrari ante solemnem Communionem in parochia institutam, etiam pueri sese ad illam proxime præparantes confirmari poterunt.

V.

Attenta dispositione Canonis 897, statuimus in diœcesi Nostra tres tantum sequentes casus esse reservatos, videlicet:

I. *Adulterium concubinarium*, sive adulterantes eamdem sive diversam domum inhabitent (1).

II. *Perjurium* vel *falsum testimonium* in judicio: i. e. unum alterumve, præstitum coram legitimo judice, sive ecclesiastico sive laico, vel ejus delegato, judicium exercente (2).

III. *Onanismus conjugalis*, sive per retractum institutus sive ope instrumenti fœcundationem impedientis, quotiescumque agitur de pœnitente recidivo et in anteriori confessione de gravitate delicti ejusque reservatione jam monito.

VI.

Cæteris suppressis casibus hucusque reservatis, volumus tamen attendantur et casibus supra enuntiatis applicentur quæ in libello « *Tractatus de casibus reservatis in diœcesi Brugensi* (edit. 1898) capp. I-VIII, aut in decretis subsequentibus ordinata sunt.

Sedulo autem observetur facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, jam restringi ad censuras *simpliciter* reservatas, seclusis igitur non tantum specialissimo modo sed et speciali modo reservatis.

---

(1) Cfr. Tractatus de casibus reservatis in diœcesi Brugensi, edit. 1898 p. 42 ss.

(2) Cfr. *ibid.*, p. 49.

VII.

Ad normam Can. 899 § 2, concedimus Rev. adm. DD. Decanis facultatem subdelegandi ad absolvendum a casibus Nobis reservatis « toties quoties confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiori aliquo determinato casu ad eos recurrant ».

VIII.

Unusquisque parochus sibi acquirat *Codicis juris canonici*, Benedicti Papæ XV auctoritate promulgati. — Hic notare juvat usitatiores facultates per illam novam legislationem parochis factas. Sic

1/ Potest parochus benedicere paramenta aliamque suppellectilem quæ benedici debet, pro ecclesiis et oratoriis in territorio suæ parœciæ positis (Can. 1304).

2/ Possunt parochi in casibus singularibus justaque de causa subjectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio etiam peregrinos, a lege communi de observantia festorum itemque de observantia abstinentiæ et jejunii vel etiam utriusque dipensare (Can. 1245 § 1).

3/ Valet parochus *urgente mortis articulo*, ad consulendum conscientiæ, et, si casus fert, legitimationi prolis, *quando ne loci quidem Ordinarius adiri potest,* dispensare tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis *juris ecclesiastici,* sive publicis sive occultis etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbiteratus ordine et ex affinitate in linea recta consummato matrimonio, — remoto scandalo et si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, præstitis consuetis cautionibus.

Eadem amplissima facultate pollet parochus, — sed pro casibus *occultis* tantum, — *in casu urgenti* i. e. quoties impedimentum detegitur cum jam omnia parata sunt ad nuptias nec matrimonium sine probabili gravis mali periculo differri potest usque dum dispensatio ab Ordinario obtineatur (Can. 1043 sqq.) (1).

---

(1) In iisdem adjunctis, scilicet in mortis periculo et in casu urgenti supra descripto, eadem dispensandi facultate gaudet quivis *confessarius*, sed pro foro interno et in actu sacramentalis confessionis tantum.

N. B. « Parochus de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat : eaque adnotetur in libro matrimoniorum » (Can. 1046).

IX.

Suppressa jam prohibitione contrahendi matrimonium tempore clauso, statutis diœcesis Brugensis lata, manet sola interdictio solemnis nuptiarum benedictionis a prima Dominica Adventus ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad Dominicam Paschatis inclusive. — Imo et illa benedictio ob justam causam ab Ordinario permitti potest, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant (Can. 1108).

X.

Ad normam Can. 1503, sine scripta licentia Sedis Apostolicæ, aut Ordinarii proprii et Ordinarii loci, nemini licet stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine. — Excipiuntur Regulares mendicantes, qui non indigent licentia Ordinarii loci, nisi eleemosynas colligere cupiant extra diœcesim ubi eorum religiosa domus est constituta ; secus, sola licentia suorum superiorum sufficit (Can. 621).

XI.

Die 9 Aprilis, decreto *Urbis et Orbis* SS. D. N. Benedictus Papa XV, ex SS. Rituum Congregationis consulto, approbavit, et ubique locorum recitandas jussit duas *præfationes proprias*, alteram scilicet pro Missis Defunctorum, alteram pro Missis de Sancto Joseph.

Curent igitur RR. DD. Parochi dictas præfationes quamprimum Missalibus suæ ecclesiæ inseri.

XII.

In memoriam RR. DD. Parochorum revocamus mandatum Nostrum quo præcepimus ut in singulis parochialibus ponatur monumentum commemorativum in quo inscribantur nomina eorum qui gloriose pro patria

occubuerunt; nullum autem hujusmodi monumentum ponatur nisi prævie ejus proposita configuratio Nobis submittatur.

XIII.

Quam diligenter curent Parochi confectionem librorum parœcialium, np. baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, necnon librum de statu animarum. In fine cujuslibet anni, ita jubente Can. 470 § 3, authenticum exemplar illorum ad curiam episcopalem transmittant, excepto libro de statu animarum. Ideo singuli actus sine mora eadem manu bis conscribantur, et quidem in folio et juxta formulam quæ a Nobis fuerunt approbata. (1).

Brugis, 13 Novembris 1919.

† GUSTAVUS-JOSEPHUS, Episc. Brugen.

(1) Illa emere licet apud G. De Haene-Bossuyt, Episc. Brug. Typogr. et C. Beyaert, Editorem Brugis.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii propositas.

—

I

Apparitiones Jesu in Galilæa.

Q. *Solve sequentem difficultatem quæ contra realitatem apparitionum Jesu* in Galilæa *movetur ex Evangelio* s. Lucæ :

1. *Lucas* ignorat *apparitiones in Galilæa : nam ne verbulum quidem de iis habet, dum certe eas retulisset si novisset ;*

2. *Imo positive eas* excludit : *etenim postquam in vv. 1-11 retulit visionem angelorum et in vv. 13-35 visionem ipsius Jesu factam duobus discipulis Emmaus, ulterius, in vv. 36-49, eadem die resurrectionis, adeoque in civitate Jerusalem (cfr. v. 36, et etiam vv. 49, 50, 52) reponit apparitionem Jesu Apostolis suis. Jamvero :*

a/ *In hac sua apparitione Jesus monet Apostolos suos ut maneant in civitate usque ad adventum Spiritus sancti (v. 49) ;*

b/ *Statim post hanc apparitionem, Jesus educit Apostolos versus Bethaniam et ascendit in cœlum (vv. 50 ss.).*

Unde nullus relinquitur locus apparitionibus Jesu in Galilæa.

R. Sicut in præcedenti quæstione contra apparitiones Jesu in Jerusalem et in Judæa, duplex ex evangelio s. Matthæi movebatur argumentum, negativum unum, positivum alterum (1), ita duplex quoque ex Evangelio

(1) Cf. resp ad qu. mensis præcedentis, pp. 5 ss.

s. Lucæ movetur argumentum contra historicitatem apparitionum Jesu in Galilæa. Utrumque successive examinamus.

I. **Ad argumentum negativum :**

Resp. 1/ Ex silentio s. Lucæ circa apparitiones in Galilæa, tunc tantum aliquid concludi posset si constaret, tum ipsum debuisse *cognoscere* easdem apparitiones, tum ipsum debuisse de eisdem *mentionem facere.* Porro, quod debuerit istas cognoscere, plane concedimus ; sed negamus ipsum de eis debuisse mentionem facere. Quod manifestum erit recolenti dicta supra de origine, scopo et indole Evangeliorum, potissimum Synopticorum.

Quæ indoles, quod in specie s. Lucam spectat, magis manifesta tibi erit si recogitas eum certe *scienter* omittere plura facta et apparitiones Jesu optime tamen sibi notas. Revera :

a) S. Lucas, antequam Evangelium suum scriberet, per plures annos fuerit *discipulus s. Pauli*, socius itinerum et ministerii ipsius apostolici, et in specie quidem in ipso ministerii apud Corinthios, de quo Apostolus in I Cor., xv loquitur ; unde *debuit* s. Lucas cognoscere istas varias apparitiones quas s. Paulus eadem epistola tamquam olim a se prædicatas in memoriam revocat ; — et tamen plerasque earum in Evangelio suo s. Lucas silentio prætermittit ;

b/ In altero suo opere, in *Actibus Apostolorum*, quod scripsit non multo tempore post evangelium, et in quo (I, 1 ss.) explicite remittit ad ea quæ narraverat in Evangelio, affirmat Jesum seipsum præbuisse vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparendo eis et loquendo de regno Dei (I, 3) ; item refert Jesum visum esse per dies multos Apostolis suis (XIII, 31) ; unde iterum s. Lucas bene noverat Jesum pluries apparuisse Apostolis suis et

multo ampliora dixisse quam ea pauca quæ in Evangelio suo retulerat ;

c) Imo *ipso quoque Evangelio* apparet s. Lucam non intendisse de resurrectione Jesu ejusque apparitionibus referre omnia quæ noverat ; etenim de itinere Apostolorum ad sepulchrum nil narrat, et tamen, ut patet ex XXIV, 24, illud optime cognoscit ; — similiter quod Christus apparuerit Petro, in die resurrectionis suæ, illud Lucas non narrat (1), etsi iterum apprime cognoscit, ut patet ex XXIV, 34.

Ex quibus omnibus merito inferes ex silentio s. Lucæ de tali vel tali apparitione nihil posse concludi.

II. **Ad argumentum positivum :**

Resp. Falsum est s. Lucam *excludere* apparitiones in Galilæa.

Optime enim intelligitur methodus illa litteraria qua s. Lucas — post relatum iter mulierum ad sepulchrum, et, ex documento speciali palæstinensi, apparitionem Jesu discipulis Emmaus — ulterius omnia ista quæ ad relationes Jesu cum Apostolis ejus spectabant, in unum conspectum « *en un seul tableau* » congregavit. In hoc quadro, quasi in unica apparitione reponit 1. Apostolos, viso Christo, conturbatos fuisse et dubitasse ; — 2. Jesum eis dedisse varia argumenta resurrectionis suæ, nimirum a/ eis ostendisse manus et pedes ; b/ coram eis manducasse ; c/ ostendisse in seipso impletas esse prophetias Veteris Testamenti ; — 3. ulterius Jesum dedisse Apostolis suis missionem definitivam eisque promisisse Spiritum sanctum, quem exspectarent manentes in Jerusalem ; — 4. tandem

(1) Lc., XXIV, 12 refert quidem iter Petri ad sepulchrum, sed vers. non videtur authenticus. — Cæteroquin v. 24 loquitur de itinere *plurium* Apostolorum, dum tamen v. 12 *solius Petri* iter commemorat.

ipsum, discipulis adstantibus, in monte Oliveti in cœlum ascendisse (1). — Hæc omnia coadunat s. Lucas in unum conspectum, quasi in unam apparitionem, et sic *speciem* habet quasi hæc omnia *hac eadem die* resurrectionis contigissent ; consequenter etiam *debet locum* apparitionum in unum contrahere, et omittere mentionen omnium Jesu apparitionum quæ *in Galilæa* contigerant. Hoc tamen nullatenus affirmare intendit : optime enim noverat, ut ex dictis ad I colligitur, varia hæc facta locum habuisse in variis apparitionibus, tum in Judæa tum in Galilæa, et Jesum nonnisi post 40 dies ad cœlos ascendisse (2).

Addi posset s. Lucam, etsi optime noverat varia facta relata in vv. 36-40, 41-43 et 44-46 contigisse variis locis et temporibus, potuisse tamen pro intima eorum similitudine (3) ista tria juxtaponere et successive narrare : istis enim tribus referebatur triplex

---

(1) Ob rationes tum extrinsecas tum intrinsecas indubia videtur lectio quam servavit vulgata qua tamquam authentica in v. 51 conservantur verba : *Et ferebatur in cœlum.* — Cæteroquin etsi verba illa *essent* inauthentica, adhuc tamen maneret v. 51, signanter verba : *Recessit ab eis* de ascensione Jesu esse intelligenda.

(2) Quod in specie s. Lucas non intenderit affirmare Jesum ipsa die resurrectionis ad cœlos ascendisse, luce clarius est *ex ipso Evangelio* : Narrat enim occursum Jesu cum discipulis Emmaus, facitque hos sic alloqui Jesum (v. 29) : Mane nobiscum, quoniam *advesperascit*, et *inclinata est jam dies*. Et dein : Jesus intrat cum illis ; recumbit cum eis, accipit panem et in fractione panis agnoscitur ab eis. Et surgentes duo discipuli eadem hora regressi sunt in Jerusalem, et invenerunt congregatos undecim, etc. ; et dum omnes colloquuntur Jesus stat in medio eorum, ostendit eis manus et pedes, manducat coram eis, et interpretatur eis prophetias messianicas Veteris Testamenti. — Et pergit Lucas narrare : Et eduxit eos in Bethaniam, et ferebatur in cœlum. — Sed si hæc omnia, in intentione Lucæ, locum habuissent hac eadem die resurrectionis, tunc Jesus ascendisset in cœlum *media jam nocte*. Et hoc sane non potest voluisse affirmare s. Lucas.

(3) Cfr. *Collat. Brug.*, XVIII, pp. 167 ss. et XIX, 438 s. de methodo s. Lucæ.

modus diversus quo Christus eamdem veritatem suæ resurrectionis demonstraverat (1).

A. VANDER HEEREN.

II

Argumentum scripturisticum creationis.

Q. Demonstra ex sacra Scriptura mundum fuisse a Deo creatum.

R. I. Testimonium primum ex sacra Scriptura ad demonstrandum omnia quæ sunt a Deo esse, et quidem quatenus sunt, quoniam « creare est proprie causare sive producere esse rerum » (2), desumitur ex Gen., I, 1 : « In principio Deus creavit (hebr. *bârâ')* cœlum et terram ».

A. — Ad conficiendam propositionem ex textu, tria hæc sunt probanda : 1/ Deum, unum ac verum, 2/ omnia omnino quæ sunt præter Ipsum, 3/ produxisse ex non ente, seu ex nihilo, scilicet ea omnia fecisse « secundum quod sunt entia » (3).

1/ Jam autem de primo membro nulla difficultas. Advertatur solummodo formam pluralem *'Élôhîm*, cum verbo in singulari [creavit], juxta quosdam auctores innuere pluralitatem personarum in Deo, ast certo non

---

(1) Nota quoque quæ habet ex. LADEUZE, *La Résurrection du Christ*, p. 48 : « Le troisième Evangéliste a spécialement devant les yeux l'extension géographique du Royaume, dans son Évangile comme dans les Actes ; il nous le montre se répandant de Galilée en Pérée et dans la région intermédiaire, jusqu'à Jérusalem, d'oú il rayonnera plus tard jusqu'à Rome. Aussi, laissera-t-il les Apôtres dans la ville sainte, une fois qu'ils y sont arrivés pour la Pâque. D'ailleurs, parvenu au bout de son ouvrage ou du *volumen* sur lequel il écrivait, il résume rapidement la dernière prédication du Christ ressuscité, parce qu'il doit encore traiter de ce sujet dans son dernier livre. De là, l'apparence que le Christ est remonté au ciel le jour même de la résurrection, sans être reparu en Galilée ».

(2) S. THOMAS, *Sum. Theol.*, I, q. 45, a. 6, c.

(3) *Ibidem*, q. 44, a. 2, c. ; cf. etiam *Coll. Brug.*, I, p. 528.

esse vestigium polytheismi, quod nonnulli rationalistæ absque ullo jure contenderunt ; est potius plurale majestaticum, uti ex aliis locis sacræ Paginæ et etiam ex documentis profanis satis liquet (1).

2/ Quod secundum punctum attinet, hoc luculenter constat ex adhibita locutione « cœlum et terram », quæ ex usu biblico indicat universum mundum, seu quidquid est præter Deum. — Sane, in multis testimoniis resumitur simpliciter formula ex cap. I, Gen. (2), aut etiam, cum respectu ad eamdem expressionem, proclamatur Deus, Dominus cœli et terræ (3); attamen in aliis textibus haud paucis explicite additur : « Fecit Dominus cœlum et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt » (4) ; patet alioquin intentio auctoris sacri primum principium omnium omnino rerum describendi ex versiculis sequentibus ejusdem cap. I et ex initio cap II : « Igitur perfecti sunt cœli et terra, et omnis ornatus eorum » (5).

3/ Tertium membrum tandem facile comprobatur ex verbo *bârâ'*, quod probabilius ex sese, et certo ex scopo hagiographi, necnon ex contexta oratione actionem proprie creatricem notat.

---

(1) Cf. Lamy, *Comm. in Gen.*, I, p. 79 s., Lovanii, 1883 ; Zapletal, *Le récit de la création dans la Genèse*, p. 42, Paris, 1904.

(2) *Gen.*, II, 4 ; XIV, 19 ; *Exod.*, XXXI, 17 ; *IV Reg.*, XIX, 15 ; *II Paral.*, II, 12 ; *Judith*, XIII, 24 ; *Psal.* CXIII, 15 ; CXX, 2 ; CXXIII, 8 ; CXXXIII, 3 ; *Is.*, XXXVII, 16 ; *Jer.*, XXXII, 17 ; *Dan.*, XIV, 4.

(3) *Gen.*, XIV, 22 ; XXIV, 3 ; *I Esd.*, V, 11 ; *Judith*, VI, 15 ; *Psal.* LXXXVIII, 12 ; *Matth.*, XI, 25 ; *Luc.*, X, 21.

(4) *Exod.*, XX, 11 ; *II Esd.*, IX, 6 ; *Esther*, XIII, 10 ; *Psal.* CXLV, 6 ; *Act.*, IV, 24 ; XIV, 14 ; XVII, 24 ; *Coloss.*, I, 16 ; *Apoc.*, XIV, 7.

(5) *Gen.*, II. 1. — Cf. ill. ac rev. Waffelaert, *Medit. Theol.* apud *Coll. Brug.*, VIII, p. 463 s. — Haud pauci Patres et theologi autumant sub nomine *cœli* comprehendi angelos ; vide etiam *Conc. Later. IV*, (1215), *De Trinitate...*, cap. 1 et *Conc. Vatic.* (1869-70), *Const. dogm. de fide cath.*, cap. 1 (apud Denzinger-Bannwart, *Enchiridion symbolorum et definitionum*, n. 428 et n. 1783, Frib. Br., 1911) et S. Thomam, *Sum. Theol.*, I, q. 46, a. 3, c.

Et enim quoties occurrit verbum *bârâ'*, in hac forma, apud Scripturam sacram V. T., actionem divinam, independentem a materia, adeoque formaliter aut æquivalenter creatricem indicat (1). Deinde ex inspecta intentione auctoris sacri, qui populum electum primam originem omnium rerum ab uno Deo docere cupit, de tali sensu nullatenus ambigendum videtur. Hæc intentio vero ex ipso contextu et quidem ex prima voce totius Paginæ sacræ perspicue apparet. — « In principio » absolute ponitur, absque ulla determinatione, itaque significat : in principio absolute sumpto, nimirum, quando nihil erat, Deus fecit esse cœlum et terram. « Creatio autem est productio alicujus rei secundum suam totam substantiam, nullo præsupposito, quod sit vel increatum, vel ab aliquo creatum » (2), adeoque manifeste exprimitur, in hoc primo versiculo, productio totius esse « ex non ente, quod est nihil » (3).

B. — Hæc explicatio manet inconcussa, quomodocumque quis versiculos sequentes interpretari voluerit. Inter varia systemata, quæ excogitata fuerunt, ut nexum totius capitis primi apte indicarent, sola obvia videtur sententia, quæ tenet hagiographum in vers. 1 docere Deum omnia creavisse, ut in versiculis sequentibus expolitionem et ornatum mundi delinearet (4). Hac autem ratione argumentum modo prolatum egregie confirmare licet. Et revera, si verbum *bârâ'* non significaret generali saltem modo creationem simpliciter, sed jam describeret actionem ordinatricem quamlibet, non esset cur auctor sacer in vers. 2

---

(1) Cf. VAN HOONACKER, *De rerum creatione ex nihilo*, p. 129 s., Lovanii, 1886 et etiam LAMY, *o. c.*, p. 77.

(2) *Sum. Theol.*, I, q. 65, a. 3, c.

(3) *Ibidem*, q. 45, a. 1, c.

(4) Cf. ILL. AC REV. WAFFELAERT, *l. c.*, p. 462 s. et recole responsum de antiquitate mundi, apud *Coll. Brug.*, XIX, 169 ; vide pariter VAN HOONACKER, *o. c.*, p. 107 s.

notaret terram fuisse informem, ut, in sequenti narratione, ipsam ejus formationem pressius determinaret.

II. Quum dogma creationis totius mundi a Deo, in principio sacræ Scripturæ, signate proponatur, nihil mirum profecto quod passim in sacris Litteris eamdem veritatem, cum manifesta connexione ad textum Geneseos, legamus (1).

1/ Sufficiat ex variis locis præclarum testimonium recolere s. Joannis, qui de consensu omnium exegetarum, primos versiculos Geneseos respicit : « In principio (absolute sumpto) erat Verbum, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum..... Omnia per Ipsum facta sunt : et sine Ipso factum est nihil... » (2).

2/ Ceteroquin non directe tantummodo, sed adhuc indirecte asseritur idem dogma in sacris Litteris, ubi Dominus Deus extollitur uti « primus et novissimus » (3), qui Ipse « est » (4), et cui comparata, omnia quæ præter Ipsum existunt, « quasi nihilum » (5) reputanda veniunt.

3/ Inde facile intelligitur fides illa invicta apud populum electum, quam mater Machabæorum, « repleta sapientia », constanter professa est : « Peto, nate, ut aspicias ad cœlum, et terram, et ad omnia quæ in eis sunt : et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus » (6).

H. Lamiroy.

---

(1) Pleraque testimonia supra fuere indicata ; addantur hæc præcipua : *Judith*, XVI, 17 ; *Psal.* XXXII, 6-9 ; CI, 26 ; CXLVIII, 5 ; *Sap.*, IX, 1 ; *Eccli.*, XVIII, 1 ; *Is.*, XL, 26-28 ; XLIV, 24 ; LXVI, 1-2 ; *Jer.*, X, 12 ; *Rom.*, XI, 36 ; *Apoc.*, IV, 11 etc.

(2) *Jo.*, I, 1, 3 ; cf. etiam *Jo.*, XVII, 5.

(3) *Is.*, XLI, 4 ; XLIV, 6 ; XLVIII, 12 ; *Apoc.*, I, 4, 8, 17 ; XXII, 13.

(4) Cf. *Exod.*, III, 14 ; VI, 3.

(5) *Is.*, XL, 17 ; cf. etiam *Sap.*, XI, 23. — Nulla est difficultas ex *Sap.*, XI, 18, ubi alluditur ad efformationem mundi, quam describit Genesis post versiculum primum, uti indubie, tum ex ipso textu primigenio græco, quum ex contextu constat,

(6) *II Machab.*, VII, 21, 28.

III-IV.

De Æquitate.

Q. *Explica quid sit virtus* Æquitatis ; *et ostende quomodo sit virtus adnexa Justitiæ, et quomodo obliget.*

R. Operæ pretium est, ut notat P. VERMEERSCH (1) quem in præsenti quæstione sequimur, quamdam nostris diebus, claritatis gratia, disquisitionem movere de virtute *æquitatis :* quippe quæ, confuse tantum a multis apprehensa, confuso etiam vagoque modo frequenter appellatur, præsertim in quæstionibus salarii ; cum ceteroquin et ipsa plures diversasque res significare consueverit.

1) Itaque primum accidit vocem *æquitatis* pro justitia rigorosa supponere ; quod studiosis certe lectoribus omnino compertum est. In hunc aliquando sensum, inter alios scriptores, usurpat eam LEO XIII in Enc. *Rerum Novarum,* ex. gr. cum dicat : « non civem ut diximus, non familiam absorberi a republica rectum est : suam utrique facultatem agendi cum libertate permittere *æquum* est, quantum incolumi bono communi et sine cujusquam injuria potest (2) ».

Hoc sane casu non est hujusmodi æquitas pars quædam potentialis justitiæ, cum sit ipsa virtus justitiæ naturalis et strictæ, alio nomine decorata ; in qua nunc explicanda nobis immorandum non est.

2) Secundo, apud antiquos scriptores et scolasticos communiter, supponebat *æquitas* pro *epikia*, seu virtute

---

(1) *Quæstiones de Justitia*, n. 478.

(2) *Rerum Novarum,* p. 40 editionis Desclée ; et passim. — Nec ipse clarus P. VERMEERSCH, qui plures hujusmodi textus affert, o. c., n. 489, ab hoc usurpando sensu data occasione abstinet, ut patet ex ejus recente opere : *De castitate*, n. 189, ubi de vitanda quadem specie calumniæ scribit « *æquitas* præterea postulat ut caveamus ne, eo quod eorum consilia minus nobis placeant, honestis viris, etsi acatholici fuerint, imputemus errores quos minime professi sunt. »

moderante observantiam litteræ legis, dum opportune inclinat ad legis interpretationem oppositam quidem verbis, sed consentaneam menti legislatoris. Ut enim docet S. THOMAS (1) : « non fuit possibile aliquam regulam legis institui quæ in nullo casu deficeret ; sed legislatores attendunt ad id quod in pluribus accidit, secundum hoc legem ferentes ; quam tamen in aliquibus casibus servare, est contra æqualitatem justitiæ, et contra commune bonum, quod lex intendit : sicut lex instituit quod deposita reddantur, quia hoc, ut in pluribus, justum est ; contingit tamen aliquando esse nocivum, puta si furiosus deposuit gladium, et eum reposcat, dum est in furia, vel si aliquis reposcat depositum ad patriæ impugnationem. In his ergo et similibus casibus malum est sequi legem positam ; bonum autem est, prætermissis verbis legis, sequi id quod poscit justitiæ ratio et communis utilitas. Et ad hoc ordinatur epikia, quæ apud nos dicitur *æquitas*. »

Hæc igitur æquitatis virtus seu epikia ponitur a S. Doctore inter partes *potentiales* strictæ justitiæ ; et ostenditur correspondere *justitiæ legali* (2).

---

(1) In II II, q. 120, a. 1.

(2) Cf. S. THOMAM, ibid. a 2 et ad 1 : « dicendum quod epikia correspondet proprie justitiæ legali, et quodammodo continetur sub ea, et quodammodo excedit eam. Si enim justitia legalis dicatur quæ obtemperat legi sive quantum ad verba legis sive quantum ad intentionem legislatoris, quæ potior est, sic epikia est pars potior justitiæ legalis. Si vero justitia legalis dicatur solum quæ obtemperat legi secundum verba legis, sic epikia non est pars justitiæ legalis, sed est pars justitiæ communiter dictæ, divisa contra justitiam legalem, sicut excedens ipsam. » — Ad rem PÉGUES : *Commentaire français littéral de la Somme Théologique*, in h. l. : « l'épikie, au sens strict et premier, ou selon qu'on la dit des choses de la justice, est donc une certaine justice, qui a pour objet propre d'incliner la volonté de l'homme à suivre toujours ce que l'équité naturelle requiert lorsqu'il peut y avoir conflit entre le droit naturel et le droit positif ou légal. C'est la sauvegarde suprême de la justice, au point le plus délicat et le plus essentiel, alors qu'une observance étroite et mal entendue d'un texte de loi ferait qu'on agirait contre les droits imprescriptibles de la plus élémentaire équité. »

3) Nostris denique diebus, vox *æquitas* alio præsertim sensu usurpari consuevit. Appellatur nempe in his proprie casibus, in quibus aliquid concedi congruit vel petitur quod ex parte quidem favor est, sed tamen aliunde non est pura gratia, existente nimirum titulo quodam cur concessio privilegii congrua videatur et quasi debita appareat.

Cogita v. g. petitiones plurimas hodiernas, quibus participatio operariorum in beneficiis industriæ proclamatur æquitati consonans, vel quibus æquum declaratur ut numerosæ prolis pater opifex supplementum salarii ideo accipiat ; casus etiam debitorum qui statim absque serio incommodo debita sua solvere nequeunt, ideoque ex æquitate dilationem solutionis a creditoribus expetunt ; et cetera hujusmodi. Profecto, si quis has similesve causas investigaverit, inveniet æquitatem sensu hodierno intellectam supponere duo : apud creditorem quidem seu illum cui incumbat æquitatis exercitium, jus quoddam strictum non faciendi, scilicet abstinendi a concedendo favore qui postulatur et exigendi ab alia parte debitam ex jure stricto præstationem ; apud debitorem vero titulum aliquem non strictum seu imperfectum, vere tamen existentem, cur creditor convenienter remittat aliquid de jure suo rigoroso, et moderate agat.

Sic, titulus ille imperfectus et quasi juridicus cur æquitatem invocent in petenda pro operariis parte beneficiorum industrialium, in hoc fundatur quod hæc beneficia labori opificum pro bona parte tribuenda sint. Qui quidem titulus strictus esset, si iniretur contractus societatis ; sub contractu vero salarii imperfectus remanet, adeo ut jus strictum non violet herus si petitionem hujusmodi respuat ; verum a pluribus violatæ æquitatis accusabitur. Pariter, in emolumentis quæ Statui et industriæ per suam numerosam prolem procurabit pater quidam opifex, dicunt ipsi fundari titulum ad supplementum salarii ; quamquam

in rigore juris non magis valet labor ejus quam labor operarii orbati liberis ; et sic porro.

Ratio virtutis.

Jamvero laudata hæc æquitas omnibus requisitis notis pollere videtur ut *specialis quædam virtus* nuncupanda sit.

Primum enim differt tum a *caritate* tum a *justitia* stricta. A caritate quidem : cum hæc nitatur unitate quadam personarum, priusque ad seipsum sit quam ad alterum, nec ullatenus titulum quasi juridicum in personis determinatis supponat sed ad omnes dirigatur obque alias rationes ; dum æquitas in alteritate fundatur, ad seipsum non respicit, et debitum quoddam in aliquibus tantum existens supponat ; a justitia vero : quippe quæ tum alteritatem, tum debitum tum æqualitatem in reddendo stricta esse vult, et a debitore proprie exercetur ; dum æquitas expectatur a creditore, nec ceteras conditiones rigorose verificari postulat, contra signat debitum imperfectum.

Mediat igitur æquitas inter caritatem et strictam justitiam ; et quamvis vicinior sit justitiæ, ut reflectenti patet, mitigando tamen præstationes debitorum presse talium, faciliorem præparat animorum conjunctionem.

Insuper, eadem liquet esse *habitus* inclinans voluntatem ad congruam moderationem juris stricti, seu ad humanum juris usum (1). Considerat enim ea quæ congruunt humanæ personæ debitoris, propter causam quam habet ad aliquam summi juris mitigationem ; et in hunc sensum inflectit creditoris animum.

---

(1) Quod ceteroquin nequaquam antiquos fugit, testante Philosopho, *l. 5 Ethic., c. 10 :* « Qui non nimis urget jus (suum) summum, neque in deteriorem partem, sed de jure suo concedit potius, etiamsi legis auxilio niti possit, is est æquus et bonus : *atque hic habitus æquitas appellatur.* » Cf. P. Vermeersch, o. c., n. 482. — S. Thomas vero, in II-II, q. 80, a, unico, æquitatem hoc sensu intellectam ad virtutem affabilitatis potius refert.

Ex quibus omnibus ratio virtutis specialis deduci posse videtur : materiam ejus peculiarem constituunt nempe jura stricta creditorum, collata cum juribus imperfectis quæ sunt in aliis ; objectum ejus formale, moderatio priorum seu procuratio æqualitatis inter hæc et illa, in quantum scilicet congruit humanæ personalitati debitorum simulque recto convictui hominum inter se ; in quo sane propria quædam et *specialis honestas* relucet. « Nec abesse vincendam *difficultatem,* patet bifariam : tum quia agitur de temperando usu juris, i. e. facultatis, quo genere, cum sit in bonum nostrum, insolenter abuti solent homines ; tum quia præstatio cedit in alterius commodum, ad quod procurandum, repugnante falso amore proprio, non adeo sumus propensi (1). »

Tandem, admissa ratione virtutis, nullo jam negotio æquitas partibus justitiæ adjudicabitur, cum alteritatem et debitum et æqualitatem in reddendo expostulet. Sed, siquidem hæc elementa deficiente tantum modo continet, *pars potentialis justitiæ* seu virtus ipsi adnexa recte vocabitur ; etenim « in virtutibus quæ adjunguntur alieni principali virtuti, duo sunt consideranda ; primo quidem, quod virtutes illæ in aliquo cum principali virtute conveniant ; secundo, quod in aliquo deficiant a perfecta ratione ipsius (2). »

Obligatio hujus virtutis.

Ipsa æquitas, abstractione facta ab officiis virtutum inter quas media incedit, et quæ nunnunquam simul concurrunt, *levem* tantummodo obligationem importare videtur. Imperfectum enim et mancum est debitum quod reddit ; nec humanus convictus, si sola violetur, in his essentialibus relationibus hominum inter se offen-

(1) P. Vermeersch, o, c., n. 482.
(2) S. Thomas : *Summa Theol.*, II II, q. 80, a. unico.

ditur, quarum transgressionem jus naturæ graviter prohibet (1).

Insuper notandum est omnem hujus virtutis deficere obligationem, sicubi formalis ratio ejus honestatis non sit applicabilis: ut si a concedenda quadam remissione juris stricti creditor proportionato incommodo vere impediatur, vel quandoque si postulata concessio in detrimentum petentis vertenda prævideatur.

Ubi vero titulo imperfecto debitoris adjungatur ipsius egestas seu necessitas sublevanda, ibi statim caritatis obligatio per se superadditur, quæ est ex genere suo gravis; ubi tandem æquitas vi muneris exercenda est, v. g. ab illis qui curam communitatis gerunt, tunc exurgit simul debitum justitiæ legalis et commutativæ pariter ac distributivæ.

E. HOSTEN.

V

De mediis ad perfectionem.

Explica hoc assertum: Principium adæquatum perfectionis acquirendæ hisce verbis S. Pauli apte exprimitur: « **Gratia Dei mecum** ». I Cor. XV, 10.

R. In textu citato spectant hæc verba *laborem apostolicum* (2): « *Abundantius illis omnibus* [i. e. cœteris apostolis] *laboravi: non ego autem, sed gratia*

---

(1) Idem æquivalenter indicare videtur S. THOMAS, in II-II, q. 80, a, unico in fine, ubi loquens de virtutibus justitiæ adnexis, et sub virtute affabilitatis æquitatem comprehendens, ait: « Aliud vero debitum est necessarium, sicut conferens ad majorem honestatem, *sine quo tamen honestas conservari potest;* quod quidem debitum attendit liberalitas, affabilitas sive amicitia, aut alia hujusmodi, quæ Tullius prætermittit in prædicta enumeratione (partium potentialium justitiæ), *quia parum habent de ratione debiti.* »

(2) Eximium commentarium hujus verbi S. Pauli invenies in *Exhortatio ad clerum catholicum Pii PP. X* et in litteris apostolicis Benedicti XV, de fide catholica propaganda, 30 novembris 1919. *Acta Apost. Sedis*, t. XI, p. 440.

Dei mecum ». Ea tamen apte extendimus ad *opus sanctificationis propriæ*, quod, utpote opus divino-humanum, nonnisi concursu Dei ipsiusque hominis peragi potest.

Et revera :

Quid est sanctificatio propria ? — Est progressiva divinisatio totius activitatis humanæ, procedentis nimirum a voluntate deliberata, quatenus per gratiam « divinæ consortes naturæ (1) » effecti, vita etiam moribusque divinis vivamus, « imitatores Dei... sicut filii carissimi ». « Estote... vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est » (2).

Ut autem tota divina fiat activitas nostra deliberata duo requiruntur : 1° ut tota quanta *procedat* a gratia divina tanquam a principio elicitivo, remote quidem a gratia sanctificante, proxime vero a virtutibus infusis, donis Spiritus sancti et gratia actuali (3).

Ideo « oremus quotidie, nos saltem sacerdotes, Spiritum sanctum, ... ut animus noster, non tantum ab omni peccati labe sit purgatus et immunis, sed et ab omni affectu mere humano sit vacuus, ita ut *nullus sit actus noster deliberatus nisi operante* (4) *ac cooperante* (5) *divina gratia supernaturali*... (6) »

Gratia autem derivat in nos a Christo, cui igitur tamquam membra capiti inseri debemus.

---

(1) II Pt. I, 4.

(2) Eph. V, 1 ; Mt. V, 48.

(3) Ita oramus : *A*ctiones nostras quæsumus Domine aspirando præveni et adjuvando prosequere *ut cuncta nostra oratio et operatio a Te semper incipiat* et per Te cœpta finiatur.

(4) Quem Deus *aspirando præveniat*, determinando intellectum, et volontatem ad actus indeliberatos inclinantes ad actus deliberatos bonos. Est gratia excitans.

(5) Quem Deus *adjuvando prosequatur*, concurrendo modo supernaturali, de quo ulterius determinando disputant theologi, ad liberum voluntatis consensum. Est gratia adjuvans.

(6) Ill^{mus}. WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ, Collat. Brug.*, t. VII, p. 531. J. VANDER MEERSCH, *De divina gratia*, n. 280 ss.

2° Ut tota *ordinetur* positive, intentione actuali vel saltem virtuali, ad glorificationem Dei supernaturalem et ad imitationem Dei, Unius et Trini, seu ad Deum causam finalem et exemplarem (1), juxta regulas perfectionis christianæ, quæ præcipue in vita et doctrina Christi authentice ab Ecclesia Catholica explicatis, exhibentur et enuntiantur, aliis verbis ut activitas nostra inspiretur motivis divinis. Hæc est pars positiva operis sanctificationis personalis et consistit in praxi virtutum christianarum, theologicarum præsertim, seu in vita fidei, vita spei, vita charitatis. Cum autem nulla virtus intimius Deo conjungit, Deoque assimilat quam charitas, ea tandem perfecta erit activitas humana quæ et in quantum a charitate divina elicitur aut imperatur (2). Hanc vitam ita describit Ill^mus^ ac Rev^mus^ Episcopus noster :

« Est... vita vividæ fidei, ita ut, adjuvantibus donis scientiæ, consilii et intellectus, in omni opere ducamur motivo supernaturali.... Est vita spei divinæ, qua contemptis rebus fluxis hujus mundi, aspiramus ad perenne summumque bonum, Deum, in omnibus ducti fiducia immota in ejus Providentia, fretique ejus auxilio omnipotenti. Est vita charitatis, qua continuo in divino amore progredi satagentes, omnia opera nostra ex perfectissimo istius amoris motivo exsequamur » (3).

---

(1) Auctores qui ad supernaturalitatem et meritum de condigno actuum nostrorum dicunt sufficere relationem virtualem, sensu S. Thomæ, aut connaturalem, sensu modernorum, in Deum finem supernaturalem, nec requiri motivum supernaturale, non ideo negant ad perfectionem vitæ christianæ ulteriores requiri conditiones quales in textu describimus. Cf. J. Vander Meersch, *o. c.*, n. 375, ss. *Collat. Brugen.*, t. XII, p. 168, ss.

(2) Vide *Collat. Brugen.* t. XIV, p. 588 et ejusdem H. Mahieu, *Probatio charitatis*, 2ª ed. p. 55 ss., ubi notatur charitatem eo perfectiorem esse quo magis fit actualis ; impossibile tamen esse in hac vita ut quis semper actu Deum diligat : hæc est enim perfectio charitatis in patria Unde concludet lector progressum animæ devotæ essentialiter consistere in hoc augmento charitatis, cumque illa semper augeri possit in via, locum dari in vita spirituali progressui indefinito.

(3) *Collat. Brugen.*, t. XVIII, p. 337 ss. *Probatio Charitatis*, 2ª ed. p. 319, ss.

Fastigium autem hujus vitæ charitatis et terminus ejus normalis est vita unionis contemplativæ cum Deo, magis activæ adhuc initio, seu a nobis elicitæ ex gratia divina, per dona Spiritus Sancti, præsertim per donum sapientiæ. Hanc unionem, si anima non deficiat, Deus tandem absolvet per unionem stricte mysticam, seu passivam, incomplete vel et complete, additis quandoque, ex gratuita benignitate, donis extraordinariis gratis datis (1).

Quodnam est principium adæquatum hujus operis sanctificationis propriæ ?

Ex supradictis liquet hoc opus totum quantum esse opus supernaturale, exercitium perfectum scil. virtutum supernaturalium. Illud ergo NON EGO SOLUS perficiam, per meipsum, seu per solas voluntatis vires et conatus, quasi esset negotium mere humanum, perfectio pure naturalis et rationalistica (2). Ideo monet Dominus : « *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis... Sine me nihil potestis facere* » (3).

Augenda ergo in nobis fides in caracterem supernaturalem vitæ christianæ et sanctæ ; nutriendus sensus indigentiæ nostræ absolutæ in hoc ordine : « *Beati pauperes spiritu* », (4) et sensus diffidentiæ a nobis ipsis : « *Cum enim infirmor tunc potens sum* (5) »

---

(1) Cf. *ibidem*, Coll. *Probatio Charitatis*, p. 415 ss.

(2) Hoc errore plus minus inficiuntur ii qui tantopere extollunt « actionem » « vitam activam, intensam » « opera » « personalitatem » « initiativam personalem » ut aiunt, neglecta vita orationis, humilis obedientiæ, et docilitatis. Lege Card, MERCIER, *A mes séminaristes*, 7e Conférence. Unde etiam sequitur cum magna discretione legendos esse illos Auctores protestantes aut rationalistas de educatione tractantes.

(3) JOA. XV, 4, 5.

(4) MT. V, 3.

(5) II Cor XII, 10.

« *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis,* [modo scil. salutari], *sed sufficientia nostra ex Deo est* » (1). Valde utilis est quoque, ad nutriendum hunc sensum indigentiæ nostræ in opere sanctificationis et ad humilitatem juvendam, memoria illorum actuum qui pleno sensu « nostri » sunt, a nobis quasi ex nobis, scilicet peccatorum nostrorum.

NEQUE GRATIA DEI SOLA hoc opus perficiet, secus opera nostra sancta nullo sensu jam essent nostra, nobis imputabilia, nec haberent rationem veri meriti (2), et recta duceremur ad fatalismum quemdam vel ad falsum mysticismum damnatum ab Ecclesia in quietismo (3) aut semi-quietismo (4).

Sed GRATIA DEI MECUM est causa adæquata sanctificationis nostræ, ita ut opera nostra sancta simul sint opera Dei et simul opera nostra. A Deo sunt, tamquam a causa principali, modo omnino indebito præveniente et adjuvante animam ad salutariter operandum, ut supra breviter indicavimus ; a nobis sunt, tamquam a causa instrumentali, quatenus intellectus et voluntas nostra ut instrumentum vitale Deo conjunctum eliciunt respective actus suos indeliberatos et liberum consensum (5).

Ex illo concursu Dei et hominis actio supernaturalis speciali modo humano - divina efficitur et

---

(1) II Cor. III, 5.

(2) Quod est contra doctrinam definitam a CONC. TRIDENT. Sess. VI, c. 16.

(3) DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, ed. 12, n. 1221 ss. propositiones damnatæ de Molinos.

(4) *Ibid.*, n. 1327 ss., propositiones damnatæ ex Fénelon, *Maximes des Saints*. Ex illis erroribus damnatis suspicio inde a sæculo XVII exeunte ad nostra usque tempora in totam mysticam etiam pure orthodoxam conjecta est.

(5) In homine justo eliciuntur actus indeliberati vel per dona Spiritus Sancti aut virtutes infusas, vel, juxta auctores qui vindicant necessitatem gratiæ actualis ad omne opus salutare, per gratiam actualem ut præveniens est. Actus vero deliberati eliciuntur per virtutem infusam corrispondentem. Cf. VANDER MEERSCH, *o. c.*, n. 280, n. 289.

totum opus tribuitur Deo per gratiam et totum libero arbitrio gratia prævento et imbuto (1).

Conclusio practica sit : niti debemus cum maxima fiducia auxilio Dei : « *Omnia possum in eo qui me confortat* » (2), simul tamen utamur oportet nostris facultatibus *attendendo* ad illuminationes, *dociliter et generose consentiendo* inspirationibus gratiæ (3). Opere vero sancto expleto quidquid in eo perfectum est Deo tribuamus « *Soli Deo honor et gloria* » (4), quidquid vero imperfectum est nobis ipsis tamquam instrumentis Dei ineptis ascribamus : *qui gloriatur in Domino glorietur* » (5).

A. LEGRAND.

VI.

De missis in Commemoratione omnium fidelium defunctorum.

Q. *Quomodo celebrandæ sunt missæ in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum ?*

R. **Trina celebratio.** Ex constitutione Benedicti XV *Incruentum* de die 10 Aug. 1915 (6) » licet [non « præscribitur] omnibus in Ecclesia universa sacer- « dotibus [tam sæcularibus quam regularibus], quo die « agitur Sollemnis Commemoratio Omnium Fidelium « Defunctorum [die 2ª vel 3ª novembris] (7), ter

(1) *De dubio solvendo*, n. 43.

(2) PHILIPP. VI, 13.

(3) *Probatio charitatis*, p. 269 ss.

(4) I TIM. I, 17.

(5) I, Cor., I, 31. — Lege apud SALESIUM, *Traité de l'amour de Dieu*, L. II, chap. 12, 13 ; L. XI, ch. 6 ; L. XII, ch. 8.

(6) *Act. Apost. Sed.*, 1915, VII, 401 ; in limine Novi Missalis pro defunctis.

(7) Decretum *Urbis et Orbis*, 28 febr. 1918 (*Acta Apost. Sed.* IX, 168) statuit hanc Commemorationen « festis solemnioribus primariis ritus duplicis primæ classis et Ecclesiæ universalis amodo esse æquiparandam, adeo ut *omnia et singula festa* propria locorum, Ecclesiarum,

« sacrum facere, ea tamen lege ut unam e tribus « missis (1) cuicumque maluerint applicare et stipem « percipere queant; teneantur vero, nulla stipe per- « cepta, applicare alteram in suffragium omnium « fidelium defunctorum, tertiam ad mentem summi « Pontificis quam satis superque declaravimus » (2).

II. **Diversa formularia** adhibenda sunt (3). « Tres « missæ... sic legantur quemadmodum... Benedictus « XIV pro regnis Hispaniæ et Lusitaniæ præscripsit », hoc est eo modo et ordiné quo nunc exstant in novo missali pro defunctis « in Commemoratione Omn. Fid. Defunctorum » :

a) « Ad primam missam », ea est quæ olim sola assignata erat huic Commemorationi. Hæc est missa propria diei.

b) « Ad secundam missam » ea ponitur quæ assignata erat in anniversario, sed suppressis in collecta, secreta et postcommunione, verbis quæ anniversariam diem exprimebant.

c) « Ad tertiam missam » dicenda missa « quotidiana » cum oratione *Deus, veniæ largitor*, sed suppressis verbis *fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum*, ut omnibus fidelibus defunctis applicari possit.

Ordinum seu Congregationum aliorumque Institutorum particularium excludat, excepta tamen *Dominica*, quæ die secunda novembris occurrat; quo in casu eadem Commemoratio *cum suis privilegiis* in diem immediate sequentem de more transferatur ».

(1) « Quæ magis eis placet » S. C. Concilii, 15 oct. 1915, (*A. Ap. Sed.*, VII, 480); coll. decreto n. 2524, 2.

(2) Quoad prohibitionem recipiendi stipendium pro duabus ex tribus missis, vide praeter hunc textum, decr. S. C. C. 15 oct. 1915, (*A. Ap. Sed.*, VII, 480).

() Exceptis iis qui gaudent indulto apostolico, cæcutientibus v. g. concedi solito, celebrandi semper missam *Requiem* vel votivam de Beata. Ex decreto enim S. R. C. 29 jan. 1920, possunt nunc — non olim — in Commem. Omm. Fid. Defunct. ter eamdem missam *Requiem* repetere et item in festo Nativitatis Dni ter eamdem votivam de Beata iterare.

Tres illæ missæ sunt missæ privilegiatæ, ritu qui duplici repondet celebrandæ, adeoque cum *Dies iræ* et unica oratione (1).

III. **Quo ordine ?** Qui tres missas sine cantu celebrat, ordinem præfatum sequi tenetur.

Sed potest etiam « sacerdos unam vel duas missas tantum celebrare » (2). Qui unam dumtaxat missam celebrat, primam legat » (3) vel cantet, ut olim. Hæc enim est missa diei. Si quis vero duas missas celebrat, « altera erit secunda » (4) h. e. ea quæ ponitur secundo loco.

Qui bis vel ter celebraturus, unam missam cum cantu celebrat, cantare debet eam quæ primo loco in missali assignatur : est enim missa diei propria. Sed in hoc casu non tenetur sequi ordinem statutum : addit enim Constitutio *Incruentum*, III, et novum Missale « facta ei potestate anticipandæ secundæ ac tertiæ » missæ.

Si quis autem duas vel tres missas cantaret, tria diversa formularia adhibere teneretur, sed pro missa principali adhiberet formulare primum.

IV. « **Missam pro defuncto**, præsente cadavere licet canere » « juxta Rubricas et Decreta. Missa autem sit una ex tribus missis quæ dicuntur in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum : et Orationi missæ addatur Oratio pro defuncto [*Deus cui proprium*], sub unica conclusione » (5). Ita decretum S. R. S. *Albiganen*. 10 jan. 1919 (6). Hæc regula valet tantum

---

(1) Decr. S. R. C. *Urbis et Orbis*, 11 aug. 1915, (*A. Ap. Sed.*, VII, 422-423).

(2) Decr. S. R. C. 28 febr. 1917, ad I. « In utroque casu una missa erit ad intentionem celebrantis, in secundo tamen casu, altera ex duabus missis, pro omnibus fidelibus defunctis applicanda est » . *Ibid.*, ad III.

(3) Nov. Missale pro defunctis, die 2 Nov. ; Const. *Incruentum*, III.

(4) Decr. S. R. C. 28 febr. 1917, ad II.

(5) Pariter in festis solemnioribus additur oratio missæ impeditæ pro re gravi, sub unica conclusione.

(6) *Act. Ap. Sed.*, XI, 143. Ergo jam non licet adhibere formulare missæ *pro die obitus*, ut permittebant decreta 893, 4 ; 1788 et 3864, 5.

pro sola missa *exsequiali* quæ regulariter debet esse cantata sed potest esse lecta « pro pauperibus » (1). Si igitur et aliæ missæ pro eodem defuncto celebrentur, in his orationem pro defuncto addere non licet (2).

V. **Exposito SS^mo Sacramento.** « Sicubi acciderit » ut Augustissimum Sacramentum sit expositum pro » *Oratione XL Horarum*, missæ de Requie, cum vesti- » bus sacerdotalibus coloris violacei necessario di- « cendæ (Decr. Gen. S. R. C. 3177-3864 ad 4) (3), ne « celebrentur ad altare expositionis » sed ad aliud altare (4).

Ex decreto 3864, 4 non poterat omitti missa unica votiva de SS. Sacramento. Ex quo autem Commemoratio omn. Fidel. defunct. ad ritum altiorem est evecta, declaravit S. R. C. « unicam missam solemnem de SS. Sacramento vel de pace, de qua sermo est in Instructione Clementina et in decreto generali n. 3864, ad 4, quando dies expositionis vel repositionis aut medius incidit in diem Commemorationis omn. fidel. defunct. » non permitti et ad mentem. « Mens autem est : in ecclesiis ubi die Commemorationis omn. fidel. def. fiat Oratio XL Horarum cum SS. Sacramento solemniter exposito, hujusmodi expositio [prima die] sequatur, repositio vero cum processione [die tertia] præcedat Missam cantatam de die Commemorationis omn. fid. def. » (5). Die autem intermedia, quando SS^mum jam est expositum et nondum reponi potest, omnes missæ debent esse de « Requie » in colore violaceo et extra altare expositionis.

Si hac die occurrat *Adoratio perpetua*, eædem regulæ serventur. Certe non permittitur missa votiva de SS.

---

(1) Ita Nov. Missale pro defunctorum, *Ex additionibus*, tit. III, n. 3.

(2) Cf. Decr. 1788 ; 3864, 5.

(3) Aliis diebus non licet celebrare missam de Requie in colore violaceo, D. 3177.

(4) Cf. D. 3302, 2.

(5) Decr. S R C. *Urbis et Orbis*, 26 febr. 1919 (*Acta Ap. Sed.*, XI, 142.)

Sacramento. Nec, durante expositione, licita videtur absolutio ad tumulum post missam solemnem (1). Unde, hora matutina si fieri potest, celebretur missa solemnis diei Commemorationis omn. fid. def. cum absolutione, et dein exponatur SS. Sacramentum (2). Post autem expositionem, omnes missæ celebrentur ad aliud altare in paramentis violaceis.

C. Callewaert.

(1) Qua de re cf. *Collat. Brug.*, VI, 624 ss.
(2) Ad normam citati decreti 26 febr. 1919.

Législation civile sur le mariage.

Loi du 11 février 1920 supprimant, en certains cas, la prohibition de mariage entre beaux-frères et belles-sœurs (1).

Article 1er. L'alinéa suivant est ajouté à l'article 162 du code civil :

« Toutefois, l'alliance ne constitue pas un empêchement au mariage après le décès du conjoint qui la produisait ».

Article 2. La loi du 23 avril 1827 et le décret du 28 février 1831 sont abrogés.

Disposition transitoire.

Les enfants issus sous l'empire de la législation actuelle de relations hors mariage entre beaux-frères et belles-sœurs, après le décès du conjoint qui produisait l'alliance, cesseront d'être considérés désormais comme incestueux.

Observations.

Avant la présente loi, notre législation civile statuait : 1°/ « en ligne directe, le mariage est prohibé entre tous les ascendants et descendants légitimes ou naturels, *et les alliés dans la même ligne* » (*Code civil*, art. 161). La loi du 11 février 1920 n'apporte aucune modification à cet article. L'alliance en ligne directe constitue et demeure un empêchement au mariage même après la mort du conjoint qui produisait l'alliance. La loi ne prévoit pas de dispense. 2°/ D'après l'article 162 du code civil : « en ligne collatérale, le mariage est prohibé entre le frère et la sœur légitimes ou naturels, *et les alliés au même degré* ». Cet empêchement d'alliance entre beaux-frères et belles-sœurs pouvait être levé

(1) *Moniteur*, p. 1158, 14 février 1920.

par le roi (loi du 23 avril 1827). Un décret du 28 février 1831 accordait au gouvernement le même pouvoir, mais « les dispenses ne pouvaient être accordées que lorsque le mariage était dissous par la mort naturelle de l'un des époux ».

Comme le fait remarquer M. Pécher, dans le rapport fait au nom de la section centrale, 18 sept. 1919, la dispense de la prohibition était régulièrement accordée, « la seule raison de refus, à savoir la présomption de relations coupables, entre les intéressés du vivant du conjoint décédé, se heurtant à une impossibilité absolue de preuve ». Si les refus étaient extrêmement rares, cette disposition avait seulement pour effet d'obliger les futurs contractants à des formalités onéreuses, de retarder inutilement la célébration du mariage, et de fournir en bien des cas une occasion de concubinage. Bref, la loi du 11 février consacre officiellement une situation existante et dans les circonstances actuelles, elle revêt un caractère d'opportunité toute particulière « en ce qu'elle permet de régler dans l'intérêt des orphelins de guerre, des situations difficiles, créées par la mort au champ d'honneur du chef de la famille ».

En France, le législateur a ajouté à l'article 162 la même restriction. « Toutefois l'alliance ne constitue plus un empêchement au mariage lorsqu'il a pris fin par le décès du conjoint qui produisait l'alliance ». Avant la Révolution, cette restriction s'étendait même à l'alliance en ligne directe, d'après l'adage : « morte ma fille, mort mon gendre ». Le droit romain connut probablement la même loi.

On remarquera que l'empêchement d'affinité en ligne collatérale n'est pas supprimé d'une façon absolue. Le mariage entre beaux-frères et belles-sœurs reste prohibé en cas de divorce ; il est permis après la mort naturelle de l'un des époux, mais en ce cas

le lien de l'alliance subsiste toujours quoiqu'il ne constitue plus un empêchement au mariage.

Il résulte de ce changement, qu'il ne peut plus être question de demander dispense de l'empêchement d'alliance : en effet, 1°) s'il existe en ligne directe la loi ne l'accorde pas ; 2°) s'il existe en ligne collatérale, a) en cas de divorce, l'empêchement subsiste et la loi ne prévoit pas de dispense, b) en cas de mort d'un époux, l'empêchement cesse d'exister. Par le fait même, la loi du 23 avril 1827 et le décret du 28 février 1831 sont abrogés.

Disposition transitoire.

Les enfants nés, — après le décès du conjoint qui produisait l'alliance, — de relations hors mariage entre beaux-frères et belles-sœurs, se trouveraient, *sans cette disposition transitoire*, dans une situation juridique différente, d'après qu'ils sont nés *avant* ou *après* la loi du 11 février 1920. Ceux qui sont nés *sous l'ancienne législation,* sont nés d'un commerce incestueux, p. c. q. ils sont issus de parents entre lesquels, au moment de la conception, existait un empêchement d'alliance. En effet, même après la mort du conjoint qui produisait l'alliance, celle-ci continuait à être un empêchement de mariage. Au contraire, ceux qui naîtront des mêmes parents, *après* la loi du 11 février, ne seront plus incestueux, parce que l'empêchement n'existe plus désormais. Le législateur a voulu supprimer cette différence et, par une espèce de fiction, il cesse de considérer comme incestueux les enfants issus — sous l'empire de la législation « ancienne », (1) — de relations hors mariage entre beaux-frères et belles-sœurs. Conséquemment il fait exception en leur

(1) Le texte porte : « la législation actuelle ». c. a. d. la législation existant au moment de la discussion du projet de loi. De fait il s'agit d'enfants nés avant la loi du 11 février 1920.

faveur à l'art. 331 : « Les enfants nés hors mariage, *autres que ceux nés d'un commerce incestueux* ou adultérin, pourront être légitimés par le mariage subséquent de leurs père et mère, lorsque ceux-ci les auront légalement reconnus avant leur mariage, ou qu'ils les reconnaîtront dans l'acte même de célébration ».

V. COUCKE.

Suprema S. C. S. Officii

De sacramento extremæ unctionis in casu necessitatis conlato (9 Martii 1917) (1).

« An administrato Sacramento Extremæ Unctionis in casu necessitatis unica Unctione in fronte adhibita, per verba : *Per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen* », cessante periculo, singulæ Unctiones, ad tenorem Decreti diei 31 januarii 1907 supplendæ, sub conditione adhibendæ sint vel non ? Emi ac Rmi Dni Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, omnibus mature perpensis, præhabitoque RR. DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt :

Negative ad 1am partem ; *Affirmative* ad 2am.

Et sequenti feria V, die 1 februarii ejusdem anni, SSmus D. N. D. Benedictus divina providentia Pp. XV.... Emorum Patrum resolutionem adprobavit et confirmavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque ».

(1) *Acta Apost. Sedis*, IX (1917), p. 178.

LA LITURGIE DU CAREME ANCIEN.[1]

C. La série des antiennes ad Communionem.

Que le lecteur veuille bien se reporter encore au tableau publié *Collationes Brugenses*, t. XIX, pp. 264-265, et jeter un regard attentif sur la 4e colonne. Dans cette liste des antiennes *ad communionem* nous avons omis les communions des messes qui appartiennent au groupe antérieur au VIIe siècle. Elles ne nous intéressent pas pour le moment.

Nous avons disposé les autres sur deux rangées qui se complètent mutuellement. Dans la rangée de droite nous donnons : a) toutes les communions des messes dominicales (ps. 30, 42, 77, 90, 83, 121, I Cor., 11, MATTH., 26) (2) ; b) celles de la semaine sainte ; c) enfin, pour six jours, nous indiquons en caractères italiques des communions évangéliques tirées de l'évangile du jour. Après cette élimination il reste, dans la rangée de gauche, une série d'antiennes ad communionem qui mérite toute notre attention. Elle va du mercredi des cendres jusqu'à la semaine sainte. Elle se compose exclusivement de communions psalmiques et suit, de 1 à 26, l'ordre numérique des psaumes, sans aucune interversion, mais avec des lacunes, que nous marquons d'un pointillé et qui correspondent aux communions évangéliques signalées plus haut.

Evidemment, cette disposition n'est pas l'effet d'nn pur hasard. C'est d'un seul jet qu'elle a été fixée, sous l'inspiration d'une idée très nette. Mais dans

---

(1) Suite de nos articles sur *La durée et le caractère du Carême ancien dans l'Église latine :* Collat. Brug., XVIII, 90, 311, 455 ; XIX, 193 et 263 ; XX, 112.

(2) La communion du dimanche des Rameaux.

son exécution nous constatons des interruptions et des lacunes qu'il s'agit d'expliquer. Elles furent déjà signalées autrefois par le cardinal Tommasi (1) et mises en pleine lumière par Dom P. Cagin (2).

Voyons d'abord les *interruptions*.

Les *dimanches*, d'abord, n'ont pas été englobés dans la série des communions psalmiques. Pourquoi ? On le divine aisément : au moment où l'on organisait ainsi la liturgie quasi-quotidienne du carême, les dimanches devaient avoir déjà leurs messes propres définitivement constituées.

Ensuite, la série s'arrête à la Semaine Sainte. La raison en est très probablement la même. Au temps de S. Léon (440-461) la liturgie était certainement déjà célébrée au moins les quatre derniers jours. Un contemporain, Arnobe le Jeune, appelait déjà toute la Semaine Sainte l' « authentica hebdomoda Paschæ » (3). Et si nous n'avons pas, pour l'époque de S. Léon, la preuve que le lundi et le mardi aient déjà eu leurs réunions liturgiques (4), il est assez

(1) Dissertation sur *l'Instituzione della feria IV principio del digiuno* insérée dans Em. De Azevedo, *Vetus Missale Romanum cum præfatione, notis* etc., Romæ, 1754, p. 344.

(2) *Un mot sur l'antiphonale Missarum*, ch. III. Solesmes, 1890.

(3) D. G. Morin. *Études, textes et découvertes*, Maredsous, 1913, p. 362, note 2.

(4) « Les stations liturgiques du lundi et du mardi, dit Mgr Duchesne, sont certainement postérieures à S. Léon. Ce pape, en effet, avait l'habitude d'expliquer chaque année la passion de Notre Seigneur. Comme il ne pouvait le faire en un seul discours, il commençait le dimanche avant Pâques et reprenait son exposition à la station du mercredi. S'il y avait eu des réunions entre le dimanche et le mercredi saint Léon n'aurait pas attendu ce dernier jour » *(Origines du Culte* ch. VIII, § 3). La conclusion est-elle bien certaine ? La station du mercredi, cela ne paraît pas douteux, était plus ancienne, plus importante et dès lors plus fréquentée que celles des deux jours précédents ; l'habitude de continuer le mercredi l'exposé d'un sujet commencé le dimanche semble assez ancienne et assez répandue, comme l'indique l'exemple d'Origène, de S. Pierre Chrysologue, de S. Maxime. Ne seraient-ce pas des motifs suffisants pour préférer le jour traditionnel et la synaxe la plus fréquentée ?

probable qu'ils en auront été dotés plus tôt que les autres féries du carême. A Rome, ces deux jours avaient encore aux VIIe et VIIIe s. leur double lecture prophétique et apostolique (1), une disposition que le missel actuel n'a plus gardé que pour le mercredi. Nous constatons quelque chose d'analogue à Capoue (2) et à Naples (3) : la liturgie de la Semaine Sainte y a été complétée plus tôt que celle des autres semaines du carême.

Mais les *lacunes,* à quoi faut-il les attribuer ?

Evidemment à une substitution faite après coup.

L'ordonnance primitive des antiennes ad communionem devait comporter des versets empruntés à chacun des psaumes de 1 à 26, sans exception. Si l'auteur de cette organisation systématique avait admis des antiennes extravagantes, pour certaines féries comme il l'a fait pour tous les dimanches, il les aurait *intercalées* entre deux numéros successifs de la série 1-26, sans supprimer le psaume qui se présentait en ordre utile. C'est le procédé qu'il a suivi pour les dimanches. Il est si naturel qu'on se demande vainement pourquoi on aurait cherché un autre système pour les messes fériales. Les six antiennes évangéliques que nous trouvons actuellement dans notre missel remplacent des versets, empruntés précisément aux six psaumes qui manquent dans la série normale (ps. 3, 12, 16, 17, 20 et 21).

Elles doivent donc avoir été *substituées* aux antiennes psalmiques postérieurement à l'ordonnance primitive.

---

(1) Voir le *Comes* de WURZBOURG, *Rev. Bénéd.* t. XXVII (1910).

(2) Le lectionnaire de Capone, du VIe siècle, indique des épîtres pour deux féries de chaque semaine du carême ; il en donne une pour chaque jour de l' « ebdomada major ». *Liber Comicus*, ed. G. MORIN, p. 441.

(3) Les *Capitula evangeliorum*, de Naples assignent régulièrement un évangile aux lundis, mercredis et vendredis des premières semaines : pour l' « ebdomada major » il en indique un pour chaque jour. *Liber Comicus*, p. 433.

Nous en avons d'ailleurs la preuve palpable pour les psaumes 3 et 21, dont il ne reste pas trace dans le missel actuel.

Au premier lundi du carême (n. 9), la station se célébrant à Saint-Pierre-ès-liens, nous chantons aujourd'hui à la communion : « Amen, dico vobis, quod uni ex minimis meis fecistis... », une combinaison libre de deux textes tirés de l'évangile du jour (Math. XXV, 31-46). Mais si nous consultons les antiphonaires Grégoriens, nous retrouvons le verset « Voce mea ad Dominum clamavi », le début du psaume 3. Ainsi disparait la première lacune de la série.

Au vendredi de la quatrième semaine (n. 34) notre missel, d'accord avec les antiphonaires anciens, donne à la Communion « Videns Dominus flentes sorores Lazari... » empruntée librement à l'évangile de la résurrection de Lazare, qui se chante à la messe du jour. La place devrait être normalement occupée par un verset du psaume 21. Or plusieurs manuscrits anciens (1) ont gardé le souvenir de ce psaume : ils notent que l'antienne précitée doit être chantée avec les versets du psaume 21, bien que celui-ci ne soit pas le psaume de l'introït (2).

Le bien-fondé de la solution que Dom Cagin a magistralement mise en lumière saute ainsi aux yeux. Inutile d'insister.

*
* *

Mais pour quelles raisons et vers quelle époque a-t-on substitué les textes évangéliques aux versets psalmiques ? C'est une question qu'on a, à notre con-

---

(1) P. ex le Codex Blandiniensis (nos 10127-10244 de la Bibl. Royale de Bruxelles) publié par notre Brugeois Pamelius ; le *Liber antiphonarius* publié dans Migne, t. 78, col. 670.

(2) Serait-ce pur hasard qu'au samedi de la seconde semaine (n. 21), un verset du psaume 12, chassé par une antienne évangélique de la communion, soit allé se réfugier à l'offertoire de la même messe ?

naissance, à peine touchée et dont la solution pourrait avoir une réelle importance. Toutes les substitutions dont il s'agit ne datent pas de la même époque, elles ne répondent pas à une préoccupation unique. L'antienne du premier lundi est postérieure au VIIIe siècle, les autres au contraire semblent remonter au moins à S. Grégoire. Au premier lundi le changement d'antienne à la communion n'entraîne ou n'atteste aucune autre modification ; dans d'autres cas — p. ex. à la messe du mercredi de la 4e semaine — l'introduction d'une antienne évangélique est certainement la conséquence d'une modification plus profonde : changement d'évangile ou de lectures liturgiques ou même substitution à l'ancienne messe d'un formulaire entièrement nouveau.

Il faut donc examiner chaque cas en particulier. Mais nous devons réserver cet examen à une étude subséquente, dans laquelle nous espérons prouver que la plupart des substitutions se rattachent à un changement dans la discipline des scrutins de catéchumènes, changement qui pourrait bien avoir eu lieu vers la fin du VIe siècle.

C. Callewaert.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Y. de la Brière. *Les luttes présentes de l'Église. Deuxième série, janvier 1913-juillet 1914. Troisième série, août 1914-décembre 1915.* Paris, Beauchesne, 2 vol. in-8°, XI-538 et XV-401 p. F. 5 et 4.

Le savant auteur continue (1) à grouper dans les présents volumes la plupart des chroniques mensuelles du mouvement religieux, telles qu'elles parurent dans l'excellent périodique « *les Études* ». Ces chroniques ne sont pas seulement la relation exacte des faits, mais, en rapportant les événements, elles les commentent et apprécient du point de vue de la doctrine catholique.

En tête du *premier recueil,* l'auteur a placé une étude impressionnante, où est résumée la politique religieuse de Pie X à l'égard de la France. Cette lutte doctrinale du Souverain Pontife, héroïquement acceptée par l'admirable clergé français, fit échec à l'œuvre législative du laïcisme et rendit à l'Église de France avec sa liberté un renouveau d'énergie et de zèle. Un travail considérable d'organisation et d'apostolat s'accomplit en effet dans les diocèses et les paroisses, peu d'années après la crise émouvante de la Séparation. Signalons encore dans la première partie, de ce volume une étude historique et juridique de la *question romaine* et l'article final où est exposée et caractérisée l'œuvre doctrinale du Pontificat de Pie X. Dans la seconde partie l'auteur fait revivre les luttes particulièrement acharnées qui mirent aux prises, autour de l'École, les laïques et les catholiques de France. Il y évoque également les ravages causés chez les Primaires par les utopies malsaines du pacifisme et de l'antimilitarisme et que, providentiellement, l'effroyable réalité de la grande guerre a fait disparaître, en entraînant tous les cœurs et tous les esprits dans un même élan de patriotisme. Viennent ensuite une série d'études sur de valeureux défenseurs de la cause catholique : Louis Veuillot, le R. P. Bailly, le R. P. Matignon, Paul Lerolle, les Jésuites de la « rue des Postes », tous combattants d'hier qui montrent la route aux hommes d'action d'aujourd'hui.

---

(1) Voir un compte-rendu de la 1re série dans les *Collat. Brugen.*, 1913, t. XVIII, p. 508

Le volume se termine par l'évocation du Congrès Eucharistique de Lourdes, où, à la veille de la grande conflagration, fut acclamée avec tant de religieux enthousiasme la Royauté sociale de Jésus-Christ.

Le *second volume* est consacré aux graves questions de théologie, de droit naturel, de droit international et de politique religieuse que suscitèrent les tragiques événements de la guerre Européenne. Parmi les problèmes de doctrine abordés par l'auteur signalons en particulier : les principes du droit chrétien de la guerre, la vertu providentielle et rédemptrice de la guerre; les garanties présentes et à venir du droit international ; les droits de la neutralité et de l'autorité légitime, tels que les affirma avec une si superbe énergie le Cardinal Mercier dans sa lettre pastorale du 25 décembre 1914.

L'auteur étudie ensuite les graves enseignements de Benoît XV sur la guerre et la paix, sur l'intégrisme et le modernisme, sur la liberté et l'indépendance du Saint-Siège. Plusieurs chapitres de ce volume ont pour but avoué de défendre le Souverain Pontife contre les attaques offensantes et injustes, dont à l'occasion de la guerre, il a été l'objet. L'auteur, comme il le dit dans la *Préface,* met à défendre cette noble et juste cause d'autant plus d'insistance, de cœur, et d'énergie, qu'elle est moins comprise et moins populaire. Il fait valoir avec conviction les les raisons impérieuses qui militaient en faveur de l'attitude gardée par le Saint-Père à l'égard des belligérants, attitude qui n'exclut ni ne méconnut jamais les exigences de la justice et du droit outragé, mais qui s'abstint délibérément, tant que dura le conflit, de juger en détail les griefs mutuels des adversaires ou leurs responsabilités respectives. Le Souverain Pontife évitait ainsi de rompre avec aucun des États belligérants pour pouvoir travailler à restreindre et à adoucir les souffrances causées par la guerre et pour pouvoir exercer, en temps utile, son grand rôle de pacificateur. Le R. P. de la Brière énumère avec une filiale et respectueuse gratitude les interventions nombreuses, délicates et efficaces de la diplomatie de Benoît XV par lesquelles il a su tempérer les horreurs de la lutte mondiale. Il traite enfin en détail du rôle international de Léon XIII, Pie X, Benoît XV et développe les titres exceptionnels de la Papauté à figurer dans le concert des Puissances parmi les garants de la paix et du droit.

Tous les catholiques doivent savoir gré à l'auteur d'avoir traité d'un point de vue aussi élevé et avec autant de compétence ces questions sociales et religieuses dont la gravité et l'actualité n'échapperont à personne.

Ces bons et beaux livres font mieux connaître et aimer d'avantage le droit et la justice, l'Église et la patrie.

A. D. M.

J. L. Demeuran. *Le Droit canon des laïques d'après le nouveau code.* Paris, Téqui, 1919, in-16, XII-251 p. Fr. 5.

Le présent ouvrage ne renferme pas toutes les lois du droit canonique; mais seulement celles qui intéressent directement ou indirectement les laïques. L'auteur a suivi l'ordre du Code. Il a donné naturellement plus d'importance aux lois qui réclament de la part des fidèles une connais- plus étendue et une application plus fréquente. Notamment le livre III — qui a pour objet les sacrements et sacramentaux, les Lieux et Temps sacrés, le Culte divin, le Magistère de l'Église, les écoles, les livres, les biens ecclésiastiques — a reçu à juste titre de plus amples développements. On ne peut que louer l'auteur d'avoir ajouté à l'exposé de la législation ecclésiastique certains règlements de détails propres à en préciser la portée, tels le *Motu proprio* de Pie X sur la démocratie chrétienne en Italie (18 déc. 1903); l'Instruction du même Pape sur la musique sacrée (22 nov. 1903); les ordonnances romaines sur l'usurpation des biens ecclésiastiques. Nous sommes persuadés que, grâce à ce guide, une connaissance exacte du Code canonique donnera satisfaction à la curiosité légitime d'un grand nombre de laïques, fera tomber chez d'autres certains préjugés et montrera à tous la sagesse et la prudence d'une Société Religieuse à laquelle les vrais catholiques doivent être fiers d'appartenir.

Kan. J. Vreuls, *De Kerkelijke wetten van kloostergemeenten met eenvoudige geloften.* Luik, Dessain, 1918, in-8°, VI-93 bl. Fr. 2.75.

Dit voortreffelijk werk verdient gelezen en overwogen te worden door allen wien het aangaat de nieuwe kerkelijke wet over de kloostergemeenten met eenvoudige geloften te kennen, te onderhouden en te doen naleven. Oversten, rectors, biechtvaders der religieuzen, en zelfs de priesters in het algemeen, zullen er in vinden eenvoudig, duidelijk en nauwkeurig voorgelegd al wat noodig gekend is voor het inwendig en uitwendig beheer der kloosterlingen. Kan. Vreuls, visitator der kloosters in het bisdom Luik, heeft niet enkel de voorschriften van het nieuw kerkelijk wetboek naar de leer der beste canonisten op bondige en grondige wijze verklaard, maar hij heeft erbij gevoegd een aantal wijze raadgevingen en praktische wenken, gesteund op zijn lange ervaring van het kloosterlijk leven.

De fransche uitgave van onderhavig werk is in herdruk.

A. D. M.

Cotel, S.-J. *Catéchisme des vœux*. Nouvelle édition par le R. P. JAMBARD, S. J. Bruxelles, Dewit, 1919, in-16, 120 p. Fr. 2.

Nouvelle édition de cet excellent opuscule mis en harmonie avec le nouveau code de droit canon. Exposé clair et exact de la doctrine canonique et théologique sur les obligations de la profession religieuse.

Collationes Brugenses

LITTERAE ENCYCLICAE

DE PRAEDICATIONE DIVINI VERBI

AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES.

BENEDICTUS PP. XV.

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Humani generis Redemptionem Iesus Christus in ara Crucis moriendo cum consummasset, velletque adducere homines ut, suis praeceptis obtemperando, compotes fierent aeternae vitae, non alia usus est via quam suorum voce praeconum qui, quae ad salutem credenda faciendaque essent, hominum universitati denuntiarent. *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes*[1]. Elegit igitur Apostolos, quibus cum per Spiritum Sanctum dona infudisset tanto muneri consentanea, *Euntes*, inquit, *in mundum universum praedicate Evangelium*[2]. Quae quidem praedicatio faciem orbis terrae renovavit. Nam, si Fides christiana mentes hominum a multiplici errore ad veritatem, animosque a sordibus vitiorum ad omnium virtutum excellentiam convertit, profecto ipsius praedicationis ope convertit: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*[3]. Quapropter, quoniam, Dei nutu, iisdem causis quibus procreatae sunt, res conservantur, patet praedicationem christianae sapientiae ad continuandum aeternae salutis opus divinitus adhiberi; et eam in maximis gravissimisque rebus

Praedicatione mundus conversus est ad fidem;

praedicatione incumbendum ut servetur fides,

1. 1 Cor., 1, 21.
2. Marc., 16, 15.
3. Rom., 10, 17.

iure numerari: in quam propterea curae cogitationesque a Nobis praecipuae conferendae sunt, maxime si aliqua ex parte, a nativa integritate, cum suae efficacitatis detrimento, deficere videatur.

maxime hodie, quum haec decrescat,

Id enimvero est, venerabiles Fratres, quod ad ceteras miserias horum temporum quibus Nos ante alios sollicitamur, accedit. Etenim, si circumspiciamus quam multi sint qui verbo Dei praedicando dant operam, tanta occurret copia, quanta fortasse numquam fuit antea. Si autem consideremus, quo loco sint publice ac privatim mores atque instituta populorum, crescit in dies vulgo rerum quae supra naturam sunt, despicientia et oblivio; sensim a christianae virtutis severitate disceditur, maioresque ad probrosam ethnicorum vitam quotidie regressus fiunt.

vitio ministrorum verbi.

Horum quidem malorum variae sunt multiplicesque causae: nemo tamen negaverit deplorandum esse quod eis malis a ministris verbi non satis afferatur medicinae. Numquid sermo Dei talis esse desiit, qualis ab Apostolo dicebatur, vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti? Num gladii huius aciem usus diuturnitas hebetavit? Vitio certe tribuendum est ministrorum qui non tractant, quemadmodum oportet, hunc gladium, si is non omnibus locis vim suam exerceat. Neque enim dici potest melioribus, quam nos, temporibus Apostolos usos esse, quasi tum aut plus esset docilitatis ad Evangelium aut minus contra divinam legem contumaciae.

Nobis incumbit quaedum statuere circa tria.

Omnino igitur, quod Nos apostolici officii conscientia admonet duorumque proximorum Decessorum exemplum hortatur, huc summo studio, pro rei gravitate, incumbendum Nobis esse intelligimus, ut praedicationem divini verbi ad eam normam, ad quam Christi Domini iussu Ecclesiaeque statutis dirigenda est ubique revocemus.

Principio, venerabiles Fratres, quaeramus oportet, quas ob causas in hoc genere de via declinetur. Iam istae causae ad tres redire videntur: aut is ad praedicandum assumitur qui non debet; aut id muneris non eo exercetur consilio quo debet; aut non eo modo quo oportet.

1) *Praedicator* officio fungitur episcopali.

Etenim praedicationis munus, ex Tridentinae Synodi doctrina, *Episcoporum praecipuum est* [1]. Apostoli quidem, quorum in locum successere Episcopi, hoc maxime suarum partium

1. Sess. XXIV De Ref., c. IV.

esse duxerunt. Ita Paulus: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare* [1]. Ceterorum autem Apostolorum ea fuit sententia: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis* [2]. Etsi autem proprium id est Episcoporum, tamen, quoniam variis distenti curis in suarum gubernatione ecclesiarum, nec semper nec usque quaque ipsi per se possunt, necesse est etiam per alios huic officio satisfaciant. Quare in hoc munere quicumque praeter Episcopos versantur, dubitandum non est quin, episcopali fungentes officio, versentur. — Haec igitur prima lex sanciatur, ut munus praedicationis sua sponte suscipere liceat nemini; sed ad illud exsequendum cuivis opus sit missione legitima, quae, nisi ab Episcopo, dari non potest: *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?* [3]. Missi sunt enim Apostoli et ab Eo missi qui summus est Pastor et Episcopus animarum nostrarum [4]; missi septuaginta duo illi discipuli; ipseque Paulus, quamvis constitutus iam a Christo vas electionis ut nomen eius coram gentibus et regibus portaret [5], tum demum iniit apostolatum quum seniores, Spiritus Sancti mandato *Segregate mihi Saulum in opus* Evangelii [6], obtemperantes, eum cum impositione manuum dimisissent. Id quod primis Ecclesiae temporibus perpetuo usitatum est. Omnes enim, vel qui in sacerdotum ordine eminebant, ut Origenes, et qui postea ad episcopatum evecti sunt, ut Cyrillus Hierosolymitanus, ut Ioannes Chrysostomus, ut Augustinus ceterique Doctores Ecclesiae veteres, sese ex sui quisque Episcopi auctoritate ad praedicandum contulerunt.

Ergo legitime ab Episcopo mitti debet.

Nunc vero, venerabiles Fratres, longe aliud venisse in consuetudinem videtur. E sacris oratoribus non ita pauci sunt in quos apte cadere illud dixeris quod queritur Dominus apud Ieremiam: *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant* [7]. Nam cuicumque vel ex ingenii indole vel aliis quibusvis de causis *ministerium verbi* suscipere libuerit, facile ei patet aditus ad suggesta templorum, tamquam ad palaestram in qua quivis suo arbitratu sese exerceat. Itaque ut iam de medio tollatur tanta perversitas, vestrum est, venerabiles Fratres, providere; et

non seipsum in hoc munus ingerere.

1. 1 Cor., 1, 17.
2. Act., 6. 2.
3. Rom., 10, 15.
4. 1 Petr., 2, 25.
5. Act., 9, 15.
6. Act., 13, 2.
7. Ierem., 23, 21.

quoniam de pabulo vestris gregibus praebito reddenda Deo Ecclesiaeque a vobis ratio est, ne sinite ut quis, iniussu vestro, in ovile se inferat, et oves Christi ad suum arbitrium pascat. Nemo igitur in dioecesibus vestris, nisi vocatus probatusque a vobis, iam nunc sacras conciones habeat.

Episcopi nonnisi idoneos eligant

Hic vero summa cum vigilantia attendatis volumus quibus munus tam sanctum demandetis. Qua in re Episcopis hoc tantum, Concilii Tridentini decreto, permittitur ut *idoneos* eligant, id est qui possint *officium praedicationis salubriter exsequi. Salubriter,* dictum est - notate verbum quo rei continetur normanon *eloquenter*, non *cum plausu audientium,* verum cum animarum fructu, ad quem, tamquam finem, divini verbi administratio pertinet. — Quod si pressius definiri a Nobis cupitis quos reapse habeatis idoneos, eos dicimus in quibus divinae vocationis argumenta reperietis. Nam quod requiritur ut quis ad sacerdotium admittatur: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo* [1], idem opus est ut quis ad praedicandum habilis aptusque iudicetur. Quae quidem vocatio haud difficile deprehenditur. Christus enim, Dominus et Magister Noster, cum in eo esset ut in caelum adscenderet, nequaquam dixit Apostolis ut illico, diversi abeuntes, praedicare inciperent: *Sedete*, inquit, *in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* [2]. Hoc igitur erit indicio quempiam divinitus ad id muneris vocari, si is virtute ex alto sit indutus. Quod cuiusmodi sit, licet ex iis colligere, venerabiles Fratres, quae in Apostolis, statim ut virtutem desuper acceperint, scimus evenisse. Ubi enim in eos Spiritus Sanctus descendit - ne mirifica, quibus aucti sunt, charismata attingamus - ex rudibus infirmisque hominibus docti perfectique evaserunt. Sit igitur sacerdos quispiam congruenti tum scientia tum virtute praeditus - modo ei dona naturae suppetant quae necessaria sunt ne tentetur Deus - recte ad praedicationem vocatus videbitur, neque erit cur ab Episcopo ad hoc munus non possit assumi. Quod ipsum vult Tridentina Synodus, cum edicit, ne quos Episcopus praedicare sinat qui non *sint moribus et doctrina probati* [3]. Itaque Episcopi est eos, quibus praedicandi munus deferre cogitat, diu multumque experiri ut quae quantaque sit eorum et doctrinae copia et vitae sanctimonia cognoscat. Qui si remisse negligenterque se gesserit, is profecto in re gravissima deliquerit, et in eius caput

qui vocati a Deo ad sacerdotium

sint scientia et virtute praediti.

1. Hebr., 5, 4.
2. Luc., 24, 49.
3. Loc. cit.

culpa recidet vel errorum quos imperitus praedicator fuderit, vel offensionis malique exempli quod improbus dederit.

Quo autem faciliores in hoc vestras, venerabiles Fratres, reddamus partes, volumus ut qui praedicandi potestatem petunt, non secus ac qui confessiones peccatorum excipiendi, de eorum moribus et eruditione posthac duplex severumque fiat iudicium. Quisquis igitur in alterutro mancus et claudicans repertus sit, nullo rei cuiusquam respectu, repellatur ab eiusmodi munere cui non esse eum idoneum constiterit Postulat id vestra ipsorum dignitas, quorum vices a praedicatoribus geruntur, ut diximus; flagitat Ecclesiae sanctae utilitas, quandoquidem *sal terrae* et *lux mundi* esse [1], si quis alius, is debet qui in verbi ministerio versatur.

His probe consideratis rebus, ultra progredi ad explicandum quem sacrae praedicationis et finem et modum esse oporteat, supervacaneum potest videri. Nam si ad eam, quam memoravimus, regulam sacrorum oratorum delectus exigatur, quid est dubii quin, congruis ornati virtutibus, dignam in praedicando et causam sibi proponant et rationem teneant? Sed tamen prodest haec duo illustrare capita, ut eo melius appareat, quare interdum boni praedicatoris forma in nonnullis desideretur.

2) *Intendere* debent

Quid praedicatoribus debeat in suscepto munere exsequendo esse propositum, licet intelligere ex eo quod ii possunt ac debent de se idem, quod Paulus, affirmare: *Pro Christo legatione fungimur* [2]. Si autem legati sunt Christi, illud ipsum velle debent in legatione peragenda quod Christus voluit in danda; immo quod ipse, dum vixit in terris, sibi proposuit. Neque enim Apostoli, et praedicatores post Apostolos, alio missi sunt atque Christus: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* [3]. Scimus autem cuius rei gratia Christus de caelo descenderit: aperte enim declaravit *Ego ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati* [4], *Ego veni, ut vitam habeant* [5].

quod Christus ipse sibi proposuit:

ut supernaturalem veritatem doceant et vitam alant.

Utrumque igitur persequantur oportet qui sacrae praedicationi dant operam, id est, ut traditae a Deo veritatis diffundant lumen et ut in iis qui audiunt, supernaturalem excitent alantque vitam; brevi, ut animarum quaerendo salutem, Dei pro-

1. Matth., 5, 13, 14.
2. 2 Cor., 5, 20.
3. Ioan., 20, 21.
4. Ibid., 18, 37.
5. Ibid., 10, 10.

moveant gloriam. Quare, sicut perperam appelletur medicus, qui medicinam non faciat, vel alicuius artis doctor qui eam non doceat artem, sic qui praedicando non curat ad pleniorem Dei cognitionem et ad aeternae salutis viam homines adducere, eum declamatorem vaniloquum appellari licet, praedicatorem evangelicum, non licet. Atque utinam huiusmodi declamatores nulli sint! — Quid vero est quo ducuntur maxime? Alii quidem inanis gloriae cupiditate: cui scilicet ut satisfaciant: " Student „ magis alta quam apta dicere, facientes apud infirmas intelli- „ gentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. „ Erubescunt humilia et plana dicere, ne sola haec scisse „ videantur... Erubescunt lactare parvulos „ [1]. Cumque Iesus Dominus ex humilitate auditorum ostenderet se eum esse qui exspectabatur: *Pauperes evangelizantur* [2], quid non moliuntur isti, ut ex urbium celebritate atque ex primariorum dignitate templorum commendationem suis sermonibus acquirant? Quoniam autem in rebus a Deo revelatis quaedam sunt quibus corruptae humanae naturae perterreatur infirmitas, quaeque ob eam causam accommodatae non sunt ad evocandam multitudinem, ab iis caute se abstinent eaque tractant in quibus, si loci rationem excipias, nihil est sacrum. Ac non raro contingit ut in media pertractatione rerum aeternarum labantur ad politica, praesertim si quid eius generis animos audientium vehementer teneat occupatos. Omnino unum hoc iis esse studium videtur, placere audientibus eisque morem gerere quos Paulus *prurientes auribus* [3] dicit. Hinc ille gestus non sedatus et gravis, sed qualis in scaena aut in concione populari solet agi; hinc illae vocis vel remissiones molliores, vel contentiones tragicae; hinc illud orationis genus proprium ephemeridum; hinc sententiarum illa copia ab impiorum et acatholicorum petita scriptis, non a divinis Litteris, non a Sanctis Patribus; hinc denique illa et, quae ab eorum plerisque usurpatur volubilitas tanta verborum, qua obtundant quidem aures et admirationem moveant audientibus, sed nihil his boni afferant quod domum reportent. Iam vero mirum quantum praedicatores isti opinione falluntur. Habeant licet quem tanto cum labore nec sine sacrilegio petunt plausum imperitorum; num pretium est operae, quando simul subeunda eis est prudentium omnium

Ne ducantur praedicatores inanis gloriae cupidine

1. Gillebertus Ab., In Cant. Canticor. Serm. XXVII, 2.
2. Matth., 11, 5.
3. 2 Tim., 4, 3.

vituperatio et, quod est maius, formidandum Christi severissimum iudicium?

Quamquam, venerabiles Fratres, unice plausus quaerere praedicando non omnium est qui a regula normaque aberrant. Plerumque huiusmodi significationes qui captant, ideo captant ut eas ad aliud assequendum dirigant vel minus honestum. Nam, oblivioni dantes illud Gregorii: "Non praedicat sacerdos ut comedat, sed ideo ut praedicet, manducare debet" [1] haud ita rari sunt qui, cum ad alia munera, quibus decenter alerentur, non se factos esse intelligerent ad praedicationem se contulerunt, non ministerii sanctissimi rite exercendi, verum quaestus faciendi causa. Videmus igitur curas omnes istorum minime conversas esse ad quaerendum ubi maior sperari possit fructus animarum, sed ubi plus conficiatur praedicando lucri. nec questum facere intendant:

Iam vero, cum ab his nihil exspectare liceat Ecclesiae, nisi damnum et dedecus, summopere vobis, venerabiles Fratres, est vigilandum, ut, si quem inveneritis praedicatione ad suam gloriam vel ad quaestum abuti, eum sine cunctatione amoveatis ab officio praedicandi. Nam qui rem tam sanctam polluere non veretur tanta perversitate propositi, non sane dubitabit ad omnes indignitates descendere, ignominiae labem aspergens non sibi tantum, sed ipsi etiam sacro muneri, quod tam prave administrat. qui haec intendunt amovendi sunt.

Eadem autem erit adhibenda severitas in eos qui quo decet modo non praedicent, propterea quod ea neglexerint, quae ad recte hoc ministerium obeundum necessario requiruntur. Haec vero quae sint, docet exemplo suo is qui ab Ecclesia cognominatus est *Praedicator veritatis*, Paulus Apostolus: cuius similes praedicatores utinam, Dei miserentis beneficie, multo plures habeamus. 3) Quoad *modum praedicandi*, imitentur exemplum Pauli.

Primum igitur quod discimus a Paulo hoc est, quam bene paratus et instructus ad praedicandum venerit. Neque vero hic loquimur de doctrinae studiis in quibus, Gamaliele magistro, diligenter versatus erat. Scientia enim in eo *per revelationem* infusa, obscurabat ac paene obruebat eam quam ipse sibi comparaverat: quamquam hanc quoque non parum ei profuisse ex eius Epistolis apparet. Prorsus necessaria est praedicatori scientia, ut diximus, cuius quidem luce qui caret, facile labitur, ex Concilii Lateranensis IV verissima sententia: "Ignorantia Sint instructi

a) scientia sancta

1. In I Regum, lib. III.

est mater cunctorum errorum „. Non tamen de qualibet rerum scientia volumus intelligi, sed de ea scilicet quae propria est sacerdotis, quaeque, ut in pauca conferamus rem, cognitione sui, Dei, et officiorum continetur : sui, inquimus, ut suas quisque utilitates omittat; Dei, ut omnes ad eum et cognoscendum et diligendum adducat; officiorum, ut ea servet et servari praecipiat. Ceterarum rerum scientia, ista si desit, *inflat* nec quicquam prodest.

b) animi virtutibus :

Illud potius videamus, qualis in Apostolo praeparatio fuerit animi. Qua quidem in re tria sunt maxime consideranda. Primum ut se totum Paulus divinae voluntati dediderit. Vixdum enim, cum iter faceret Damascum, Iesu Domini virtute tactus est, edidit illam Apostolo dignam vocem: *Domine, quid me vis facere?*[1]. Nam promiscua illi statim coeperunt esse pro Christo, sicut perpetuo fuerunt postea, laborare et quiescere, egere et abundare, laudari et contemni, vivere et mori. Non est dubium quin ideo in apostolatu tantum profecerit, quod se Dei voluntati pleno cum obsequio permisit. Quare similiter ante omnia obsequatur Deo quisquis praedicator ad salutem animarum nititur; ut nihil quidquam sit sollicitus quos auditores, quem successum, quos fructus habiturus sit: denique ut Deum dumtaxat, non se respiciat.

toti sint dediti Dei voluntati,

sint ad patiendum parati,

Hoc autem tantum Deo obsequendi studium animum postulat adeo comparatum ad patiendum, ut nullum fugiat laboris molestiaeque genus. Quod alterum in Paulo fuit insigne. Nam, cum de eo dixisset Dominus: *Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati*[2], ipse deinde aerumnas omnes tanta cum voluntate complexus est ut scriberet: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra*[3]. Iam vero haec laboris tolerantia in praedicatore si emineat, cum quicquid humani in eo sit, abstergeat, ac Dei gratiam ei ad fructum ferendum conciliet, tum incredibile est quam eius operam christiano populo commendet. Contra, parum ad permovendos animos ii possunt, qui quocumque venerint, ibi commoditates vitae plus aequo consectantur, ac dum suas conciones habeant, nihil aliud fere attingunt ministerii sacri, ut appareat plus eos propriae servire valetudini, quam animarum utilitati.

habeant spiritum orationis

Tertio denique loco *spiritum orationis* qui dicitur, necessarium praedicatori esse intelligimus ex Apostolo; qui ut primum

1. Act., 9, 6.
2. Ibid., 9, 16.
3. 2 Cor., 7, 4.

vocatus est ad apostolatum, Deo supplex esse institut: *Ecce enim orat*[1]. Etenim non copiose dicendo nec subtiliter disserendo aut vehementer perorando salus quaeritur animarum: qui hic consistat praedicator nihil est nisi *aes sonans aut cymbalum tinniens*[2]. Id quo fit ut vigeant humana verba mirificeque valeant ad salutem, divina est gratia: *Deus incrementum dedit*[3]. Dei autem gratia non studio et arte comparatur, sed precibus impetratur. Quare qui parum aut nihil orationi est deditus, frustra in praedicatione operam curamque consumit, cum coram Deo nec sibi nec audientibus quicquam proficiat.

Itaque, paucis concludentes quae hactenus diximus, his Petri Damiani verbis utamur: " Praedicatori duo sunt permaxime " necessaria, videlicet ut sententiis doctrinae spiritualis exu- " beret, et religiosae vitae splendore coruscet. Quod si sacer- " dos quispiam ad utrumque non sufficit, ut et vita clarus et " doctrinae facultate sit profluus; melior est vita procul dubio " quam doctrina... Plus valet vitae claritas ad exemplum, quam " eloquentia vel urbanitas accurata sermonum... Necesse est ut " sacerdos, qui praedicationis officio fungitur, et doctrinae spiri- " tualis imbribus pluat, et religiosae vitae radiis splendeat: " instar illius Angeli, qui natum Dominum pastoribus nun- " tians, et splendore claritatis emicuit, et quod evangelizare " venerat, verbis expressit „ [4].

Sed, ut ad Paulum redeamus, si quaerimus quibus de rebus consuevisset praedicando agere, ipse sic omnia complectitur: *Non enim iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum et hunc crucifixum*[5]. Efficere ut Iesum Christum homines magis magisque cognoscerent et quidem cognitione quae ad vivendum, non modo ad credendum, pertineret, hoc est quod omni apostolici pectoris contentione laboravit. Itaque Christi dogmata et praecepta omnia vel severiora sic tradebat ut nihil nec reticeret nec molliret, de humilitate, de abnegatione sui, de castitate, de rerum humanarum contemptu, de obedientia, de venia inimicis danda, de similibus. Nec vero timide illa denuntiabat: inter Deum et Belial eligendum esse cui serviatur, utrique non posse; omnes, ut e vivis excesserint, tremendum manere iudicium; cum Deo non licere transigi; aut vitam

Quoad materiam, Paulus praedicabat Christum crucifixum:

tradebat Christi dogmata et praecepta omnia.

1. Act., 9, 11.
2. 1 Cor., 13, 1.
3. Ibid., 3, 6.
4. Epp. lib. I, Ep. I ad Cinthium Urbis Praef.
5. I Cor., 2, 2.

aeternam sperandam, si universae obtemperetur legi, aut, si cupiditatibus indulgendo deseratur officium, ignem aeternum esse exspectandum. Neque enim *Praedicator veritatis* unquam putavit abstinendum ab huiusmodi argumentis propterea quia, ob corruptionem temporum, nimis dura viderentur iis, ad quos loquebatur. — Apparet igitur quam non probandi sint ii praedicatores, qui quaedam christianae doctrinae capita, ne fastidio sint audientibus, non audent attingere. Num medicus quisquam inutilia remedia dabit aegrotanti, quia is ab utilibus abhorreat? Ceterum inde probabitur oratoris virtus et facultas, si, quae ingrata sunt, ea grata dicendo reddiderit.

non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis,

Quae autem tractanda susceperat, quo modo Apostolus explicabat? *Non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis* [1]. Quanti refert, venerabiles Fratres, hoc omnibus esse exploratissimum, cum videmus non paucos e sacris concionatoribus ita dicere ut Scripturas Sanctas, Patres Doctoresque Ecclesiae, theologiae sacrae argumenta praetermittant; nihil fere nisi rationem loquantur. Perperam profecto neque enim in ordine supernaturali humanis tantum adminiculis quidquam proficitur. — At illud opponitur: praedicatori qui quae divinitus revelata sunt, urgeat, non haberi fidem. — Itane vero? Sit sane apud acatholicos: quamquam cum Graeci sapientiam, nimirum huius saeculi, quaererent, Apostolus tamen eis Christum crucifixum praedicabat [2]. Quod si oculos convertamus ad gentes catholicas, in his ii qui alieni sunt a nobis, fere Fidei radicem retinent: mentem enim obcaecantur eo quod animi corrumpuntur.

ut Christo placeret.

Postremo qua mente praedicabat Paulus? Non ut hominibus, sed ut Christo placeret: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem* [3]. Cum animum gereret incensum caritate Christi, nihil quaerebat praeter Christi gloriam. O utinam qui in verbi ministerio elaborant, omnes vere Iesum Christum diligant; utinam possint illa usurpare Pauli: *Propter quem* (Iesum Christum) *omnia detrimentum feci* [4]; et *Mihi vivere Christus est* [5]. Tantum qui amore ardent, ceteros inflammare sciunt. Quare S. Bernardus ita praedicatorem admonet: "Si sapis, concham te exhibebis et non canalem" [6]; hoc est: quod

1. Ibid., 2, 4.
2. 1 Cor., 1, 22, 23.
3. Gal., 1, 10.
4. Philip., 3. 8.
5. Ibid., 1, 21.
6. In Cant. serm. 18.

dicis, eo plenus ipse esto, et ne satis habeas in alios transfundere. “ Verum, ut idem Doctor addit, canales hodie in Ecclesia multos habemus, conchas vero perpaucas ! „ [1].

Hoc ne eveniat in posterum, vobis omni ope atque opera enitendum est, venerabiles Fratres: quorum est et indignos repellendo, et idoneos eligendo, conformando, moderando, efficere ut praedicatores, qui sint secundum Dei cor, iam plurimi exsistant. — Respiciat autem misericors gregem suum Pastor aeternus, Iesus Christus, Virgine Sanctissima quidem, ut Matre augusta ipsius Verbi incarnati et Regina Apostolorum, deprecante; ac spiritum apostolatus in Clero refovens, plurimos esse iubeat qui studeant “ seipsos probabiles exhibere Deo, operarios inconfusibiles, recte tractantes verbum veritatis „ [2].

Curent Episcopi ut habeamus praedicatores secundum cor Dei.

Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae vobis, venerabiles Fratres, vestroque Clero ac populo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die xv iunii, in festo Sacratissimi Cordis Iesu, anno MCMXVII, Pontificatus Nostri tertio.

1. Ibid.
2. Tim., 2, 15.

EX S. CONGREG. CONSISTORIALI

NORMAE PRO SACRA PRAEDICATIONE

Ut quae Beatissimus Pater nuper in Encyclicis Litteris *Humani generis redemptionem* de sacra praedicatione docuit ac praestituit ad praxim facilius deducantur, Eminentissimi Patres S. C. Consistoriali praepositi, ipso Summo Pontifice plene adprobante, sequentes sancivere normas, quibus Rmi locorum Ordinarii uti debeant ut tuto in re tam gravi procedant easque eadem Sanctitas Sua statim exsecutioni mandandas praecipit, quo scilicet quod Apostolus nominat *ministerium verbi* eos afferat fructus in tuitionem ac propagationem fidei christianaeque vitae custodiam, quales et divinus Magister Christus intendit et catholica Ecclesia sibi iure promittit.

Caput I.

A quibus et qua ratione praedicatores Verbi Dei sint eligendi.

1. Rmi locorum Ordinarii illud ante omnia semper prae oculis habeant, quod Sacra Tridentina Synodus, anteriores praescriptiones innovans ac perstringens, cap. IV, sess. 24, *De Reform.*, sancit; ubi, postquam monuit *praedicationis munus Episcoporum praecipuum* esse, sic sequitur: *Mandat* (S. Synodus *ut in Ecclesia sua ipsi* (Episcopi) *per se, aut, si legitime impediti fuerint, per eos quos ad praedicationis officium assument; in aliis autem Ecclesiis per parochos, sive, iis impeditis, per alios ab Episcopis (impensis eorum qui eas praetare aut tenentur vel solent) deputandos, in civitate aut in quacumque parte dioecesis censebunt expedire, saltem dominicis et solemnioribus diebus festis sacras Scripturas divinamque legem annuntient Nullus autem saecularis sive regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat.*

Quod plane in novo ecclesiastico Codice confirmatur can. 1327, 1328 et 1337.

2. Cum igitur ad Episcopum loci Ordinarium praedicandi munus praecipue spectet, cumque ad eumdem pertineat *assumere* ac *deputare* qui ipsum substituant proque ipso

suppleant in hoc gravissimo ministerio, etiam specifice in casu quo praedicationis impensae, aut ex iure aut ex consuetudine, ab aliis sint persolvendae; nullus nec valide nec licite eligere aut advocare concionatorem quempiam etiam pro ecclesia propria; nullusque de clero sive saeculari sive regulari, huiusmodi inventionem licite acceptare poterit, nisi intra limites ac modos in sequentibus articulis statutos.

3. Parochi, vi missionis habitae in eorum electione, sicut ad confessiones excipiendas habilitantur, ita etiam facultate concionandi gaudent, salva quidem lege residentiae salvisque conditionibus ceteris, quas Ordinarius necessario vel utiliter apponendas censuerit. Idem de Canonico Theologo dicendum quoad lectiones Scripturae sacrae.

4. In reliquis casibus universis, ad praedicandum populo fidelium in publicis templis vel oratoriis, etiam regularium, et a sacerdotibus etiam regularibus, necesse est ut facultas obtineatur ab Ordinario dioecesis.

5. Huiusmodi facultas, ad normam, eorum quae in Codice praescribuntur can. 1341, § 1 et 2, petenda est:

a) a prima Capituli dignitate, audito tamen Capitulo, pro praedicationibus, quae ex lege vel voluntate Capituli fiant in ecclesia propria;

b) a Superiore regulari, servatis respectivi Ordinis vel Congregationis regulis, pro ecclesiis religionum clericalium;

c) a parocho pro ecclesia parochiali aliisque ecclesiis ab ea dependentibus;

d) et si agatur de parocho ecclesiae spectantis ad Capitulum vel ad Ordinem religiosum, ab eodem parocho pro concionibus quae ab ipso pendent, secluso Capituli vel religionis interventu;

e) a sacerdote primicerio vel capellano confraternitatis cuiuslibet pro ecclesia propria;

f) a sacerdote ecclesiae rectore, quique sacras ibidem functiones de iure peragit, pro omnibus ecclesiis aliarum corporationum moralium non clericalium, aut religionum laicalium, monialium, privatorum.

6. Ad tramitem decisionum S. C. Concilii in *Sutrina*, 8 maii 1688, et in *Ripana*, 21 maii 1707, qui praedictam facultatem postulat, debet tantum concionatoris nomen proponere, idque subordinate ad beneplacitum Ordinarii, qui solus uti potest verbis *eligimus et deputamus ad postulationem* N. N., etc.

7. Postulatio ad obtinendum concionatorem aliquem facienda est tempore utili et opportuno, ut Ordinarius commode queat

informationes necessarias de eiusdem persona habere (Codic., can. 1341, § 2); hoc autem tempus, generatim loquendo, haud erit inferius duobus mensibus, uti iam statuit S. C. Concilii in *Theanen.*, 19 aprilis 1728 et 30 aprilis 1729; salva tamen Episcopis facultate tempus aliud statuendi etiam brevius pro genere et gravitate praedicationis et pro qualitate concionatoris, dioecesani vel extradioecesani.

8. Quicumque, obligatione petendi facultatem posthabita, sacerdotem quempiam ad concionandum invitaverit; itemque sacerdos quilibet, qui tali modo invitatus scienter acceptarit et concionatus fuerit, puniendi sunt ab Ordinario poenis eius arbitrio statuendis, non exclusa suspensione a divinis.

9. Facultas praedicandi, quando agitur de concionatore extradioecesano, scripto tribuenda erit, designato etiam loco et genere praedicationis, pro quibus concessa fuerit.

10. Ordinarii, *onerata graviter eorum conscientia*, facultatem concionandi nemini concedent, nisi prius ipsis constiterit de illius pietate, scientia et idoneitate, secundum praescriptiones quae sequenti capite tradentur: si vero agitur de sacerdotibus extradioecesanis vel de religiosis cuiuscumque Ordinis, nisi prius respectivum Ordinarium et Superiorem interpellaverint ac responsionem favorabilem habuerint.

11. Ordinarius et Superior regularis, qui ab alio Ordinario de informationibus interrogati fuerint circa pietatem, scientiam atque idoneitatem ad praedicandum cuiuspiam eorum subditi, tenentur *sub gravi* eas pro veritate tradere, secundum scientiam et conscientiam prout in can. 1341, § 1, novi Codicis praescribitur. Ordinarius vero qui illas recipit, tenetur eisdem se conformare, secretum de acceptis notitiis absolute servando.

12. Ordinarius qui, ob informationes ut supra acceptas aut aliam ob caussam, censuerit in Domino concionandi facultatem alicui denegare, sufficit ut idipsum petenti facultatem significet quin aliud addat, *soli Deo rationem de sua sententia redditurus*.

Caput II.

Quo pacto constare debeat de idoneitate concionatoria

13. Generatim loquendo, sicut ad tribuendam sacerdoti cuivis facultatem pro ministerio excipiendi fidelium confessiones Ordinarii arctissime obligantur certitudinem acquirere de eius idoneitate et culpa se innexos reputarent si ad tantum munus admitterent qui moribus foret indignus, vel scientiae

debitae defectu incapax; ita et non aliter iidem Ordinarii debent se gerere, antequam aliquem assumant et destinent ad ministerium verbi.

14. Medium ordinarium ad dignoscendam cuiuspiam idoneitatem ad praedicationis officium, praesertim quoad scientiam et quoad actionem, est examen a candidato voce et scripto subeundum coram tribus examinatoribus, qui arbitrio Ordinarii possunt seligi vel inter examinatores synodales vel etiam inter sacerdotes extradioecesanos, aut etiam e clero regulari.

Cognita autem idoneitate quoad scientiam et actionem, vel etiam in antecessum, haud minori studio, imo etiam maiori, inquiret Ordinarius num idem candidatus pietate, honestate morum et publica aestimatione dignus sit qui verbum Dei evangelizet.

15. Pro huiusmodi duplicis examinis exitu, poterit Ordinarius candidatum declarare idoneum aut generatim aut pro aliqua solummodo praedicationis specie, ad tempus vel ad experimentum et certis sub conditionibus, aut absolute et non in perpetuum, dando illi *pagellam* praedicationis, ea omnino ratione qua datur pro confessionibus, vel ei facultatem praedicandi simpliçiter denegando.

16. Non prohibentur tamen Ordinarii, in casibus particularibus et per exceptionem, quominus aliquem ad praedicandum, sine praevio examine de quo supra, admittant, dummodo aliis certis argumentis de eius idoneitate constet.

17. Vetitum tamen absolute esto *diplomata*, ut aiunt *praedicationis* subditis etiam propriis impertiri, vel subditis etiam propriis sed honoris titulo aut in aestimationis signum.

18. Servata, pro regularibus et religiosis exemptis, eorum Ordinariis facultate deputandi subditos, quos secundum regulas et constitutiones Ordinis noverint dignos et idoneos, conformiter tamen semper ad praescriptiones Codicis, can. 1338, ad praedicandum intra septa domus religiosae vel monasterii; si tamen destinare aliquem voluerint ad conciones habendas in publicis ecclesiis, *non exclusis Ordinis propriis*, tenentur illum coram dioecesano loco Ordinario sistere ad examen subeundum iuxta superius disposita articulis 13, 14, 15.

Caput III.

Quid in sacra praedicatione servandam sit vel vitandum

19. Quoniam *sancta sancte tractanda sunt*, nemo praedica-

tionem suscipiat quin digne ac proxime se praeparaverit studio simul et oratione.

20. Argumenta concionum sint essentialiter sacra (Cod. can. 1347). Quod si concionator alia argumenta tractare voluerit non stricte sacra, semper tamen domui Dei convenientia, facultatem a loci Ordinario petere et obtinere debebit; qui quidem Ordinarius eam numquam concedet nisi re mature considerata eiusque necessitate perspecta. Concionatoribus tamen omnibus de re politica in ecclesiis agere omnino et absolute sit vetitum.

21. Elogia funebria nemini recitare fas esto nisi praevio et explicito consensu Ordinarii, qui quidem, antequam consensum praebeat, poterit etiam exigere ut sibi manuscriptum exhibeatur.

22. Concionator prae oculis semper habeat et in praxim deducat quae S. Hieronymus Nepotiano commendabat: *Divinas Scripturas saepius lege: imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur... Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit.* Studio autem Scripturarum sacrarum iungatur studium Patrum ac Doctorum Ecclesiae.

23. Citationes ac testimonia scriptorum aut auctorum prophanorum sobrietate summa adhibeantur, multoque magis dicta haereticorum, apostatarum et infidelium: nunquam vero personarum viventium auctoritates proferantur. Fides et christiana morum honestas non his egent adsertoribus ac defensoribus.

24. Concionator ne plausus auditorum aucupetur, sed quaerat unice animarum salutem et commendationem a Deo atque Ecclesiae. *Docente te in ecclesia non clamor populi, sed gemitus suscitetur. Lacrymae auditorum laudes tuae sint* (Hieron. ad Nepotian.).

25. Usus, qui alicubi invaluit, ephemerides vel plagulas typis impressas adhibendi tum ad auditores aucupandos ante praedicationem, tum post praedicationem ad concionatoris meritum extollendum, reprobandus omnino est et damnandus, quovis id praetextu boni fiat. Curent Ordinarii, quantum poterint, ut ne id usuveniat.

26. Quoad actionem in concionando nil melius praescribi potest quam quod S. Hieronymus Nepotianum admonebat: *Nolo te declamatorem et rabulam garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum et sacramentorum Dei eruditissimum. Verba volvere, et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est... Nihil tam facile quam vilem plebeculam et indoctam concionem linguae volubilitate decipere, quae quidquid non intelligit plus miratur.*

27. Quamobrem concionator tam in ratiocinatione quam in linguae usu sese communi auditorum captui accomodet; quod vero actionem ac recitationem, eam observet modestiam et gravitatem, quae illi convenit qui pro Christo legatione fungitur.

28. Caveat item semper ac diligentissime ne sacram praedicationem in quaestum vertat, quaerendo quae sua sunt, non quae Iesu Christi; ne sit igitur *turpis lucri cupidus* nec vanae gloriolae lenocinio se capi sinat.

Nunquam vero ex animo permittat excidere quod, secundum Evangelii et Apostolorum doctrinam et Sanctorum exempla, idem Hieronymus Nepotiano suggerebat: *Non confundant opera tua sermonem tuum; ne cum in ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo haec quae dicis, ipse non facis? — Delicatus magister est qui, pleno ventre, de ieiuniis loquitur... Sacerdotis os, mens manusque concordent.*

Caput IV.

Cui et quomodo interdicenda praedicatio.

29. Concionatores, qui praescriptiones superiori capite editas negligant, si emendationis spem praebeant et graviter non offenderint, prima alterave vice ab Episcopo moneantur ac reprehendantur.

30. Si vero emendationem neglexerint aut graviter cum fidelium scandalo peccaverint, Episcopus, ad tramitem Codicis, can. 1340, §§ 2 et 3:

a) si agitur de proprio subdito aut de religioso cui praedicandi facultatem ipse dederit, concessam facultatem, nullo hominum respectu, aut ad tempus revocet aut omnino abroget;

b) si autem de sacerdote extradioecesano agatur vel de religioso cui non ipse *pagellam* impertiverit, praedicationem illi in dioecesi sua interdicat simulque de re moneat tam Ordinarium proprium quam eum qui *praedicationis pagellam* eidem concessit; in casibus autem gravioribus ne omittat ad S. Sedem referre;

c) poterit etiam Episcopus, imo et debebit pro diversitate casuum, concionatore graviter peccante, coeptam praedicationem ipsi intercipere.

31. Interdici pariter praedicatione oportet, *saltem ad tempus et pro aliquo loco*, quicumque aut pro sua vivendi ratione aut quavis alia de causa, etsi inculpabiliter, publicam bonam existi-

mationem amiserit, ita ut ministerium suum inutile vel damnosum evaserit.

32. Ordinarii dioecesani commissionem vigilantiae pro praedicatione, unusquisque in sua dioecesi, instituent, quae iisdem sacerdotibus componi poterit ac commissio pro examine candidatorum.

33. Quia vero nec ~~Episcopi nec~~ commissio vigilantiae adesse ubique in dioecesi poterunt; quum agetur de praedicationibus maioris momenti in locis dissitis, Ordinarii exigent his desuper a Vicariis Foraneis vel a parochis informationes peculiares et tutas iuxta normas superius traditas.

Caput V.

De praeparatione remota ad ministerium praedicationis.

34. Ordinarii et Superiores religiosorum stricte obligantur proprios clericos ad sanctam salutaremque praedicationem ab ipsa iuvenili aetate formare studiorum tempore, tum ante tum post susceptum sacerdotium.

35. Curabunt igitur ut dicti clerici, dum sacrae theologiae dant operam, de variis praedicationum generibus doceantur; praeque manibus habeant et gustent exemplaria insignia quae in omni concionum genere Sancti Patres reliquerunt, praeter illa quae in sacris Evangeliis in Actibus et Epistolis Apostolorum ubique accesserunt.

36. Studebunt item Ordinarii ut iuvenes instituantur de actione et pronunciatione in concionibus servandis, ut eam deinde gravitatem, simplicitatem et concinnitatem praeseferant, quae nihil histrionem sapiat, sed verbo Dei conveniat, probetque concionantem pro animi persuasione et ex corde loqui sublimemque spectare finem, qui ministerio suo est praestitutus.

37. Haec dum in seminariis vel studiorum locis peragentur, Superiores scrutabuntur quod genus praedicationis singulorum alumnorum dispositioni magis respondeat, ut deinde ea super re ad Ordinarium referant.

38. Initialem autem institutionem, quam clerici in seminariis vel in studiorum domibus habuerunt, Ordinarii, etiam post sacros Ordines susceptos, perficiendam curabunt.

39. Quamobrem, iuxta informationes de unoquoque habitas, eos facilioribus primum ac humilioribus praedicationibus occu-

pabunt et exercebunt, ut in tradenda pueris christiana catechesi, Evangelio breviter explicando, iisque similibus.

40. Poterunt demum Ordinarii suis clericis praescribere ut, aliquo annorum spatio, examen de praedicatione in curia quotannis subeant tam voce quam scripto, ea quidem methodo quae ipsis magis probabitur, conformiter scilicet ad praescriptiones Codicis pro examinibus annuis a clericis subeundis post sacerdotii susceptionem.

Ex S. C. Consistoriali die 28 iunii, in pervigilio SS. App. Petri et Pauli anno 1917.

† C. Card. De Lai, Ep. Sabinen, *Secretarius.*

L. † S.

† V. Sardi, Archiep. Caesarien., *Adsessor.*

RESPONSA

ad quaestiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

I.

Instaurare omnia in Christo. Eph. I, 10.

Q. *Interpretare Eph. I, 10.*

R. Quaestioni respondemus *primo* exponendo sensum generalem totius hujus pericopae, et *deinde* magis speciatim indagando circa sensum illius momentosi et notissimi dicti Apostoli: *Instaurare omnia in Christo.*

I. **Sensus generalis vv. 9-10** (1).

Occurrunt hi vv. in parte dogmatica ep. ad Eph., et signanter eo loco ubi Apostolus, sub forma gratiarum actionis, eructat suam admirationem pro omnibus benedictionibus spiritualibus a Deo christianis in Christo collatis (2). His vv. celebrat abundantem illam beneficentiam Dei qua nobis eximiam dedit rerum divinarum intelligentiam christianamque prudentiam (v. 8): hanc autem intelligentiam et prudentiam dedit nobis, revelando (3) nobis, christianis, mysterium (4) voluntatis suae beneficae

---

(1) Cfr. Collat. Brug., t. XVI, pp. 398 ss.

(2) Phrasis s. Pauli non ita clara est, nec facile patet quomodo varia ipsius incisa ad invicem cohaereant; quae difficultas major adhuc existit in Vulgata, propter non unum defectum translationis latinae. Cfr. Haupt, Die Gefangenschaftsbriefe (in collect. Meyer), Göttingen, 1902 (pp. 15-18).

(3) Attento textu graeco sic vv. 8-9 vertendi sunt: Deus (subjectum subauditum verbi graeci ἐπερίσσευσε, sensu transitivo: abunde contulit gratiam suam (relativum ἧς quo v. 8 inchoatur ponitur loco τῆς χάριτος αὐτοῦ v. 7, et ponitur in genitivo per attractionem, pro accusativo ἥν) in nos (ita gr. εἰς ἡμᾶς, Vulg. in nobis), dando nobis omnem sapientiam et prudentiam; et hoc fecit revelando nobis... (gr. γνωρίσας, appositio ad subjectum phraseos, Deus: indicat modum quo Deus illam eximiam sapientiam nobis contulit.

(4) Vulg.: Sacramentum, gr.: τὸ μυστηρίον.

erga mundum, arcanam et absconditam voluntatem suam erga mundum (1). — Et successive declaratur hujus arcani decreti divini a) *causa*: Deus illud efformavit (2) in plena libertate et independentia, unice *secundum beneplacitum suum*, quia sic ipsi complacebat; minime ergo propter merita nostra, sed ex mera sua benevolentia; — b) *tempus quo exsecutioni mandaretur:* illam suam benevolentiam (3) Deus ab aeterno sibi constituerat exhibendam εἰς οἰκονομίαν τοῦ πλήρώματος τῶν καιρῶν (4): Deus tunc tandem quando adesset oeconomia mundi in qua completa essent tempora, illud suum decretum exsecutioni mandaret (5); — c) tandem *objectum*: instaurare omnia in Christo, ea quae in caelis sunt et ea quae in terra sunt. — Quae ultima jam speciatim sunt explicanda.

II. **Instaurare omnia in Christo.**

Non una est antiquorum et recentiorum interpretatio hujus dicti, variaeque interpretationes ad tria haec capita reduci possunt (6): 1. Decrevit Deus *instaurare*, restaurare, ad pristinum statum reducere, renovare, reparare omnia in Christo et per Christum (7); — 2. Decrevit Deus *recapitulare* omnia in Christo: recolligere omnia in unam compagem, quasi in unam massam, in qua Christus esset quasi vinculum omnia continens (8): — 3. Decrevit Deus

---

(1) Mysterium in N. T. intelligitur veritas quae sola revelatione hominibus innotescere potest. — Non ideo tamen s. Paulus affirmat hanc veritatem de qua h. l. fuisse nunc, in N. T., prima vice revelatam; sensus potest bene esse: veritas haec, equidem in V. T. jam imperfecte manifestata, nunc in N. T. per praedicationem evangelicam plena luce refulget. Cfr. Rom. III, 21.

(2) Minus bene, ut videtur, alii intelligunt: Deus ex mera sua benevolentia nobis revelavit decretum suum.

(3) Relativum quod in v. 9 resumit beneplacitum, sicut graece ἣν resumit τὴν εὐδοκίαν.

(4) Vulgata ut alibi saepe vertit per in cum ablativo: in dispensatione.

(5) Deus exhibetur qua οἰκοδεσπότης, qua gubernator mundi: ipse est qui varia tempora sibi successura determinat, ipse qui varia regimina, varias οἰκονομίας statuit; ultima erit οἰκονομία messianica: tunc omnia tempora mundi erunt completa, erit tunc plenitudo temporum, ultima epocha mundi.

(6) Cfr. Prat, La théologie de Saint Paul, t. II, pp. 135 s., 153 ss.

(7) Ita Patres latini passim.

(8) Ita moderni multi. — Omittimus duas explicationes quae ad hunc

Christum dare tamquam caput omnibus, sicque omnia ad perfectam unitatem reducere (1). — *Omnia* intelliguntur omnia quibus munus Christi de quo h. l. agitur, applicabile est, nimirum, ad minus, ea quae in caelis sunt, i. e. angeli, et ea quae in terra sunt, i. e. homines (2).

Porro quae dicenda videntur huc reduci possunt.

Primus sensus de universis rebus in Christo *instaurandis* est quidem, si debito modo intelligatur, theologice rectus, apte quoque convenit textui Vulgatae, ast non est sensus hoc loco a s. Paulo intentus: vocabulum enim graecum, quod Vulgata vertit per *instaurare* (3), illum sensum minime importat.

Pro *secundo sensu* arguunt interpretes ex etymo verbi graeci: ἀνακεφαλαιώσασθαι, quod derivatur, non directe a κεφαλή, sed a κεφάλαιον, quod est, ut aiunt, *summa* (potissimum summa pecuniae), *compendium;* inde κεφαλαιόω, vel compositum ἀνακεφαλαιόω idem est quod *ad compendium redigere* (4), *summatim referre, ad unam compagem redigere.*

Pro *tertio* autem *sensu* argui — et simul argumento secundae sententiae responderi potest:

a) Epistolae Pauli captivitatis christologicae sunt, et

2m sensum plus minus accedunt, nimirum: Deus decrevit recapitulare omnia in Christo, sive a) quatenus Christus, Deus et homo, totam creationem, mundum spirituum et mundum corporum, in se uno quasi in compendio exhiberet; — sive b) quatenus in Christo adimplerentur omnes figurae omnesque prophetiae Veteris Testamenti, et quatenus universa opera Dei versus Christum tamquam finem suum convergerent (Origenes, Chrysostomus). — Hi duo sensus, quantumvis theologice recti, plane extranei videntur a sensu a s. Paulo h. l. intento.

(1) Ita 2° loco proponit s. Chrysostomus.

(2) Et facile intelligimus quare in specie caelestia huc inducantur, dum Paulus alibi in relatione ad Christum magis restricte solet loqui de hominibus tantum. Prae oculis enim habet eas theorias quas magis polemice impugnat in ep. ad Col. et quibus munus Christi in hoc mundo minuebant vel destruebant haeretici, juxtapponendo vel etiam praeponendo Christo entia mundi alicujus superioris. — Dubium est utrum intelligantur etiam omnes creaturae mundi physici, juxta Rom. VIII, 19-23.

(3) Facile intelligitur Patres latinos hunc primum sensum adoptasse: in Vulgata enim, sicut caeteroquin etiam in versione latina antiqua, legebant voc.: instaurare.

(4) Quo sensu Rom. XIII, 9 omnia praecepta decalogi in uno praecepto caritatis quasi in compendio continentur.

signanter ep. ad Col., sicut ep. haec ad Eph., totae sunt in exponenda polemice et thetice doctrina *de Christo capite omnium* rerum, in ordine naturae et in ordine gratiae. Nonne verbum ἀνακεφαλαιόω, quod utique *directe* a κεφάλαιον, sed tamen *indirecte* et *ultimo* derivatur a κεφαλή, poterat Paulo videre aptum ad exprimendum uno vocabulo Deum voluisse omnia ad Christum *tamquam ad caput reducere?*

b) Imo nonne idem verbum, etiam qua etymologice derivandum a κεφάλαιον, poterat haberi quasi aequivalens cum: *ad caput reducere?* Etenim κεφάλαιον *primo* significat id quod in aliquo ordine sive rerum sive personarum *summum est*, quod *princeps* est (1). Unde verbum inde compositum apte significare potest: omnia ad Christum reducere tamquam ad summum suum, omnibus rebus dare principem in Christo (2).

Caeterum non videntur 2us et 3us sensus esse tam adaequate ab invicem distincti. Quomodo enim, in mente s. Pauli, potuerunt omnes creaturae recolligi in unam compagem in qua Christus esset quasi vinculum omnia continens, nisi praecise per hoc quod Christus omnibus tamquam caput et princeps praeponeretur?

Conclusio. Ex dictis sensus adagii s. Pauli huc ad minus redire videtur: Deus ab aeterno decrevit aliquando omnes creaturas recolligere ad unam compagem in qua

---

(1) Quo sensu praecipui philosophi dicebantur τὰ κεφάλαια τῶν μαθημάτων, et dux exercitus πὸ κεφάλαιον τοῦ πολέμου (cit. apud Prat, l. c.), et praecipua doctrina de Christo sacerdote dicitur τὸ κεφάλαιον (Hebr. VIII, 1).

(2) Verum quidem est κεφάλαιον, quamvis occurrat pro capite olerum, piscium, etc., nullibi occurrere pro capite corporis humani; attamen apud Mc. XII, 4, in composito verbo κεφαλαιόω de capite corporis occurrit: caput vulnerare; praeterea doctrina Pauli de Christo capite metaphorica est: comparat quidem Christum capiti corporis humani, sed id quod revera docet est: Christum super omnes creaturas eminere esseque omnibus iis, licet varia ratione et gradu, sive in ordine naturae sive in ordine gratiae, causam et principium. Cfr. Collat. Brug., t. XIV, pp. 225 ss. Nonne haec omnia apte exprimebantur dicendo Deum omnibus creaturis dedisse in Christo suum principem et summum, suum κεφάλαιον?

Christus esset quasi vinculum omnia continens, quasi caput omnibus praepositum (1).

Nota. Non est impossibile s. Paulum vocabulo suo ἀνακεφαλαιώσασθαι plus adhuc intellexisse quam in conclusione notavimus. Etenim

a) Verbum ponitur *in voce media*, et, quamvis non raro haec vox mere aequivalcat voci activae, nihil tamen impedit quominus s. Paulus h. l. voce media hac mente usus fuerit : Deus voluit omnia ad unam compagem *sibimetipsi* recolligere, ita ut quasi duo stadia distinguenda essent : Deus voluerit *primo* omnia ad Christum qua caput coadunare, ut *deinde* hanc totam compagem ad se adduceret (2).

b) Verbum est compositum cum praepositione ἀνά, quae forte, juxta sensum suum proprium et primum, denotat Deum voluisse omnia creata in Christo ad se *sursum* extollere. Nec repugnat s. Paulum hac praepositione, intellecta eo sensu quem interdum habet in compositis, intendisse Deum voluisse omnia in Christo *iterum* recolligere, quatenus, turbato ordine totius universi omnibusque creaturis a primitiva unitate et pace per peccatum originale disjectis et separatis, omnia iterum in Christo ad primitivam unitatem restaurarentur (3).

A. Vander Heeren.

II.

Argumentum creationis ex ratione.

Q. *Quomodo potest ratio naturalis demonstrare mundum fuisse a Deo creatum ?*

R. Ratio naturalis comprobare potest factum creationis totius mundi a Deo, eodem argumento, quo demonstratur existentia Dei, qui est ipsum esse per se subsistens, omnino

(1) Quanam ratione haec ratio capitis in Christo verificetur relate ad homines et ad angelos (Col. II, 10) v. apud Collat. Brug., t. XIV, pp. 225 ss.; XVI, p. 398 ss.

(2) Cfr. I Cor. xv, 24.

(3) Et hoc modo servari posset vocabulum Vulgatae : instaurare. Nihil autem in omnibus epistolis s. Pauli sicut nec h. l. innuit Angelos quosdam fuisse per Christum reparatos, vel daemones et damnatos esse aliquando reparandos.

simplex et maxime unum (1); supponitur autem confutatam fuisse doctrinam pantheisticam, quae negat essentialem distinctionem inter ipsum Deum et mundum aspectabilem (2).

Hisce praenotatis, sic ratiocinamur:

A. Mundus *est ens contingens*, id est, mundus non habet in semetipso et a semetipso rationem sufficientem suae existentiae, quod facillime probatur hac brevi consideratione, in demonstratione existentiae Dei jam praeoccupata: « Invenimus enim in rebus quaedam quae sunt possibilia esse et non esse; cum quaedam inveniantur generari et corrumpi, et per consequens possibilia esse et non esse » (3); quod autem de quibusdam partibus mundi dicitur, de toto mundo dicendum esse perspicue videtur. Mundus itaque est ens contingens, seu ita existit ut possit non existere.

B. Si mundus est ens contingens, requiritur: 1) ut *sit aliquod ens necessarium*, scil. *Deus;* 2) ut hoc ens necessarium *faciat esse* illud ens contingens, et quidem per productionem ex non ente, seu ex nihilo, itaque *per creationem*.

Probatur assertum:

1) Ens contingens postulat ut *sit aliquod ens necessarium*, sicut ostenditur rursus in ipsa demonstratione existentiae Dei.

Ad rem s. Thomas: « Omne quod est possibile esse et non esse...., quia, in se consideratum, ad utrumlibet se se habet », sive omne id, quod ita existit ut possit non existere, quia non habet in se rationem suae existentiae, de facto non existit nisi per « aliquid aliud, quod ipsum ad esse determinet; unde quum in infinitum procedi non

---

(1) Cf. S. Thomas, Sum. Theol., I, q. 2, a. 3, c.; q. 3, a. 4 et a. 7, c.; q. 11, a. 3 et a. 4, c. — Ill. ac rev. Waffelaert, Medit. Theol., apud Coll. Brug., II, p. 2 s. et Van der Meersch, De Deo Uno et Trino, n. 58 s., p. 60 s., Brugis, 1917.

(2) Cf. Sum. Theol., I, q. 3, a. 8, c. — Ill. ac rev. Waffelaert, o. c., apud Coll. Brug., III, p. 545 s. et Van der Meersch, o. c., n. 100 s., p. 102 s. et n. 183, p. 170.

(3) Sum. Theol., I, q. 2, a. 3, c.

possit, oportet quod sit aliquod necessarium quod sit causa omnium possibilium esse et non esse » (1).

2) Mundus igitur, quia contingens, debet « reduci in ipsum (ens necessarium), sicut in causam essendi » (2), quod ex dictis jam patet et ulteriore explicatione vix indiget.

Mundus, ens contingens, quoniam non habet in semetipso et a semetipso rationem sufficientem suae existentiae, de facto non existit nisi dependenter ab ente necessario, quod *facit ipsum mundum esse*, aliis verbis, quod ipsum *ad esse determinat*, et quidem *quatenus est*.

Mundus ergo producitur ab ente necessario secundum totum esse suum, adeoque « ex non ente, quod est nihil », quare merito hanc productionem « totius entis a causa universali... designamus nomine creationis » (3).

Uno verbo, quia existit mundus, ens contingens :

1) Oportet devenire ad *ens necessarium*.

2) Non explicatur existentia ipsius mundi, entis contingentis, nisi per illud ipsum ens necessarium, videlicet Deum, qui *facit esse mundum*, totum quantum est, sive accuratius « in quantum est ens » (4), itaque *per creationem*.

Advertatur tandem : nulla valida difficultas contra propositionem modo demonstratam afferri potest ex sententia dualistica, provocando nimirum ad materiam aliquam incausatam, ex qua mundus efformatus esset.

Excluditur haec theoria per argumentum modo prolatum, quandoquidem Deus est causa totius esse mundi ; deinde « ostensum est enim quod esse subsistens non potest esse nisi unum » (5) ; atqui, si existeret materia quaedam increata, haec esset pariter per se subsistens,

---

(1) Summa contra Gentiles, II, 15. — Vide etiam Sum. Theol., I, q. 2, a. 3, c. et Quaest. disp. de Potentia Dei, q. 3. a. 5.

(2) Sum. c. Gent., II, 15.

(3) Sum. Theol., I, q. 15. a. 1, c.

(4) Ibidem, I, q. 44, a. 2, c.

(5) Ibidem, a. 1, c. — Hoc fuit demonstratum in tractatu de Deo ; cf. Sum. Theol., I, q. 11, a. 3 et a. 4, c.; ILL. AC REV. WAFFELAERT, o. c., apud Coll. Brug., III, p. 252 s. et VAN DER MEERSCH, o. c., n. 253 s., p. 218 s.

esset pariter ens necessarium, habens in semetipso et a semetipso rationem sui esse, adeoque ponerentur revera duo entia necessaria, quod repugnat.

H. LAMIROY.

III. - IV.

De partibus potentialibus justitiae.

Q. *Quaenam assignantur* partes potentiales *seu virtutes adnexae* justitiae; *earumque brevissime indica notionem,*

R. Cardinalis virtus justitiae, quae est « virtus ad alterum », in distinctione unius hominis ab altero seu in alteritate fundatur. Non enim, sicut caritas quae multa pariter officia ad alios curat, proximum qua talem respicit seu qua conjunctum ut alterum *ego*; sed personalem cujusque independentiam et distinctionem ab aliis primarie ante oculos habet.

Insuper, « ratio justitiae consistit in hoc quod alteri reddatur quod ei debetur secundum aequalitatem » (1).

Unde, ea erit justitia omnino stricta, quae stricte ad alterum est, et ipsi debitum strictum reddit ad strictam aequalitatem.

Quae cum ita sint, nullo jam negotio patebit quaenam in genere sint virtutes quae inter *partes potentiales* seu virtutes justitiae adnexas adnumerandae sint. Ut enim notum est: « in virtutibus quae adjunguntur alicui principali virtuti, duo sunt consideranda: primo quidem, quod virtutes illae in aliquo cum principali virtute conveniant; secundo, quod in aliquo deficiant a perfecta ratione ipsius » (2). Ex quo sequitur omnes virtutes ad alterum partibus potentialibus justitiae fore adnectendas, in quibus deficit sive ratio strictae alteritatis (3), sive debitum strictum, sive in reddendo strictam aequalitatem.

---

(1) S. THOMAS, II-II, q., 80, a. unico.

(2) Ibidem.

(3) Patebit quidem ex dicendis virtutes statim enumerandas alteritatem quidem supponere, sed aliquam etiam ex alia parte conjunctionem; quamvis S. THOMAS, hunc quaestionis aspectum non specialiter consideret.

Agedum, non una proponitur, sive ab antiquis sive a recentioribus scriptoribus, divisio seu elenchus istarum virtutum. Sic refert S. Thomas (1) catalogum a Cicerone olim confectum (quem hic sequitur et complet S. Doctor) sex hujusmodi virtutes complecti, a Macrobio septem, ab Andronico novem, et ab aliis adhuc aliter. Apud recentes vero theologos, non tanta quidem differentia animadvertitur, sed aliqua tamen non spernenda remanet. Quod mirum non est. Etenim, praeterquam quod nonnulli auctores partes justitiae *integrales* hac occasione simul enumerant, aut sub uno eodemque vocabulo plures diversasque virtutes ratione analogiae comprehendunt, notandum est scriptores generatim, et in specie S. Thomam, elenchum completum praebere noluisse: plurimae sunt enim istae virtutes, adeo ut principaliores tantum ex ordine voluerint indicare.

Insuper quidam theologi hoc loco etiam justitiam legalem, distributivam et vindicativam appellant, quae tamen communius inter partes justitiae *subjectivas* adnumerantur: et ratio est justitiam omnino strictam unicam tantum esse, nimirum commutativam, nec perfectam alteritatem inveniri in legali et distributiva vel vindicativa, nec proinde univoce de partibus subjectivis sermonem hic fieri posse (2).

Quibus igitur praenotatis, ad *novem* reducit Doctor Angelicus partes potentiales justitiae; quarum octo priores adnectit justitiae particulari, ultimam vero justitiae legali seu generali correspondere docet. Quas quidem virtutes sequenti ratione dividit:

1. Cum justitia sit in reddendo debito ad aequalitatem, quaedam sunt virtutes ad alterum quarum defectus a perfecta ratione justitiae inde potissimum provenit quod aequalitatem in reddendo non attingunt, nec attingere valent: et sunt *religio*, *pietas* et *observantia*, sub qua includit etiam *obedientiam*. (3)

---

(1) Ibidem, in objectionibus propositis.

(2) Cf. Ill.mum Waffelaert: De Justitia, I, n. 18.

(3) Nonnulli AA. recentiores rationem distinctionis inter omnes virtutes justitiae particulari adnexas tantummodo ex parte debiti

Religio est « virtus moralis hominem inclinans ad cultum debitum Deo exhibendum » (1).

Pietas autem est « virtus qua propriam colimus excellentiam eorum a quibus ortum ducimus » (2).

Per observantiam vero « homines aliqua dignitate (imprimis gubernationis) antecedentes quodam cultu et honore dignantur » (3).

Circa obedientiam tandem, quae inclinat subditos ad implenda praecepta superiorum « dicendum quod obedientia includitur in observantia quam Tullius ponit; nam praecellentibus personis debentur et reverentia honoris et obedientia » (4). Sed notandum est debitum illius virtutis ad obligationes pietatis etiam et religionis se extendere.

2. Contra, aliae virtutes justitiae adnexae praesertim deficiunt in ratione debiti, quod nec strictum habent sicut justitia commutativa, nec imo tam severum quam priores statim enumeratae: sed debitum earum solummodo morale dicitur, eo scilicet sensu quod reddi debet ut honestas morum conservari possit, vel saltem ut conferatur ad majorem morum honestatem; quod ultimum sane minus adhuc habet de ratione debiti.

Ex quo duplex rursus series texitur. Priorem conficiunt veritas seu *veracitas*, gratia seu *gratitudo* et *vindicatio*, sine quibus honestas morum conservari nequit; alteram vero *liberalitas*, *affabilitas* seu amicitia, « aut alia hujusmodi, ait S. Doctor, quae Tullius praetermittit in praedicta enumeratione, quia parum habent de ratione debiti » (5).

Veracitas dicitur virtus « qua inclinamur ad conformitatem inducendam inter mentem nostram et signa quibus

---

sumunt, prout nempe plus vel minus deficit a perfecto et stricto debito justitiae commutativae. Quae norma utique apte applicari potest, et ab ipso S. Thoma hoc loco sufficienter indicatur. Cf. Lehmkuhl: Theologia Moralis, I, n. 113; Genicot-Salsmans; Institutiones Theologiae Moralis, I, n. 247-248.

(1) Dignant: Tractatus de Virtute Religionis, II, 2.

(2) Vermeersch, S. J.: Quaestiones de Virtutibus Religionis et Pietatis, n. 180.

(3) S. Thomas, ibidem.

(4) Ibidem, ad 3.

(5) II II, q. 80, a. unico.

utimur ad aliquid proximo significandum, quales sunt scriptura, sermo, gestus » (1).

Gratitudo praeterea est virtus quae beneficia accepta (privata scilicet et inter aequales) mente quidem et ore agnoscit, eaque conatur aliquo modo rependere.

Vindicatio vero est virtus « qua inclinamur ad reddendam malefactori poenam pro injuria debitam » (2). Verum, ut advertit S. Thomas, « vindicta quae fit auctoritate publicae potestatis, secundum sententiam judicis, pertinet ad justitiam commutativam; sed vindicta quam quis facit proprio motu, non tamen contra legem, vel quam quis a judice requirit, pertinet ad virtutem justitiae adjunctam ». (3).

Insuper, in altera serie: liberalitas « secundum conceptum suum, virtus est quae amorem pecuniae moderatur atque hominem promptum reddit ad eam expendendam. Quodsi moderatio affectus pecuniae spectatur, liberalitas ad virtutes temperantiae adnexas referenda est; si autem ipse externus actus manifestationis respicitur, qui ad alios dirigitur, virtus est justitiae adnexa, ejusque formale objectum illa honestas est, quod deceat hominem et consentaneum sit ejus sociali naturae, in alios bona externa elargiri » (4)

Affabilitas autem ex debito vitae socialis inclinat ad decentiam et gratiam in communi convictu, spectata utique conditione personae (5).

Porro Doctor Angelicus, in responsis ad objectiones, sub veracitate includit praeterea fidem seu *fidelitatem* (6); sub affabilitate vero *æquitatem* seu congruam moderationem

---

(1) Genicot-Salsmans, o. c., I, n. 248. — Eadem virtus, ratione tantum distincta, dicitur quandoque simplicitas; cf S. Thomam, q. 109, a. 2, ad 4.

(2) Genicot, ibidem.

(3) Ibidem, ad 1.

(4) Lehmkuhl, o. c., I, n, 920.

(5) Affabilitatem a comitate distinguit Lehmkuhl, ibid., secundum quod prior urbanitatem et decentiam servat potissimum in alloquio, altera in actionibus et officiis.

(6 Fides (fidelitas) autem, per quam fiunt dicta, includitur in veritate (veracitate) quantum ad observantiam promissorum „ Ibidem, ad 3.

juris stricti (1), beneficentiam seu *misericordiam* (2), et plures adhuc alias, citatas ab antiquis.

3. Tandem justitiae legali adjungitur *epikia*, seu aequitas sensu scolasticorum communiter intellecta, quae est virtus moderans observantiam litterae legis, modo consentaneo menti legislatoris et bono communi.

E. HOSTEN.

V

De promulgatione legis.

Q. *An et qualis de jure naturae requiritur promulgatio legis?*

R. Praenotandum est hanc nostram quaestionem poni de lege morali universim sumpta et quasi *a priori* seu abstractione facta a quavis libera dispositione legislatoris; quaeritur nempe: 1) utrum, *spectato solo jure naturae, necessaria* sit quaedam promulgatio seu intimatio legis. 2) si necessaria sit, *qualis* esse debeat. Jamvero:

I. **De necessitate promulgationis,** haec admittenda videntur:

1. Necessaria est, ut lex actu obliget, aliqualis ejus promulgatio.

Haec conditio legis « fere ab omnibus auctoribus », ut ait Suarez (3), admittitur et facili illatione ex ipsa notione legis deducitur; « Lex, ait S Thomas (4), imponitur per modum regulae et mensurae. Regula autem et mensura imponitur, per hoc quod applicatur his quae regulantur et mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicatur

(1) Ibidem, ad 3.

(2) Dubium tamen moveri potest utrum hic (ibidem, ad 2) S. Doctor vocabulum beneficentiae ad solam misericordiam restringat vel forsan latius sumat. Revera eosdem saepe actus curant misericordia et liberalitas, sed in hoc specialem honestatem habet prior virtus, quod formaliter miseriis aliorum subvenire satagit.

(3) De Legibus, l. I, cap. XI, n. 1. Inter recentiores AA. contrariam opinionem tuetur solus et haesitanter Borix (De Curia Romana p. 108), qui in suas partes trahere conatur Leurenium et Fagnanum.

(4) 1-2, Q. 90, a. 4.

hominibus, qui secundum eam regulari debent: talis autem applicatio fit per hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione, unde promulgatio ipsa necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam virtutem. »

2. Disputant vero AA. utrum promulgatio de essentia legis sit dicenda, an potius ejus conditio necessaria. Verius non pertinet ad essentiam legis, quia de essentia legis est ut sit regula morum, promulgatio autem nec regula est nec pars regulae, sed actus quo ea subditis ostenditur, exhibetur (1).

Inde evanescit difficultas quoad legem aeternam, quae ut talis non est capax promulgationis (2); servatur enim vera ratio legis sine promulgatione.

3. Objici non potest textus Gratiani C. 3, D. IV, in novo Codice, can. 8, §. 1 assumptus: « Leges instituuntur, cum promulgantur ».

Etenim, dato non concesso quod Ecclesia revera promulgationem habet tanquam elementum constitutivum suarum legum, inde non sequeretur leges, solo spectato jure naturae, aliter non posse constitui.

At minime probatur ex textu allato Ecclesiam ita sentire; optimam enim interpretationem habet textus in nostra sententia: recte enim institutae dicuntur leges, nempe *in actu secundo*, momento quo promulgantur, quamvis jam sint antea plene formatae, seu *in actu primo institutae* (3). Haec autem institutio legis « in actu primo » est constitutiva legis, non vero secunda, quia essentiae rerum per actum primum seu aptitudinem, non autem per

---

(1) Ita D'Annibale, Summula Theol. Mor. ed. 5a 1908, V. I, p. 149 in nota 16a. Optime rem explicat comparatione Billuart (Tract. de Legibus Diss. Ia, a. 3): "...non a promulgatione tanquam a causa procedit vis obligandi, seu obligatio actualis, quippe quae debet esse a superiore ut a causa, sed tantum tanquam a conditione, sicut calefactio non est ab approximatione tanquam a causa, sed ab igne, licet pendeat ab approximatione tanquam a conditione. „ De mente, S. Thomae litigatur et etiam Thomistae circa hanc quaestionem varie sentiunt.

(2) Cfr. Van den Berghe De Leg. n. 17.

(3) Ita Billuart l. c. " Leges instituuntur complete et quoad actum secundum cum promulgantur, conc.; instituuntur essentialiter et quoad actum primum, neg. „

actum secundum seu ipsam operationem definiuntur (1).

II. **De qualitate promulgationis :**

Ex natura rei, seu abstrahendo ab omni speciali voluntate legislatorum, illa promulgatio requiritur et sufficit, quae necessaria et sufficiens est ut lex moraliter et humano modo devenire possit in notitiam subditorum (2). Sed hoc aliter habetur in lege divina, aliter in lege humana.

Deus, utpote absolute et omni modo supremus Dominus, potest quo voluerit modo suam legem intimare, et de facto variis usus est modis, nunc interna manifestatione, nunc signo quodam externo, ita tamen semper ut seipsum supremum manifestaret legislatorem (3).

Homo vero, humanis tantum uti potest modis, ideoque promulgatio legis humanae semper erit in quodam signo externo. Sed :

1° Quum lex humana per se primo feratur pro aliqua communitate, debet esse promulgatio ejus *publica*, ut nempe appareat ordinationem ad omnia communitatis membra dirigi.

2° Quum legislator humanus duplicem gerat personam, privatam et publicam, promulgatio *authentica* sit oportet, id est ex solemnitatibus, ab ipso legislatore eligendis (4), appareat legem revera procedere ab eo qui communitatis curam gerit.

---

(1) Ad cujus intelligentiam cfr. De Jaegher Instit. philos., p. 267 in nota: "...actus secundus dicitur saepe operatio rei creatae; quippe quae succedit perfectioni formae qua res constituitur in suo esse. Ita S. Th. "Actus est duplex, scil. primus qui est forma et secundus qui est operatio." De Pot. q. I. a. I."

(2) Sedulo a promulgatione distinguenda est legis divulgatio, quae aliquando sed improprie promulgatio vocatur et qua lex jam promulgata ad singulorum subditorum notitiam quasi devehitur. Ex legis promulgatione oritur obligatio objectiva; ex ejus vero divulgatione nascitur cognitio legis et proinde etiam obligatio subjectiva. Cf. Van den Berghe o. c., n. 65.

(3) Cf. Billuart, l. c.

(4) Modus promulgationis, seu solemnitas qua publica et authentica appareat, jure naturali non determinatur sed ab arbitrio supremi legislatoris pendet, "quia, ait Suarez, l. c., n 5., non potest aliunde determinari."

Praeter hoc nihil amplius jure naturae requiritur, neque igitur a subditis exigi potest (1).

R. DESCHEPPER.

VI

Reconstitution et réorganisation d'une Fabrique.

Q. *Comment faut-il procéder à la reconstitution et à la réorganisation d'une fabrique d'église en cas d'expiration des pouvoirs de tous ses membres?*

R. I. **Conseil de Fabrique.**

A. RECONSTITUTION. Lorsque les pouvoirs de tous les conseillers de fabriques sont expirés, parce que pendant la guerre les renouvellements triennaux n'ont pas eu lieu, il faut appliquer l'article 6 du décret de 1809, c'est-à-dire que l'Évêque nomme la grande moitié du conseil (3 ou 5), et le gouverneur la petite (2 ou 4) (2). L'Évêque nomme le premier (3). Aucune disposition légale ou administrative ne détermine à qui appartient la présentation des candidats. En pratique le curé, après avoir pris l'avis du bourgmestre, soumettra une liste des candidats à l'Évêque, qui nommera la grande moitié et fera faire les démarches voulues pour qu'il soit pourvu par le Gouverneur à la nomination de la petite moitié. L'ordonnance de l'Évêque et l'arrêté du Gouverneur, portant nomination, seront consignés dans les registres de la fabrique. (4)

L'art. 7 du décret de 1809 statue que le premier renouvellement triennal, qui a lieu après la première formation ou la reconstitution du conseil, doit être précédé d'un

(1) Itaque ex hoc capite jam prorsus rejicienda erat sententia eorum, qui ad vim legum pontificiarum, praeter promulgationem ab ipso legislatore praescriptam, exigebant promulgationem in provinciis et dioecesibus.

(2) Voir ar. roy. du 12 mars 1849, art. 4, 2°, dans DE ROP, Practische handleiding voor kerkfabrieken, bl. 235 vv., Antwerpen, 1897; VAN COILLIE-DE MEESTER, La Sépulture et les fabriques d'églises, p. 166, Bruges, 1916; VAN HOVE, Les fabriques d'églises, 2e part., p. 582 s.

(3) Circ. min., 22 mars 1850, citée par VAN HOVE, l. c.

(4) Voir MOULART, Des fabriques d'églises, 9 éd., p. 232, Louvain, 1899.

tirage au sort, à l'effet de désigner les membres qui doivent sortir. Au premier dimanche d'avril 1921, c'est la grande moitié qui est sortante.

B. Réorganisation. Le conseil étant reconstitué procèdera immédiatement et avant toute autre délibération à *l'élection* de son président et de son secrétaire.

L'élection des dignitaires est soumise aux formalités suivantes (1) :

a) il faut d'après l'opinion la plus probable la présence de plus de la moitié des membres du conseil complet ;

b) la nomination doit se faire au scrutin, c'est-à dire, avec des bulletins secrets. Les auteurs sont communément d'avis que le scrutin doit être individuel, c'est-à-dire qu'il faut une élection séparée pour le président et pour le secrétaire ;

c) et à la majorité absolue des suffrages.

Les élus conservent leurs fonctions jusqu'au premier dimanche d'avril, qui suit leur nomination. Chaque année, à pareil jour, ils sont soumis à réélection.

II. **Bureau des marguilliers.**

A. Reconstitution. Aussitôt que le conseil aura été reconstitué, immédiatement après avoir choisi son président et son secrétaire, il doit procéder à l'élection de trois de ses membres, qui avec le curé composeront le bureau des marguilliers (art. 11 du décret de 1809).

Les formalités prescrites pour cette élection sont les mêmes que celles auxquelles est soumise la désignation des dignitaires du conseil, sauf qu'on peut employer le scrutin de liste, puisqu'il s'agit de conférer des fonctions de la même espèce.

Au premier dimanche d'avril qui suit la reconstitution du bureau, le conseil tire au sort le nom du marguillier qui cesse de faire partie du bureau et le réélit ou en nomme un autre. L'année suivante, le conseil désigne par la voie du sort celui des deux marguilliers restant de la première élection dont le mandat doit cesser, et pourvoit à son remplacement ou à sa réélection. Le troisième marguillier,

(1) Van Coillie De Meester, o. c., p. 177.

dont le nom n'est pas sorti de l'urne, sort de plein droit le premier dimanche d'avril de la troisième année, et doit être remplacé ou réélu dans la séance de ce jour (art. 15 et 16 du décret).

Dans la suite, on ne tire plus au sort : le plus ancien des marguilliers en exercice sort de plein droit le premier dimanche d'avril de chaque année, et son mandat doit être renouvelé par une élection faite en conseil (art. 17).

B. Réorganisation. Le bureau, immédiatement après sa reconstitution, doit nommer son président, son secrétaire et son trésorier ; et dans la suite, il doit renouveler leur mandat, tous les ans, le premier dimanche d'avril.

Le décret de 1809 ne dit pas si la nomination doit se faire par voie d'élection ou de délibération. Bien qu'on puisse alléguer en faveur du scrutin secret et individuel un argument sérieux tiré de l'analogie avec les autres élections fabriciennes, cependant, dans le silence de la loi, nous croyons que les marguilliers peuvent déterminer le mode de nomination. En toute hypothèse, la nomination, comme toute autre délibération, doit se faire à la majorité absolue des suffrages (1).

Il faut noter qu'il doit être dressé *procès-verbal* de toutes les élections et nominations dont il a été question plus haut. Ce procès-verbal sera inscrit par le secrétaire sur le registre des délibérations et signé par tous les membres présents. Un extrait en sera transmis à l'autorité diocésaine et à l'administration provinciale (2).

A. De Meester.

---

(1) Voir Van Coillie-De Meester, o. c. p. 199 s. ; Van Hove, o. c., p. 621, 624.

(2) Van Coillie-De Meester, o. c., p. 168. Les administrations fabriciennes ont l'obligation de transmettre chaque année à l'autorité diocésaine, dans la quinzaine qui suit le 1er dimanche d'avril, l'état complet du conseil et du bureau, conformément au modèle dressé à cet effet. Voir Collat. Brugen., t. XI. p. 54.

PSALMUS CVIII (hebr. CIX) estne imprecatorius?

Textus psalmi praemittitur (1).

2 Deus, *objectum* laudis meæ, ne taceas,
quia os impii et os mendacii contra me aperuerunt se;
3 loquuntur mihi lingua falsa,
et sermonibus odii circumdant me;
4 et impugnant me gratis, *in retributionem* pro dilectione mea,
adversantur mihi, dum ego *pro iis oro*;
5 reddunt mihi malum pro bono,
et odium pro dilectione mea.

6 *Constituatur* super eum *tamquam judex* malefactor,
et accusator stet ad dexteram ejus;
7 cum judicabitur, exeat *de tribunali* condemnatus,
et oratio ejus *ad flectendum judicem* fiat *ipsi* in scelus;
8 sint dies *vitae* ejus pauci,
præfecturam ejus accipiat alter;
9 fiant filii ejus orphani,
et uxor ejus vidua;
10 vagando vagentur filii ejus et mendicent,
et ejiciantur e ruinis suis;

---

(1) Textui ex hebr. translato inserimus italicis breves quasdam explicationes. Cfr. etiam adnotationes.

v. 2 Dicitur Ne taceas pro adjuva me, quasi per attractionem: agitur enim de auxilio praestando adversus adversarios qui lingua sua, impia et mendaci, Psalmistam persequuntur.

v. 3 Gratis impugnant me, i. e. quin ego ullam eis dederim causam, imo contra, ut vv. 4-5 declaratur.

v. 4 Adversantur, Vulg.: detrahunt. — Dum ego pro iis oro, hebr. formula brevi et energica: Et ego oratio!

v. 6 Constituatur. Sic vertit ZORELL, Zeitschrift für kath. Theologie, 1913, p. 146: Man bestelle...; non vero, quasi esset oratio ad Deum: Constitue. — Accusator, hebr. sâtân, sine art. quod LXX vertunt per διάβολος, inde Vulg: diabolus. Alii vertunt: adversarius; adversarius autem coram tribunali intelligitur esse accusator. Cfr. Zach. III, 1.

v. 10 Et ejiciantur apte suppletur juxta LXX et Vulg.

11 insidietur foenerator omnibus quæ ei *sunt*,
et diripiant alieni omnem *fructum* laboris ejus ;
12 ne sit ullus qui ultra faciat ipsi misericordiam,
et nullus sit qui misereatur orphanis ejus ;
13 fiat posteritas ejus ad exterminium (*exterminetur*),
in generatione una deleatur nomen ejus ;
14 in memoria maneat iniquitas patrum ejus ante Dominum,
et peccatum matris ejus ne ut deletum habeatur ;
15 Sint *peccata antiquorum ejus* coram Domino semper,
et deleat *Dominus* de terra memoriam eorum *antiquorum*.
16 Etenim non cogitavit facere misericordiam,
et persecutus est hominem afflictum et pauperem,
et afflictum corde ut morti *eum* traderet.
17 Et dilexit maledictionem, — *veniat* illi ;
et non voluit (*sprevit*) benedictionem, — longe *maneat* ab ipso ;
18 *induat* maledictionem sicut vestimentum suum,
intret sicut aqua *usque* in interiora ejus,
et sicut oleum in ossa ejus ;
19 sit ei sicut vestimentum *quo* operiat se,
et in cingulum *quo* semper sit præcinctus.

20 Hoc *est* opus eorum (*sic agunt*) qui adversantur mihi, a Domino : *tu, Domine, id permittis*,
et eorum qui loquuntur malum adversus animam meam (*qui ex odio mortali malum loquuntur contra me*).
21 Sed tu, Jahve Adonai ! fac mecum (*curam age mei*), propter nomen tuum ;
quia suavis *est* misericordia tua, libera me.
22 Etenim miser et pauper *sum* ego,
et cor meum vulneratum est intra me ;
23 sicut umbra, cum extendit se *ad vesperam, ita ego* evanesco,
ejicior *et pereo* sicut locusta *quae tempestate aufertur* ;

---

v. 16 Odio mortali persecutus est afflictum.

v. 17 Hebr. juxta vocalisationem massoreticam, legitur : v e n i e t, m a n e b i t, i n d u c t, i n t r a b i t ; ast indubium videtur, juxta praecedentia et sequentia, esse aliter vocalisandum et legendum : v e n i a t, etc.

v. 20 A d v e r s a n t u r, Vulg. : d e t r a h u n t.

v. 23 Pulchra figura : umbra, puta arboris, eo longiorem se extendit quo sol magis ad occasum progreditur, et tandem tota evanescit ; sic ego sum quasi ad vesperam vitae et brevi evanescam. — Altera figura desumpta est a copia locustarum quae subito vento aufertur et a terra in mare projicitur. Cfr. Exod. X, 19.

24 genua mea titubant propter jejunium (*fame exhaustus sum*),
et caro mea marcuit, *defecit* a pinguedine *sua*;
25 et ego sum *objectum* irrisionis illis,
cum vident me, movent caput suum *in signum despectus*.
26 Adjuva me, Jahve, Deus meus,
salvum me fac secundum misericordiam tuam;
27 sciant *adversarii mei* quia manus tua *fuit* hoc (*quia tu intervenisti*),
sciant quia tu, Jahve, fecisti hoc *et salvasti me*.
28 Maledicunt isti — utinam tu benedicas,
insurgunt isti, — utinam confundantur, et servus tuus (*ego*) lætetur;
29 induantur qui adversantur mihi pudore,
et operiantur sicut pallio confusione sua.
30 *Tunc* confitebor Jahve multum, in ore meo,
et in medio multorum, *publice* laudabo eum:
31 ideo quia ipse adstitit ad dexteram pauperis (*ad dexteram meam*),
ut salvam faceret *eum* a judicibus animæ ejus.

Difficultas exponitur.

Una ex difficultatibus quas tractatus Introductionis generalis in sacram Scripturam solvendas habet hacc est: quanam ratione cum divina inspiratione componendae sint illae imprecationes et maledictiones quas hagiographus hic et nunc scribendo intimat et exprimit contra hostes suos. Et haec quidem difficultas nullibi sane urgentiorem se exhibet quam occasione psalmi CVIII, prout ille apud antiquos scriptores omnino communiter et apud recentiores adhuc multo communius intelligitur: David nempe, auctor psalmi, coram Deo conqueritur de persecutionibus quas ab adversariis suis sufferendas habet, et per plures vv. (6-19) maledicit uni ex illis, non nominato, sane antesignano et duci eorum. In hoc autem addunt, gerebat typum Christi (1), punitionem divinam contra hostes suos, in specie contra Judam, invocantis. Et revera plura sat facili

---

v. 29 Adversantur, Vulg.: Detrahunt.

(1) Nisi dicas psalmum esse messianicum in sensu litterali Davidque directe intendisse orationem Messiae contra hostes suos et Judam describere.

negotio de Juda intelliguntur : de ejus morte (v. 8 s.), de ejus argenteis adhibitis ad emendum agrum pro sepultura peregrinorum (v. 11), de ejus atro peccato in Jesum (vv. 2-5; 16 s.), de ejus damnatione aeterna (vv. 18 s.) (1). Porro maledictiones istae vere horrendae sunt, et imo ipse *modus* quo exprimuntur ex summa malitia et exquisita crudelitate oriri videtur.

Etenim maledicitur hostis *in causis suis judicialibus* (vv. 6-7) : causâ cadat dum stabit coram tribunali judicandus. Sed haec ipsa exsecratio quonam modo evolvatur vide : *judex* a quo erit judicandus, sit ipse malefactor, a quo proinde justitia nulla, nulla misericordia, sed mala voluntas exspectanda erit; ad dextram ejus, ubi stare solebat advocatus et *defensor*, adstet adversarius ; non attenta natura et momento causae ejus, exeat de tribunali condemnatus; quod si judicem supplicando flectere audeat ad justitiam aut misericordiam, haec ipsa supplicatio ei computetur in novum scelus, novamque proinde poenam in ipsum attrahat! — Maledicitur hostis *in vita sua* (vv. 8-9), nec tantum ut moriatur, sed ut brevi moriatur et morte praematura : sint dies ejus pauci ; et exquisita crudelitate haec mors describitur in effectibus suis : praefecturam, munus honorificum quod hucusque gessit, accipiat alter : fiant filii ejus orphani, uxor ejus fiat vidua, sicque ad miserum statum redigantur : orphanus enim et vidua semper, et signanter in s. Scriptura tamquam typus adhibentur hominis miseri et afflicti omnique ope destituti! — Maledicitur *in ipsis filiis suis* (v. 10) : fiant ipsi quoque miseri ! Et nota descriptionem : vagando vagentur (nota superlativum hebraïcum, i. e. :), ubique circumvagentur, et mendicare cogantur, et ejiciantur de domo sua, imo de domo prius vastanda : ejiciantur de ruinis suis ! — Maledicitur *in bonis suis* (v. 11) ; et vide descriptionem : foenerator, quo nihil durius, nihil inhumanius notum erat, insidietur omnibus possessionibus ejus, et alieni diripiant omnia bona ejus, seu potius omnia quae ipse labore suo sibi acquisiverat ! — Et dum omnia ipsi ejusque familiae sic male succedent,

(1) Cum psalmo sic intellecto compara ps. LXVIII (hebr. LXIX).

quàm gratissimum esset invenire aliquem qui auxilium praestet; ast, sic optat Psalmista (v. 12), ne vel unus sit qui faciat ipsi misericordiam, ne unus qui misericordia commoveatur erga orphanos ejus! — Maledicitur *in posteritate sua* (v. 13) : ex erminetur illa, imo jam ab ipso primo initio, a prima generatione, oblivione deleatur vel nomen ejus! — Imo, quod horrendum apparebit, non tantum de peccatis propriis puniatur, sed poenas luat etiam pro iniquitate patrum suorum et pro peccato matris suae : sint haec peccata omnia coram Domino, sine intermissu (v. 14-15[a])! — Nec posterorum tantum, sed et antiquorum memoria de terra deleatur (v. 15[b])!

Et iterum vv. 18-19 horrendae sunt imprecationes: longe maneat ab ipso benedictio, veniat illi maledictio : et quidem, sit maledictione quasi amictus : penetret maledictio sicut aqua — haec enim quocumque penetrat — in interiora ejus ; sicut oleum — quod majori adhuc virtute penetrandi gaudet — in ipsa ossa ejus; sit ipsi quasi vestimentum superius quo totus operiatur, quasi cingulum quo semper sit praecinctus!

Difficultatis solutiones propositae.

Vario modo conati sunt auctores has maledictiones cum inspiratione divina componere, juxta principia in hac materia generalia (1). Ita: a) Non possunt istae maledictiones nimis ad litteram sumi; etenim usus maledicendi est Orientalibus quasi innatus, ejusque vehementia tribuenda est partim audaci eorum modo loquendi per figuras, quo facile ultra mentem suam loquuntur, partim rudibus sensis Hebraeorum, nondum per lumen et amorem Evangelii mitigatis (2); — b) istae maledictiones intelligendae sunt per modum *praedictionis* rei futurae, quemadmodum

(1) Cfr. S. Thomas, II-II, q. XXV, a. 6.

(2) Et hoc quidem verum est ; sed quamvis minuat, non tamen tollit difficultatem ; etenim valet hic : plus aut minus non mutat speciem ; et quaestio non est utrum tantae maledictiones, sed utrum quaelibet maledictiones possint cum inspiratione componi ; quamvis utique, ubi vere horrendae apparent maledictiones, difficultas magis sponte se lectori exhibebit.

revera Vulgata interdum vertit per *futurum*! cfr. v. 18: Dilexit maledictionem, et *veniet* ei, et noluit benedictionem, *elongabitur* ab eo (1); — c) Psalmista hostes suos considerat ut hostes Dei, ut peccatores, et *conditionali sensu*, nisi nempe intercedat poenitentia, optat ut puniantur; seu considerando non peccatorem, sed peccatum, hoc peccatum odio habet, optatque ut, nisi intercedat poenitentia peccatoris, peccatum illud a Deo puniatur, sicque *Deus manifestet justitiam* et gloriam *suam* (2).

Ast una manet solutio (3) quae, quaestione generali intacta relicta, relate ad hunc psalmum CVIII difficultatem omnem quasi in radice praescindit, quatenus ostendit *psalmum hunc non esse imprecatorium*. Nimirum in vv. 6-19 Psalmista non malediceret hostibus suis, sed referret maledictiones quas adversarii sui contra ipsum proferunt. In hac explicatione psalmus haberi potest, saltem in sensu mystico, qua oratio Jesu patientis in cruce et coram Deo conquerentis de iis quae hostes sui adversus eum lingua mendacii et odii imprecando conclamant. Unde ad psalmum recte intelligendum, sufficeret post v. 5 supplere unum vocabulum: *dicentes*, et vv. 6-19 ponere inter signa citationis.

In favorem hujus sententiae sequentia possunt afferri argumenta:

1) In omnibus praecedentibus (2-5) Psalmista continuo agit de iis quae ab adversariis suis contra se *dicuntur: Os impii* et *os mendacii* contra me aperuerunt se; *loquuntur* mihi *lingua falsa*; *sermonibus odii* circumdant me; *detrahunt* mihi (4); — similiter in sequentibus inde a primo vers. post illas imprecationes: Sic agunt qui *detrahunt* mihi (5), et qui *loquuntur malum* adversus

---

(1) Nec hoc videtur hîc ad rem; etenim, juxta t. hebr., vere imprecationes ut fiant, non praedictiones quod fient exprimi videntur.

(2) Cfr. nostrum Psalmi et Cantica Breviarii, 1a editio, pp. XXVI s. — Et putamus hoc 3m responsum, nisi alia solutio daretur, esse retinendum.

(3) Pro hoc sententia citantur non pauci auctores, apud ZORELL, a. c., p. 415. Hanc sententiam secuti sumus in 2a editione o. c.

(4) Ita Vulgata vertit, juxta LXX.

me (v. 20); *maledicunt* isti, utinam Tu benedicas (v. 28). — De alio modo quo Psalmista impugnaretur nulla fit mentio. Nonne mirum quod in toto psalmo ne uno quidem verbo indicaretur *quid* dicant illi adversarii de quorum dictis tanta insistentia conqueritur Psalmista? Sed quam optime haec difficultas solvitur si longae illae litaniae imprecationum, quae vv. interjectis, 6-19, exhibentur, sunt praecise illi sermones odii et mendaces detractiones de quibus conqueritur.

Neque *objiciatur*: Vv. 6-19 non tanquam sermones adversariorum inducuntur. — *Respondetur*: simile quid quam frequentissime in Scripturis contingit, et signanter in psalmis; cfr. II, 3,6-8; IX^{b}, 4; XXI, 9; LXXXVI, 4; CIV, 15, etc. His omnibus casibus oportet, juxta contextam orationem, supplere *dicentes:* vel quid simile (1).

2) Imprecationes vv. 6-19 nimis dissonant a reliquis, quantum ad spiritum et dispositiones animi quibus loquens animatus supponendus est. Psalmista enim in vv. 2-5 contrito utique et confracto, sed dulci et mansueto corde, Deo submissus, conqueritur: « Impugnant me absque causa, dum ego eos diligo; adversantur mihi, dum ego pro iis oro; reddunt mihi malum pro bono, et odium pro dilectione mea »; — et subito (vv. 6-19), sine ulla transitione, erumperet in horrendas maledictiones, et quidem contra illos eosdem pro quibus orare se dicit, quos diligere se affirmat? — Et iterum subito, sine ulla iterum transitione, ad dulcia et mansueta sensa redit (vv. 20 ss.), invocans Dei interventum: Fac mecum, Domine! Quia suavis est misericordia tua! — et pacato et suavi animo conqueritur de irrisione et despectu quorum est objectum (v. 25), et omne quod petit a Deo est ut Deus adjuvet ipsum, ut dum hostes maledicunt ipsi, Deus benedicat, et tandem dum in corpore psalmi petiisset ut adversarius quasi amictu indueretur et quasi vestimento operiretur et quasi cingulo praecinctus esset *maledictione*, hic contra, in fine psalmi, ubi jure expectares quasi culmen sensuum, unice orat Psalmista ut adversarii

(1) Moderni quidem duplex punctum ponerent, imo et signa citationis; ast haec omnia antiquis erant ignota.

sui induantur *pudore* et sicut pallio operiantur *confusione sua.* — Num vere probabile est vv. 2-5 et 20-30 esse ejusdem auctoris cum vv. 6-19? Et quam obvie iterum omnia intelligimus, si supponimus vv. 6-19 esse maledictiones adversariorum contra ipsum Psalmistam.

3°) Mirus videbitur in sententia communiori v. 28; quomodo enim de adversariis dicere potest: *Maledicunt isti*, si ex una parte nullam eorumdem maledictionem retulerit, et ex altera parte *ipse* per quindecim vers. successivos maledixerit iis modo, qui forte aequari, ast aegre superari posset? Non haberet sane quod aliis exprobraret, imo artem maledicendi quemlibet docere posset! — Quam congrue autem iterum omnia patent si vv. 6-19 sunt verba adversariorum ejus: Maledicunt isti!

4°) Mirum videbitur quod vv. 2-5 de inimicis semper fit quaestio *in plurali*, et subito, inde a v. 6 et semper (1) usque ad v. 19, de inimico quodam *in singulari*, et iterum subito, inde a v. 20 usque ad finem, de inimicis *in plurali*. Et nulla fit transitio, nullo verbo innuitur quisnam sit ille mysteriosus inimicus in quem maledictiones proferuntur. — *Aiunt* quidem Psalmistam vv. 6-19 prae oculis habere unum ex praecipuis, ex ducibus adversariorum suorum. *Sed* quare nullo verbo ipsum indicat? Et, si omnes adversarii de quibus vv. 2-5 rei sunt criminum ipsis imputatorum, si omnes lingua mendaci et impia et sermonibus odii agunt in Psalmistam, si omnes atrae ingratitudinis rei sunt, quidni ipsi quoque maledicuntur? Quam congrue iterum omnia intelliguntur in alia sententia: « Ecce, Domine, circum*dant* me *adversarii* qui mihi maledi*cunt, dicentes*: « Constitue super *eum* peccatorem... etc. »; utique, Domine, sic *illi* maledi*cunt mihi* »!

5°) Plura adhuc alia in hac sententia bene intelliguntur. Ita a) v. 20 tam obvia est transitio a verbis adversariorum ad verba Psalmistae. Recitatis enim imprecationibus illorum, pergit nunc Psalmista: *Hoc* est *opus* (2) *eorum* (sic

---

(1) V. 15 non facit exceptionem: vide ipsum textum.

(2) Quidam post S. Hieronymum, vertunt t. hebr.: Haec merces eorum, et inde concludunt v. 20 adhuc pergere maledictionum seriem,

agunt) *qui adversantur mihi..., et eorum qui loquuntur malum adversus animam meam; sed tu, Jahve..., fac mecum!* etc. — b) Tam bene respondet *oratio* Psalmistae *imprecationibus* adversariorum: Maledicunt isti, tu, Domine, benedicas (v. 28); — optant isti ut tamquam judex mihi constituatur malefactor qui me condemnet (v. 6); tu, Domine, salva me a judicibus animae meae (v. 31); — optant isti ut ad dexteram adstet adversarius accusator (v. 6); tu, Domine, sta ad dexteram meam (v. 31); — optant isti ut nemo faciat mihi misericordiam (v. 13); sed tu, Domine, fac mecum, propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua (v. 21 et v. 26); — optant isti ut ego quasi vestimento induar maledicto (vv. 18 s.); sed tu, Domine, illos quasi vestimento induc pudore et confusione (v. 29). — c) Accusationes quas adversarii movent contra Psalmistam (vv. 15 s.) vere sunt ii sermones odii, impii et mendaces, de quibus Psalmista in vv. 2-3 conquestus erat: Psalmistam enim, hominem diligentem proximos suos, bonum facientem eis, orantem pro persecutoribus suis (vv. 4-5), accusant quasi esset homo absque misericordia, quasi afflictos et pauperes persequeretur usque ad mortem, quasi doleret de bono proximi sui et gauderet de eorum malo (vv. 16-18).

***

Si vera est, ut probabile saltem putamus, sententia exposita, tunc nedum psalmus noster sit inter omnes imprecatorios maxime horrendus, contra merito haberi poterit ut omnium suavissimus, et pleno jure haberi poterit tamquam oratio Jesu in cruce morientis. Tota enim vita sua Jesus transierat benefaciendo omnibus, inter homines vixerat aestuans misericordia et dilectione, et usque ad ipsum finem vitae, orat pro persecutoribus suis (4-5); sed impia et mendaci et falsa lingua calumniantur ipsum ejus

---

quasi Psalmista dixisset: Haec sit merces eorum qui mihi adversantur...; ast immerito; sensus enim obvius vocis hebr. est: Hoc opus eorum; imo, etsi verteres: merces, nondum sequeretur pergere hic maledictiones; etenim sensus aptissimus in relatione cum vv. 4-5 esset sequens: Haec est merces eorum qui mihi adversantur, seu: sic retribuunt mihi adversarii mei pro bono quod ego ipsis feci.

adversarii, impugnant eum absque causa et odio habent eum gratis (2-3). Votis suis et opere tamquam judicem constituunt super eum malefactores, Caipham et Pilatum, (v. 6ª); nemo ipsum defendit, sed solus accusator stat juxta illum (v. 6ᵇ); de tribunali exivit condemnatus (v. 7); facta est vita ejus brevis (v. 8ª), noluerunteque agnoscere munus Salvatoris et Messiae ipsi concreditum, sed pseudo-Messiis adhaeserunt (v. 8ᵇ); odium impensum ipsi Jesu et persecutionem extenderunt impii ad filios ejus, discipulos, — ad sponsam ejus, Ecclesiam (9-10); fructum laboris et doloris ejus, animas per ipsum salvatas, volunt ipsi auferre (v. 11); omnem ipsi et sequacibus ejus denegant misericordiam (v. 12), totamque ejus posteritatem, universam Ecclesiam, imo vel nomen ejus, de terra delere desiderant (13); in se uno expianda habuit peccata omnium hominum (14-15). Falsas et absurdas moverunt contra Ipsum et contra Ecclesiam, corpus ejus mysticum, accusationes (16-17), eumque totum maledicto divino devoverunt: pependit in cruce, factus pro nobis maledictum (18-19).

Et quam apte in ore Jesu patientis ponitur oratio subsequens (vv. 20-31): Sic loquuntur et sic agunt inimici mei (v. 20); sed tu, Domine, fac mecum, et da gloriam nomini tuo: nota est enim misericordia tua (v. 21); miser ego sum, Cor meum vulneratum est (22), in eo sum ut peream (23), viribus totus exhaustus sum (v. 24); ecce inimici mei irrident mihi, et movent caput suum super me (v. 25)! Adjuva me (26), pateat omnibus interventus tuus (27). Confunde inimicos meos (28-29), et ego laudabo te in medio Ecclesiae (30), et proclamabo te esse qui a judicibus illis iniquis et a morte quam mihi intulerunt eripuisti animam meam (v. 31) (1).

Una est *difficultas* quae opponi potest huic interpretationi: s. Petrus (Act. Ap. I, 20, coll. 16), et post ipsum ss. Patres, vers. 8: « *Episcopatum ejus accipiat alter* », allegant tamquam verba quae Spiritus sanctus per os David praedixit de Juda, ergo tamquam dicta *a David*,

1) Compara ps. CVIII sic intellectum cum ps. XXI, certe messianico de Christo patiente, et mira apparebit in multis similitudo.

dum in nostra interpretatione essent verba dicta *de David, adversus David* vel adversus Christum. — Haec difficultas nulla esset in sententia quae per tria saecula, usque ad ultima tempora, fuerat valde communis inter theologos et quam, non immerito, dicebant fundari in doctrina Patrum et Scolasticorum, nimirum unum eumdemque textum s. Scripturae posse habere praeter sensum litteralem ab auctore humano intentum, alios adhuc sensus absconditos a Deo intentos; — sed etsi hoc non admitteres, difficultas non est ita insolubilis: diceres enim Jesum in vv. 28-29 orasse ad Deum *ut induerentur confusione adversarii sui*, eumque hanc orationem hoc sensu intellexisse: confusio adversariorum tunc perfecta erit, quando maledictiones quas in Jesum protulerunt, in eis ipsis verificatae erunt; unde meritò s. Petrus et post eum sancti Patres v. 8: *Episcopatum ejus accipiat alter* quasi de Juda dicta allegare potuerunt (1).

Omnibus perpensis nihil impedire putamus ne psalmum CVIII recitantes, Jesum contemplemur, in cruce pendentem: audit hostium suorum blasphemias et maledictiones, et coram Patre animum suum, dolore contritum, effundit.

A. VANDER HEEREN.

(1) Cfr. ZORELL, a. c., pp. 419 s.

E SACRA POENITENTIARIA APOSTOLICA

SECTIO DE INDULGENTIIS

QUAESITA CIRCA INDULGENTIAS ADNEXAS PIAE PRAXI CONSECRANDAE FAMILIAE SACRATISSIMO CORDI IESU (VULGO « INTHRONIZATIO ». (1)

Die 19 maii 1908, Pius X s. m. omnibus fidelibus, qui certa adhibita formula familiam sacratissimo Cordi Iesu consecrarent, concessit: 1° indulgentiam plenariam, die quo hanc consecrationem peragerent, consuetis impletis conditionibus lucrandam; 2° item indulgentiam plenariam deinceps singulis annis, renovata formula consecrationis consequendam. Anno 1913, ab eodem Summo Pontifice novae indulgentiae concessae sunt. Supplicabant scilicet Episcopi Reipublicae Chilensis: « Beatissime Pater, — « Archiepiscopus S. Iacobi de Chile ceterique omnes eius- « dem Reipublicae Praelati Ordinarii, ad pedes S. V. « provoluti humiliter exponunt: Non multo abhinc tem- « pore et magno animarum fructu existit in Republica « Chilena pia praxis consecrandi domos SS. Cordi Iesu, « hoc nimirum modo: Praemonitus habitantibus domus, « statuta die, parochus vel alius sacerdos benedicit ima- « ginem SS. Cordis Iesu, quam collocat in praecipuo loco, « brevem habet conciunculam et recitat cum tota familia « quamdam reparationis et consecrationis formulam. Si « sacerdos adesse non potest, imago prius benedicta collo- « catur, et formula recitatur ab aliqua saeculari persona. « Cum vero multa bona fluant ex hac pia praxi, omnes « supradicti Oratores a S. V. petunt ut, quo magis fruc- « tus augeatur, illam indulgentiis ditare dignetur. Et « Deus, etc. ».

---

(1) Acta Apost. Sedis, t. x, p. 154 ss. Venit apud Desclée-De Brouwer, formulare inthronizationis in lingua vulgari.

Cui quidem supplici libello responsum fuit: « Die 24 « julii 1913. — SSmus D. N. D. Pius div. Prov. Pp. X, « per facultates D. Card. Secretario S. Officii impertitas, « sequentes indulgentias pro Chilenae Reipublicae dioe- « cesibus benigne concedere dignatus est, nempe: 1° Sep- « tem annorum totidemque quadragenarum ab universis « familiae membris lucrandam, die quo instituitur in pro- « propria domo pia praedicta praxis, si corde saltem con- « trito ac devote memoratae ceremoniae adstiterint; « 2° Plenariam, si insuper eadem die confessi ac s. « synaxi refecti iidem fideles aliquam ecclesiam vel publi- « cum oratorium devote visitaverint ibique ad mentem « Summi Pontificis pias preces fuderint; 3° Trecentorum « dierum, item a membris familiae lucrandam quotannis « die anniversario huiusmodi institutionis in propria domo, « si coram imagine actum consecrationis renovaverint. « Praesenti ad decennium valituro. Contrariis quibus- « cumque non obstantibus. — De mandato D. Card. « Secretarii Aloisius Giambene, Subst. pro Indulgentiis ».

Has Indulgentias SSmus D. N. Benedictus div. Prov. Pp. XV, epistola diei 27 aprilis 1915, (1) ad omnes Orbis catholici familias benigne extendit.

Porro a S. Tribunali Poenitentiariae Apostolicae, cui res universa de indulgentiis demandata est, quaesitum fuit:

1° Utrum ad lucrandas indulgentias piae praxi adnexas necessario in singulis domibus, familiae SS. Cordi Iesu per sacerdotem consecrari debeant, an liceat, adunatis familiis, caeremoniam in ecclesia instituere, ubi cum maiori solemnitate et devotione res peragitur?

2° Quando iudicandum sit, sacerdotem adesse non posse ita ut imago SS. Cordis Iesu, prius benedicta, ab aliqua persona saeculari collocari et formula consecrationis recitari possit?

3° Utrum ad lucrandas indulgentias piae praxi adnexas requiratur ut consecrationis formula, Rescripto diei 19 maii 1908 stabilita, (2) adhibeatur?

---

(1) Acta Ap. Sedis vol. VII, pag. 203.

(2) FORMULA CONSECRATIONIS FAMILIAE SS.MO CORDI IESU.

4° Utrum indulgentia trecentorum dierum, de qua in Rescripto diei 24 iulii 1913, taxative adnexa sit diei anniversario consecrationis familiae?

Et S. Tribunal, die 26 februarii 1918, respondendum censuit:

Ad 1m *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam.

Ad 2m Iudicium de hac re prudenti iudicio Ordinarii loci remittitur.

Ad 3m *Affirmative.*

Ad 4m Indulgentia haec lucrifieri potest singulis annis quo die, coram SS. Cordis Iesu imagine, actus consecrationis renovatur.

Quae omnia, subsignata die, in audientia habita ab infrascripto Cardinali Poenitentiario Maiori relata, SSmus D. N. Benedictus divina Providentia Papa XV confirmare et rata habere dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae in S. Poenitentiaria, die 1 martii 1918.

GULIELMUS CARD. VAN ROSSUM, *Poenit. Maior.* L. † S.

F. Borgongini Duca, *Secretarius.*

O sacratissimum Cor Iesu, Tu beatae Margaritae Mariae desiderium regnandi super christianas familias pandidisti: ecce ut Tibi placeamus adsumus hodie, ut plenum tuum super nostram familiam imperium proclamemus. Volumus deinceps tuam vitam vivere, volumus in sinu familiae nostrae florere virtutes, quibus Tu in terris pacem promisisti, volumus longe arcere a nobis spiritum mundi, quem Tu damnasti. Tu regnabis in mente nostra fidei nostrae simplicitate, in corde nostro Tui solius amore, quo flagrabit erga Te et cuius vivam servabimus flammam frequenti divinae Eucharistiae receptione. Dignare, Cor divinum, nobis praeesse in unum convenientibus, benedicere negotiis spiritualibus et temporalibus, arcere molestias, sanctificare gaudia, poenas levare. Si quando misere quis nostrum in tantam aerumnam inciderit ut Te affligat fac in memoriam illi redigas, Cor Iesu, Te cum peccatore, quem poenitet, plenum esse bonitatis et misericordiae. Et quum hora separationis insonuerit et mors in familiae nostrae sinum luctum intulerit, nos omnes, sive abeuntes sive manentes, tuis aeternis decretis nos subiiciemus. Hoc solatio erit nobis, animo recogitare venturum esse diem, in quo tota familia nostra, in caelo coniuncta, tuam gloriam, tua beneficia in aeternum cantare poterit. Dignetur Cor immaculatum Mariae, dignetur gloriosus Patriarcha sanctus Ioseph Tibi hanc consecrationem offerre eiusque vivam in nobis singulis diebus vitae nostrae conservare memoriam.

Vivat Cor Iesu, Regis et Patris nostri!

DECRETA S. CONGR. RITUUM

1. DE LUCIS ELECTRICAE USU IN ECCLESIIS.

Dec. S. Rit. Cong. 24 jun. 1914 (*Act. Ap. Sed.*, VI, 352).

Alicujus de usu lucis electricae postulati occasionem nacta, S. Congregatio " etiam atque etiam R^mos Ordinarios in Domino " hortatur ut pro sua religione invigilent ne S. C. decreta post- " habeantur, et ecclesiarum rectores doceant quae in casu, " juxta decreta, permissa quaeque vetita sunt. "

Summa autem Decretorum haec est : Lux electrica vetita est, non solum *una cum candelis* ex cera super altaribus (4097), sed etiam loco candelarum vel lampadum, quae coram Ss^mo Sacramento vel Reliquiis Sanctorum praescriptae sunt. Pro aliis ecclesiae locis et ceteris casibus, illuminatio electrica, ad prudens Ordinarii iudicium, permittitur, dummodo in omnibus servetur gravitas, quam sanctitas loci et dignitas S. Liturgiae postulant (3859, 4206 et 4210 ad 1). Nec licet tempore expositionis privatae vel publicae interiorem partem ciborii cum lampadibus electricis in ipsa parte interiore collocatis illuminare, ut SS^ma Eucharistia melius a fidelibus conspici possit (4275).

Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 24 iunii 1914.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.

2. DE LAMPADE CORAM SS. SACRAMENTO.

Decr. S. Rit. Cong. 22 febr. 1916 (*Act. Ap. Sed.*, VIII, 72).

Instantibus pluribus Ordinariis locorum, in quibus ad nutriendam lampadem coram SS^mo Sacramento ardentem, ob peculiares circumstantias, sive ordinarias sive extraordinarias, oleum olivarum non habetur vel ob gravem penuriam aut summum pretium, non absque magna difficultate, comparari potest, S. Rituum Congregatio, inhaerens decreto n. 3121, *Plurium Dioecesium*, d. d. 14 iunii 1864, aliisque subsequentibus declarationibus etiam recentioribus, rescribendum censuit : " Inspectis circumstantiis enuntiatis iisque perdurantibus, remittendum prudentiae Ordinariorum, ut lampas, quae diu noctuque collucere debet coram Sanctissimo Sacramento, (1) nutriatur,

(1) Ergo urget — et merito — S. C. legem Ritualis quae praescribit ut " lampades coram tabernaculo plures vel saltem una die noctu- que perpetuo colluceat " (R. R. IV, I, 6).

in defectu olei olivarum, (1) aliis oleis, quantum fieri potest, vegetalibus, (2) aut cera apum pura vel mixta, (3) et ultimo loco etiam luce electrica adhibita (4); si Sanctissimo placuerit „.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Benedicto Papae XV per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem sacri Consilii ratum habens, quoad lampadem accensam ad SS^mum^ Sacramentum debite honorandum praescriptam, in casibus et modis superius expositis, rem omnem prudenti iudicio Ordinariorum, cum facultatibus necessariis et opportunis, benigne remisit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 23 februarii 1906.

A. Card. Ep. Portuen, et S. Ruf., *S. R. C. Pro-Praefectus.*
Alexander Verde, Secretarius.

3. DE COLLECTA PRO RE GRAVI.

A. Decr. S. R. C. 23 Dec. 1914 (*Act. Ap. Sedis*, VII, 27).

Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, nuper proposita sunt; nimirum:

Ex decreto S. R. C., n. 3365. *Clodien.* 7 augusti 1875, ad III, episcopus potest praecipere, ut collecta *pro re gravi*, si revera sit *pro re gravi*, dicatur etiam in duplicibus primae classis: quaeritur:

I. Quando episcopus praescribit collectam *pro re gravi* etiam in duplicibus primae classis, collecta dicendane erit in omnibus et singulis duplicibus primae classis?

II. Si episcopus collectam *pro re gravi* simpliciter praecipiat absque ulla mentione duplicium primae classis, quibus diebus collecta omittenda erit?

Et sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, re sedulo perpensa, propositis quaestionibus ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, exceptis sequentibus diebus; nempe: Nativitas Domini — Epiphania Domini — Feria V in Cena

(1) generatim utendum est oleo olivarum „ Decr. S. R. C. 9 Jul. 1864, n, 3121; in append. I Rit. Rom.

(2) Ex eodem decreto.

(3) Decr. 4205 et 4230.

(4) Ita aliquatenus propter specialem necessitatem, minuit severitatem prohibitionis latae in decreto sub n. 1 relato. Sed necessitate recedente redeatur ad usum olei olivarum vel saltem vegetalis. Agitur enim de cultu sanctissimi Sacramenti!

Domini — Sabbatum Sanctum — Pascha Resurrectionis — Ascensio Domini — Pentecostes — Festum Ss^mae Trinitatis et Festum Ss^mi Corporis Christi.

Ad II. In omnibus duplicibus primae classis, in vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes, et in Dominica Palmarum.

B. Decr. S. R. C. (*Lauden.*) 16 febr. 1918 (*A. Ap. Sed.*, X, 107).

Evulgato Decreto Sacrorum Rituum Congregationis, diei 23 decembris 1914, de collecta imperata ab Ordinario *pro re gravi*, nuper in Dioecesi Laudensi quaedam dubia exorta, ab hodierno ipsius Dioecesis caerimoniarum magistro, de mandato sui R^mi Episcopi, eidem Sacrae Congregationi, pro opportuna solutione, proposita sunt ; nempe :

I. An in festis duplicibus I et II classis, collecta *pro re gravi* dicenda sit sub unica conclusione cum missae oratione ?

II. An in missa concessa de sacratissimo Corde Jesu, prima sexta feria cuiusvis mensis, in qua missa dicitur unica oratio, recitanda sit collecta imperata *pro re gravi ?* Et quatenus affirmative, an etiam sub unica conclusione ?

III. An quotiens in missa diei facienda sit aliqua commemoratio, Collecta *pro re gravi* adiungi debeat orationi missae sub unica conclusione ; an potius dicenda sit post ultimam commemorationem ?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito specialis Commissionis suffragio, propositis dubiis ita rescribendum censuit :

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad III. Quoad primam partem *negative*, et provisum in praecedentibus, quoad secundam *affirmative.*

Adnotanda. Ex hoc altero decreto ad II et III concludere licet: collecta imperata al Ordinario *nunquam* jam dicenda est cum alia oratione *sub una conclusione.* Regulam integram de diversis collectis imperatis habes in Calendario liturgico Brugensi, inter Praenotanda, p. 16.

4. **LECTIONES HISTORICAE CONTRACTAE.**

Decr. S. Rit. Cong. 24 junii 1914 (*Act. Ap. Sed.*, VI, 553).

Cum festa Ecclesiae universalis saepe saepius ob occurrentiam sive perpetuam sive accidentalem cum festo seu officio nobiliore alicuius particularis ecclesiae ita maneant impedita, ut tantum commemoratione atque unica Lectione gaudeant,

sacra Rituum Congregatio variis Ordinariorum petitionibus satisfactura, ad tramites decreti 25 maii 1904 ad IV, de festis seu officiis enunciatis unicam lectionem, ut plurimum ex tribus contractam, redigendam curavit, eamque revisam ac rite probatam, prout res postulabat, benigne concessit. Ex hisce singulis lectionibus praesens Collectio exorta est, quam, de mandato SS^mi^ D^ni^ nostri Pii Papae X, ipsa sacra Congregatio pro rei necessitate et opportunitate in vulgus edi statuit ac decrevit; easdemque lectiones iuxta rubricas adhiberi posse ac debere declaravit. Praesens autem decretum approbationis et concessionis pro utroque clero aliisque, quatenus opus sit, sacra eadem Congregatio huic collectioni praefigi voluit ac iussit. Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Die 24 iunii 1914.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.

Adnotanda. Collectio, de qua in decreto, prodiit sub titulo: « *Lectiones pro festis Universalis Ecclesiae commemoratis ad Matutinum legendae juxta Rubricas* ». Obtineri potest in uno libello edita, sed etiam in quatuor fasciculos distributa pro quatuor Breviarii partibus, qui possunt simul cum Breviario religari.

Quando aliquod festum novem lectionum perpetuo aut accidentaliter impeditur praestantiore novem lectionum officio, de festo impedito et simplificato dicenda generatim est nona lectio. (1) Pro hac autem antea recitandae erant tres lectiones historicae II^i^ nocturni, in unam conjunctae: nunc autem S. Rit. Cong. ex tribus illis confecit unam breviorem *lectionem contractam*, quae ex praecedenti decreto recitari potest tam in recitatione tam privata quam publica, loco trium lectionum quae in Breviario exstant. Imo « accedente Ordinarii mandato dici debent in publica Breviarii recitatione » (2)

Quaedam ex illis lectionibus *quotannis* legendae occur-

(1) Non tamen si officium impediens sit duplicis I classis, aut dominicae etiam anticipatae vel repositae, vigiliae Pentecostes, aut octavae SS. Corporis Christi, aut quando sumenda est IX lectio de homilia feriae aut vigiliae occurrentis, aut IX lectio officii nobilioris pariter commemorati.

(2) Rubrica posita in limine hujus collectionis.

runt, iis nempe diebus quibus festum universalis Ecclesiae perpetuo seu singulis annis impeditur et est simplificandum ob occurrentiam praestantioris festi proprii. a) Quodsi hoc festum est proprium *dioeceseos* vel Ordinis, lectio contracta de festo universalis Ecclesiae impedito pro nona lectione recitanda erit ab omnibus sacerdotibus dioeceseos vel Ordinis: et ideo solent illae lectiones inseri in Proprio dioeceseos, vel Ordinis, ut v. g. in Proprio dioeceseos Brugensis inseruntur loco suo lectiones contractae S. Joannis Chrysostomi (23 jan.), S. Titi (6 febr.), S. Romualdi (7 febr.), S. Rosae (30 Aug.) etc. — b) Si autem agatur de festo universalis Ecclesiae quod impeditur et simplificatur ob occurrentiam praestantioris officii *proprii alicujus ecclaesiae particularis*, v. g. Patroni loci vel Titularis ecclesiae, quotannis pro nona lectione recitandae erunt tres lectiones historicae festi simplificati per modum unius, vel una lectio brevior contracta : sed haec non inseritur in Proprio dioeceseos, Sacerdotes igitur praefatae ecclesiae adscripti recurrere debent ad collectionem lectionum contractarum de qua hic agimus.

Quando autem IX lectio historica legenda est ob occurrentiam *accidentalem* — quae non quotannis recurrit — praestantioris officii, etiam tunc lectio contracto adhiberi potest, etiamsi in calendario indicetur tres lectiones esse in unam contrahendas. Sed illa inveniri potest tantum in collectione de qua agimus.

5. DE OCTAVA FESTI SS. PETRI ET PAULI IN URBE.

Rescriptum S. R. C. 11 Aug. 1915 (*A. A. S.*, VII, 441).

"... Sanctitas Sua... Octavam festi 29 junii SS. Petri et Pauli App., almae Urbis Patronorum principalium, pro universo clero in hac ipsa Urbe ejusque districtu degente, tam saeculari quam regulari, etiam calendarium proprium habente, privilegiatam tertii ordinis statuit ac declaravit „ (1).

---

(1) Cf. etiam decret. S. R. C. 22 maii 1914 (A. A. S., VI, 315.)

6. **DE OCTAVIS SIMPLICIBUS.**

Decr. S. R. C. 18 jan. 1918 (*A. A. S.*, X, 69).

A Sacrorum Rituum Congregatione sequentium Dubiorum solutio expostulata fuit, nimirum:

I. An Decretum S. R. C. diei 7 augusti 1914, ad 2, statuens quod si infra octavam simplicem Nativitatis B. M. V. dicenda sit missa votiva eiusdem B. M. V. legatur missa ut in festo Nativitatis B. M. V. cum Gloria, sed sine Credo, extendatur ad alias infra Octavas simplices?

Et, quatenus *affirmative:*

II. An infra octavam simplicem, de qua peragenda non est commemoratio in officiis occurrentibus, omitti debeant suffragium et preces?

Et quatenus *negative:*

III. An saltem in officio diei octavae simplicis omitti debeant suffragium et preces?

IV. An Symbolum, dicendum in missa festi, ratione non dominicae aut octavae, sed ipsius festi, in missa diei octavae simplicis eiusdem festi omitti debeat?

V. An praefatio propria missae festi, legi etiam debeat in missa diei octavae simplicis eiusdem festi?

Sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, reque accurate perpensa, ita respondendum censuit:

Ad. I. *Affirmative.*

Ad. II. *Negative.*

Ad. III. *Affirmative,* iuxta Rubricas novi Breviarii typici.

Ad. IV. *Affirmative.*

Ad. V. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit et declaravit, die 18 ianuarii 1918.

Adnotanda. Octava simplex, h. e. octava festi duplicis non I sed II classis, est octava quae, ut pro plurimis festis sanctorum fieri solebat in antiquiori medio aevo, celebratur solummodo in ipsa die octava, sed de qua nihil fit in diebus inter diem primam festi et diem octavam.

In diebus ergo infra octavam preces et suffragium non sunt omittenda ratione octavae (ad II), sicut omittitur commemoratio octavae et praefatio propria octavae. In uno tantum puncto festum, quod aliquo modo usque ad diem octavam protrahitur, influxum exercet in liturgiam diem festum inter et diem octavam. Si nempe his diebus cele-

branda sit missa de sancto cujus est octava simplex, haec missa erit quidem votiva quia non concordat cum officio, sed ob influxum ipsius festi quod nondum penitus est absolutum, celebrabitur missa festi praecedentis cum *Gloria* more festivo, sine *Credo* tamen, quia symbolum supponit aliquam solemnitatem (1) et missa votiva privata est ritus simplicis. Haec regula quae antea, decr. 7 aug. 1914, ad II, data fuerat pro octava Nativitatis B. M. V., jam statuitur modo generali (ad I).

In ipsa autem die octava, omittuntur preces et suffragium (ad III), dicitur praefatio propria octavae (ad V) etiam in missa festi occurrentis si haec propriam praefationem non habet. Symbolum tamen festi omittitur in die octava simplici (ad IV) quia dies octava est ritus tantum simplicis.

C. CALLEWAERT.

---

(1) Cf. Collat. Brugen, t. XVII, 715.

SUPREMA S. C. S. OFFICII

DE SPIRITISMO (1)

Feria III, loco IV, die 24 aprilis 1917

In plenario conventu habito ab Emis ac Rmis Dnis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, proposito dubio: " An liceat per *Medium*, ut vocant, vel sine „ *Medio*, adhibito vel non hypnotismo, locutionibus aut mani- „ festationibus spiritisticis quibuscumque adsistere, etiam „ speciem honestatis vel pietatis praeseferentibus, sive inter- „ rogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive „ tantum aspiciendo, etiam cum protestatione tacita vel expressa „ nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle „. — Iidem Emi ac Rmi Patres respondendum decreverunt: « *Negative in omnibus* ».

Et Feria v, die 26 eiusdem mensis, Ssmus D. N. D. Benedictus Div. Prov. PP. XV relatam sibi Emorum Patrum resolutionem adprobavit.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 27 aprilis 1917.

Aloisius Castellano, *S. R. et U. I. Notarius.*

I

DECRETUM

CIRCA « LES FAITS DE LOUBLANDE » (2)

" In generali consessu habito feria IV, die 10 martii 1920, facta relatione de praetensis visionibus, revelationibus, prophetiis, etc., quae sub appellatione *Les faits de Loublande* evulgantur, et examinatis scriptis quae ad eadem referuntur, Emi ac Remi Dni Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, praehabito DD. Consultorum voto, decreverunt: " Mature perpensis omnibus, S. Congregatio declarat praetensas visiones, revelationes, prophetias, etc., quae sub appellatione *Les faits de Loublande* vulgo designari solent, necnon scripta quae ad eadem referuntur, non posse probari ;„

(1) Acta Apost. Sedis, IX (1917), p. 268.
(2) Ibidem, XII (1920), p. 113.

Et insequenti feria v, die 11 ejusdem mensis et anni, Sanctissimus D. N. Benedictus divina Providentia Papa XV, in solita audientia R. P D. Assessori S. Officii impertita, resolutionem Emorum ac Rmorum Patrum approbavit, confirmavit et in *Acta Apostolicae Sedis* referri praecepit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 12 martii 1920.

II

CIRCA « LES FAITS DE LOUBLANDE » (1)

Post promulgatum in *Actis Apostolicae Sedis* (an. XII, vol. XII, n. 4 pag. 113, I), sub die 12 martii anni currentis, Decretum Sancti Officii circa *praetensas visiones, revelationes, prophetias,* etc., *quae sub appellatione : « Les faits de Loublande » vulgo designari solent, nec non scripta quae ad eadem referuntur,* latum die 10 eiusdem mensis et sequenti die 11 a SSmo Domino Nostro adprobatum et confirmatum, nonnullae in quibusdam diariis et periodicis gallicis gallicae ipsius versiones atque interpretationes et explanationes editae sunt, quae inditum in eo atque a Sacra Congregatione expresse intentum eorumdem factorum scriptorumque reprobationis sensum penitus excludere seu ad simplicem *defectum adprobationis iuridicae* ex parte Supremae Auctoritatis Ecclesiasticae coarctare nituntur. Ne ex arbitrariis et falsis huiusmodi versionibus, interpretationibus et explanationibus fideles in errorem circa genuinam Sacrae Congregationis mentem forte inducantur, Emi ac Rmi Dni Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, probante Sanctissimo, authenticam, quae sequitur, praefati Decreti gallicam versionem publicandam mandarunt.

DÉCRET TOUCHANT « LES FAITS DE LOUBLANDE »

Dans l'assemblée plénière du mercredi 10 mars 1920, relation faite des prétendues visions, révélations, prophéties, etc., vulgairement connues sous les nom de *faits de Loublande,* et les écrits qui s'y rapportent ayant été examinés, les Eminentissimes et Révérendissimes Cardinaux Inquisiteurs Généraux en matière de foi et de mœurs, après le vote préalable des Consulteurs, ont décrété : “ Toutes choses mûrement pesées, la

---

(1) Acta Apost. Sedis, XII (1920), p. 294 s.

„ S. Congrégation déclare que les prétendues visions, révéla-
„ tions, prophéties, etc., vulgairement comprises sous le nom
„ de *faits de Loublande*, ainsi que les écrits qui s'y rapportent,
„ ne peuvent être approuvés „.

Et le jeudi suivant, 11 du même mois, Notre Très-Saint Père le Pape Benoît XV, dans l'audience ordinaire accordée au Révérendissime Assesseur du S. O., a approuvé et confirmé la résolution des Eminentissimes et Révérendissimes Pères, et en a ordonné la publication dans les *Acta Apostolicae Sedis*.

" Donné à Rome, du Palais du Saint-Office, le 12 mars 1920.

" L. Castellano,

« *Notaire de la Sup. Congr. du Saint-Office* ».

ACTA S.S. BENEDICTI PP. XV

CIRCA DOCTRINAM SANCTI THOMAE

I. Rescriptum ad Praepositum Generalem S. J.

Beatissime Pater,

Ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter peto ut Sanctitas Vestra ad dubia omnia tollenda responsum datum a p. m. P. Generali Martin in quaestione de reali inter essentiam et existentiam distinctione approbare benigne dignetur. Responsum vero fuit sequens :

« Sententia realis distinctionis inter essentiam et existentiam, prouti sententia contraria, est in Societate libera et unicuique licet eam sequi et docere, sub hac tamen duplici conditione: 1° Ne eam quasi fundamentum faciat totius philosophiae christianae atque necessariam asserat ad probandam existentiam Dei ejusque attributa, infinitudinem, etc., et ad dogmata rite explicanda et illustranda. 2° Ne ulla nota inuratur probatis et eximiis Societatis Doctoribus, quorum laus est in Ecclesia ».

Et Deus.

Romae, die 9 martii 1915.

W. Ledochowski,
Praep. Gener. Soc. Jesu.

Praedictum responsum R. P. Martin novimus exaratum fuisse juxta mentem Leonis XIII fel. rec. ideoque illud approbamus et nostrum omnino facimus.

Ex aedibus Vaticanis die 9 martii 1915.

BENEDICTUS PP. XV.

II. EPISTOLA AD PRAEPOSITUM GENERALEM S. J.

DILECTO FILIO WLODIMIRO LEDOCHOWSKI PRAEPOSITO GENERALI S. J. — BENEDICTUS PP. XV, Dilecto Filio Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quod de fovenda divi Thomae doctrina sollicitus tuam Societati Jesu aperire mentem deliberaveris, scriptamque in id epistolam, antequam Sodalibus mitteres, Nobis officiose subjeceris, grate admodum et opportune fecisti.

Quî enim, ut nosti, complures usque adhuc occasiones studiose quaesivimus edicendi publice quantum Nobis cordi sit honorem disciplinae Aquinatis catholicis in scholis debitum haberi, fieri non poterat ut non libenter praeceptiones legeremus, quibus aptam et consentaneam ipse etiam operam confers optatis nostris explendis.

Neque minus jucunde animadvertimus aequa te lance rationum momenta perpendisse quibus, quem ad modum opporteat a sancti Thomae doctrinis esse, hinc inde disceptando contenditur.

Quo quidem in judicio recte Nos te sensisse arbitramur, cum eos putasti Angelico Doctori satis adhaerere, qui universas de Thomae doctrina theses perinde proponendas censeant, ac tutas ad dirigendum normas, nullo scilicet omnium amplectendarum thesium imposito officio.

Ejusmodi spectantes regulam, possunt Societatis alumni jure timorem deponere ne eo quo par est obsequio jussa non prosequantur Romanorum Pontificum, quorum ea constans sententia fuit, ducem ac magistrum in theologiae ac philosophiae studiis Sanctum Thomam haberi opus esse, integro tamen cuique de iis in utramque partem disputare de quibus possit soleatque disputari.

Haec si fiant, illa certe summopere probanda consequentur bona, ut cum fratrum caritas ab offensione custodiatur,

tum debita in Vicarium Christi observantia Veneratioque vigeat; quae quidem, si nulli non praecepta christiano est, at vero peculiari quodam officio censenda est Societatem Jesu perstringere.

Nos autem compositis dissidiis additisque cognitioni veri animis, non modo sacrarum disciplinarum exstituram inde progressionem speramus, verum etiam sodalitatem ipsam, tam bene de Ecclesia meritam, profecturam, exemploque et Angelici Doctoris asseclis et caritatis divinae studiosis futuram confidimus.

Auspicem caelestis gratiae Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam benedictionem tibi, Magistris omnibus ac Sodalibus universis ex animo impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 19 martii 1917, Pontificatus Nostri anno tertio.

BENEDICTUS PP. XV

LÉGISLATION CIVILE

MARIAGE DES OFFICIERS. — DOT

Le Moniteur Belge (1) publie l'arrêté royal suivant, daté du 24 Mars 1920 :

" Il ne sera plus exigé de dot ni de garantie dotale en ce qui concerne le mariage des officiers et assimilés ".

(1) Moniteur Belge, 3 avril 1920, p. 2529.

BULLETIN DE MUSIQUE RELIGIEUSE

I.

ACTES OFFICIELS.

Cantus Passionis. — Antiphonale. — Præfationes in festis et missis votivis S. Joseph et in missis defunctorum. — Decreta S. C. Rituum.

1° En 1917, a paru à la Polyglotte de Rome une édition officielle du Chant de la Passion. En voici le titre complet: *Cantus Passionis D. N. J. C. secundum Mathaeum, Marcum, Lucam et Joannem,* SS. D. N. Benedicti XV jussu restitutus et editus, ex editione authentica excerptus.

Il en existe deux éditions; l'une, petit in-8°, 96 p., fr. 2,50; l'autre, petit in-folio (23 × 33 , sur papier à la main, en caractères rouges et noirs, fr. 10. Dans les deux, le chant de la passion des quatre évangélistes est noté en entier. La seconde édition, spécialement à l'usage des églises, est très pratiquement divisée en trois fascicules, où, avec le texte complet, se trouvent dans le 1er, le chant noté du récitant (Chronista), dans le 2d, la partie du Christ, dans le 3e, la partie de la Synagogue. Au premier fascicule est ajoutée *ad libitum* une manière plus riche de chanter *in tono Evangelii* la dernière partie de la Passion.

Il faut reconnaître à cette publication la même valeur juridique qu'aux autres éditions officielles des livres de chant liturgique. Nous n'hésitons donc pas à la considérer comme *obligatoire* pour toutes les Églises où le rite Romain est en usage.

Il n'en est pas de même de la nouvelle façon de chanter la dernière partie de la Passion. Celle-ci est facultative et ne pourrait du reste être exécutée que par des voix bien exercées, capables de rendre avec souplesse les ondulations d'une ligne mélodique particulièrement ornée. Le chantre qui ne se connait pas la capacité voulue pour choisir cette modulation plus difficile, devra chanter la finale de la Passion sur un ton de l'Évangile dont la teneur est la même que celle du chant de la Passion (1), comme le recommande expressément une remarque de l'édition officielle.

---

(1) C'est-à-dire, le 1er ou le 2d ton de l'Évangile, indiqués par le Cantorinus et non le ton plus ancien qui vient en troisième lieu.

Faisons observer que le chant authentique de la Passion se rapproche sensiblement de celui qui est en usage dans notre diocèse. C'est d'abord la même teneur aux trois voix; ce sont, sauf de légères corrections, les mêmes cadences finales et les mêmes formules musicales au double point. La formule de l'interrogation est différente; toutes les phrases et les incises ont une note d'introduction; les paroles les plus solennelles du Christ sont soulignées par une modulation propre qui correspond mieux à leur caractère.

Bref ce chant ne présente aucune difficulté spéciale. Il se caractérise par sa simplicité et sa grandeur. Bien exécuté, il est de nature à faire sur les fidèles une impression profonde.

2° Par décret U. et O. du 9 avril 1919 (1), la Congrégation des Rites a publié le texte de deux préfaces propres, l'une aux Messes des défunts, l'autre aux Messes de St Joseph. Ces préfaces, obligatoires pour l'Église universelle, devront être insérées dans les futures éditions du Missel.

Ces préfaces avec ou sans chant ont été publiées dans le format in folio (27×18) par la Typographie Vaticane.

3° La même firme a fait paraître en 1919 une nouvelle édition de l'*Antiphonaire: Antiphonale pro horis diurnis a Pio X restitutum et editum et SS. D. N. Benedicti XV auctoritate recognitum et vulgatum*, Romae, Typis polyglottis Vaticanis, in-8, xx-784-[108]-98*. F. 15.

Les modifications correspondent aux réformes introduites dans le calendrier liturgique et dans l'ordonnance des fêtes par la S. Congrégation des Rites. Ainsi les fêtes *pro aliquibus locis* ont été supprimées (2).

4° Quelques décrets relatifs au chant grégorien et à la musique religieuse ont été insérés dans les *Acta Apostolicae Sedis*.

a) Un décret du 14 mai 1915 (3) se rapporte aux syllabes hypermétriques ou survenantes dans le chant des hymnes. On entend par syllabe hypermétrique une syllabe supplémentaire qui excède le nombre régulier du mètre, par ex., O sola magnà*rum* urbium.

A leur sujet la question suivante a été posée à la Congréga-

(1) Acta Apost. Sedis, 1919, t. XI, p. 190 s. Voir une petite étude sur le texte de la nouvelle préface des morts, dans la Revue grégorienne, 1920, t. IV, p. 27 s.

(2) Ces offices viennent d'être publiés en un fascicule spécial: Officia propria pro aliquibus locis. Supplementum ad Antiphonale Vaticanum. Romae, 1920, in-8, IV-51 p. F. 4.

(3) Acta Apost. Sedis, 1915, t. VII, p. 237.

tion des Rites: " An regula descripta in Antiphonario Vaticano (1) circa syllabas hypermetricas, quae frequenter occurunt in cantu hymnorum, scilicet quod ipsae non elidantur, sed distinctae pronuncientur propriaque nota cantentur, stricte et rigorose interpretanda sit, vel e contra liceat etiam ipsas syllabas elidere, praesertim si in praxi id facilius et convenientiüs censeatur ? „ La Congrégation a répondu : " Negative ad primam partem, affirmative ad secundam „.

Donc, bien que l'édition vaticane, pour se conformer à l'ancienne tradition, pose en règle générale que les syllabes hypermétriques doivent se prononcer et se chanter sur une note survenante, cependant la suppression de ces syllabes par élision ou contraction est dorénavant autorisée.

b) Un décret du 18 mai 1917 (2), émané de la S. Congrégation des Rites, défend d'ajouter à l'orgue employé à l'usage liturgique les instruments connus sous le nom de *Campane tubolari,* sonnettes tubulaires, en vertu du *Motu proprio* de Pie X, *de musica sacra,* tit. VI. n. 18 et 19 et des déclarations subséquentes de la Congrégation des Rites.

c) Une réponse de la même Congrégation, en date du 1 août 1917 (3), confirme la licéité de l'emploi des éditions de chant liturgique en notation moderne, *in commodum cantorum, praesertim in ecclesiis ruralibus ;* licéité reconnue précédemment par le décret du 11 août 1905 (n. 4166). La seconde partie de la réponse déclare que le décret du 11 avril 1911, inséré sous le n° 4265 des *decreta authentica* S. C. R., mais qui n'avait pas été publié par les *Acta Apostolicae Sedis*, reste en vigueur. Il faut conséquemment reconnaître la licéité des indications rythmiques ajoutées aux éditions de chant grégorien par autorité privée et avec l'approbation de l'Ordinaire du lieu. Ces éditions sont permises *in subsidium scholarum cantorum* et à condition que les autres décisions romaines sur la restauration grégorienne soient observées.

d) Une déclaration de la S. Pénitencerie Apostolique, du 21 juillet 1919 (4) se rapporte au chant indulgencié des *Litanies de la Très Sainte Vierge.*

On a proposé à ce Saint Tribunal le doute suivant:

Dans certains lieux la coutume a prévalu de chanter les

(1) Voir dans l'édition de 1919, p. 51*.
(2) Acta Apost. Sed., t. IX, p. 352.
(3) Acta Apost, Sed., l. c., p. 396.
(4) Ibid., 1920, t. XII, p. 18.

Litanies de Lorette: 1° en ne disant qu'une fois *Kyrie eleison, Christe eleison, Christe audi nos, Christe exaudi nos*; 2° en unissant trois invocations sous un seul *ora pro nobis*; 3° en disant une seule fois *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine, exaudi nos Domine, miserere nobis.*

Étant donné le canon 934, § 2 (1) du code de droit canon sur les additions, soustractions ou interpolations des prières indulgenciées, on demande si les fidèles peuvent de la sorte gagner les indulgences attachées aux Litanies.

La Pénitencerie a répondu: *Négativement*, et S. Sainteté le Pape Benoit XV en approuvant cette décision y a fait ajouter la déclaration suivante: " La coutume en question ne peut être approuvée et les Ordinaires devront aviser avec prudence à la faire disparaître là où elle est en usage „ (2).

II.

ÉDITIONS DE CHANT LITURGIQUE ET DE MUSIQUE SACRÉE.

JOACHIM, VESPERALE. — ÉDITIONS GABALDA-LETHIELLEUX-BIAIS. — ÉDITIONS DESCLÉE ET Cie. — LES PETITES FEUILLES GRÉGORIENNES. — ŒUVRES MUSICALES DE M. L'ABBÉ VAN NUFFEL. — LAUDATE. RECUEIL DE PIÈCES POUR ORGUE PAR M. DE PUYDT.

Autrefois d'aucuns s'étaient plaints que les éditions du *Vesperale* ne donnaient pas aux chantres toutes les facilités désirables pour assurer une adaptation correcte et facile du texte des psaumes aux mélodies nouvelles imposées par l'Édition Vaticane.

Le *Vesperale* (3) de M. le chanoine JOACHIM, maître de chapelle à l'église cathédrale de Tournai, comble très heureusement cette lacune. On y trouve la notation entière de tous les psaumes pour les vêpres des Dimanches, des fêtes de 1re et

(1) Voir le décret du S. O., Section des indulgences, 22 juin 1916, Acta Apost. Sed., 1916, t. VIII, p. 265; Collat. Brug., t. XX. p. 149.

(2) Voir dans la Revue de chant grégorien, 1920, t. XXIII, p. 153 ss., 183 s., quelques éclaircissements d'ordre historique et disciplinaire sur la façon de chanter les Litanies (à suivre).

(3) Vesperale pro Dominicis et festis I et II classis cum psalmis integre notatis et Completorium juxta regulas quas " Cantorinus „ Vaticanus explanavit, Tournai, Casterman, 1917, in-8, xxxvi-601 p. F. 7.20.

2me classe et des Communs des Saints, avec les antiennes, capitules, hymnes, oraisons et commémoraisons fixes. L'éditeur y a ajouté les complies également notées en entier des Dimanches et des Fêtes. Il a aussi fait œuvre utile en donnant, en latin et en français, les titres des fêtes, les rubriques et quelques règles indispensables pour la bonne exécution de la Psalmodie.

Clergé, chantres, fidèles ont ainsi à leur disposition un Vespéral très pratique, bien imprimé, d'un maniement facile et à un prix très avantageux. Cette édition leur permettra de participer à l'office avec aisance et sûreté et de jouir ainsi, comme le fait remarquer l'éditeur dans sa préface, de ce recueillement parfait que désire la prière et qui ne s'accommode guère de l'effort incessant.

Nous souhaitons grand succès à ce *Vesperale* de M. le chanoine Joachim; ce sera tout à l'avantage de la restauration grégorienne.

2. La Société d'éditions du chant grégorien Gabalda-Biais-Lethielleux vient de faire paraître un *Paroissien grégorien* (1) que nous recommandons avec conviction. Il comprend, en effet, non seulement la *grand'messe*, les *vêpres* et *complies* de tous les Dimanches et principales fêtes de l'année, mais encore celles d'autres fêtes qui, bien que n'étant du rite double-majeur, sont célébrées en de nombreuses églises, comme Notre-Dame de Lourdes, la Compassion de la sainte Vierge, saint Martin. De plus, il est *le seul Paroissien* à donner les *matines* et *laudes* de Noël; Jeudi, Vendredi et Samedi saints; Pâques; Pentecôte; Saint Sacrement; Office des morts (y compris le nouvel office du 2 novembre), les *laudes* d'autres fêtes, telles que celles du Sacré-Cœur. Enfin un appendice contient un bon nombre de chants divers pour les *saluts*, *processions*, la *confirmation*, et des prières diverses. Toutes les lectures des prophéties, épîtres et évangiles, chantées à la messe y sont données avec le texte latin et la traduction française; les titres et rubriques sont également latin-français.

Le chant grégorien est intégralement reproduit selon l'Édition vaticane; pour les pièces que cette édition n'a pas données, elles sont soit reproduites, avec autorisation spéciale, d'après l'Edition de Solesmes, soit spécialement transcrites ou

(1) Paroissien grégorien ou Livre de Messe et d'Office noté selon le chant grégorien de l'édition vaticane. Paris, 1919, in-18, 1516 p. Fr. 10.

corrigées sur les manuscrits et les éditions originales par M. A. Gastoué.

L'édition est soignée, le prix modique. On pourrait désirer un peu plus de netteté dans l'impression de la notation grégorienne.

La même firme a publié une réédition des *Chants ordinaires de l'Office divin, spécialement à l'usage de la jeunesse* (1). Ce recueil très varié comprend pour l'*Office du matin* : prières usuelles; Ordinaire de la Messe ; Introïts et alleluias des principales fêtes; Messes pour les morts et ordre des funérailles — pour l'*Office du soir :* Tons des Psaumes, Vêpres. Complies, Antiennes à la Vierge ; Vêpres des Morts; Propre du temps et des Saints; commun des Saints ; chants pour les bénédictions du Très Saint Sacrement; Psaumes et Cantiques.

3. On sait que le 21 octobre 1918, des équipes de soldats allemands sont venues, par ordre supérieur, dévaster et incendier méthodiquement l'imprimerie de la Société St-Jean l'Évangéliste à Tournai : En quelques heures, bâtiments, outillage, bibliothèque, manuscrits, archives, tout était détruit. Le désastre parut d'abord irréparable. Mais l'énergie et le courage des administrateurs de la Société surmontèrent toutes les difficultés que présentait la restauration de leur entreprise. Et aujourd'hui après une année d'efforts, le travail a repris et dès maintenant l'Imprimerie Saint-Jean peut fournir : le *Paroissien romain* (2) dont les *Collationes Brugenses* ont précédemment fait valoir toutes les qualités ; le *Manuel de l'Office divin* (3) et l'édition latine correspondante de ce volume sous le titre de *Manuale divini Officii* (4). Ce manuel est un livre très pratique contenant tout le *Kyriale*, le Propre des Messes des principales fêtes les chants des fonctions spéciales pendant l'année, Bénédictions des cierges, des cendres, des rameaux. etc.) : les Vêpres des Dimanches et des principales fêtes : des chants variés pour les Saluts, etc. D'autres publications suivront, le *Liber usualis* édition latine correspondante au Paroissien; l'Office des morts etc. La même firme a fait reparaître la *Revue Grégorienne*

---

1) In-18, 276 - 16 p. F. 3, cartonné.

(2) Paroissien Romain contenant la Messe et l'Office pour tous les Dimanches et Fêtes de 1re et 2me classe. Chant grégorien avec signes rythmiques, in-12, 1650 p. F. 12,00.

(3) Manuel de l'office divin à l'usage des paroisses. Chant grégorien extrait de l'édition vaticane et des livres de Solesmes, un vol. in-18 (17×11 c.), 880 p. F. 6,50.

(4) Mêmes format, caractères et prix que le précédent.

dont la publication a été interrompue par la guerre. La lecture en est instructive et intéressante ; mais le programme en est trop peu varié. La question des signes rythmiques en constitue le numéro prépondérant.

4. A ceux qui désireraient des pièces grégoriennes détachées du Graduel ou de l'Antiphonaire nous nous plaisons à signaler " *Les petites feuilles grégoriennes* ", contenant des chants pour la Messe (Commun et Propre), les Vêpres, les Saluts, à 0,15 l'exemplaire ; 1,60 la douzaine ; 9 frcs le cent (1). Les commandes doivent être adressées. 22 rue du Lycée, Grenoble, aux bureaux de la *Revue du Chant Grégorien*. Nous recommandons chaudement à cette occasion ce périodique si brillamment rédigé par Dom David, O. S. B. Chaque fascicule bi-mensuel contient des études théoriques et pratiques de toute première valeur. L'abonnement est de 7 frcs pour l'Union postale.

5. C'est pour nous une véritable satisfaction que de pouvoir annoncer ici les dernières compositions musicales de M. l'abbé Van Nuffel, Directeur de l'École interdiocésaine de musique religieuse de Malines. Ces œuvres se distinguent par une compréhension profonde du texte sacré, par la richesse de l'harmonie et du contrepoint, par la variété des rythmes, par un développement thématique varié et respectant le caractère propre de chaque morceau, par certains procédés originaux et impressionnants, tel l'intervention de la partie de l'orgue faisant réponse aux parties vocales et remplissant souvent le rôle d'un double chœur.

Signalons deux recueils de splendides motets (2), pour voix égales et mixtes, construits pour la plupart sur des thèmes grégoriens ; une Messe en l'honneur de la Ste Trinité pour 4 voix égales (3), trois cantiques flamands très pieux, très suaves

---

(1) Il existe une édition avec accompagnement par M. l'abbé Brun, chez Janin, frères, rue du Président Carnot, Lyon, à 3 frcs le fascicule.

(2) Cantica Sacra ad IV voces aequales cum organo. P. I. Op. 13 (Alleluia, Ascendit Deus ; Alleluia, Veni Sancte Spiritus ; Alleluia, Caro mea ; O Doctor optime ; Parce Domine ; Regina cœli lætare) Leodii-Mechliniæ, Dessain, in-4, 32 p. F. 4. — Cantica sacra ad IV voces cum organo. P. II. Op. 14 (Ave Verum ; O Quam suavis ; Ave regina cœlorum ; Signum magnum ; Adorna thalamum ; Illuminare Jerusalem ; Alleluia, Assumpta est Maria ; O Amator castitatis) Leodii-Mechliniæ, Dessain, in-4, 40 p. F. 5.

(3) Missa in honorem SS. Trinitatis ad 4 voces aequales organo comitante, Bruxelles, Ledent-Malay, partition Fr. 6 ; part. sép. Fr. 1.

et très artistiques en l'honneur de la T. S. Vierge. (1)

6. L'École de musique religieuse de Malines peut aussi se glorifier de posséder en M. De Puydt un musicien de grand mérite, pour qui la composition n'a plus de secrets. La collection de morceaux pour orgue (sans pédales à 2, 3 et 4 voix dans tous les tons qu'il vient de publier (2), a sa place obligée dans toutes les maîtrises et dans tous les jubés.

III.

LIVRES SUR LE CHANT LITURGIQUE

Gondal, Parlons ainsi de la voix et du geste. — Borremans, Le chant liturgique traditionnel des Prémontrés. — L. D. S, Le chant de la sainte église. — D. L. David, Méthode pratique de chant grégorien. — Gastoué, Cours théorique et pratique de chant grégorien.

1° Pour donner une idée suffisamment compréhensive du livre de M. Gondal, S. S., il nous suffira d'en transcrire ici le titre complet. *Parlons ainsi de la voix et du geste. Étude théorique et pratique du mécanisme de la parole, où se trouvent réunis pour la première fois, condensés, mis en ordre et illustrés les données des physiologistes, les règles des grammairiens et les conseils des artistes sur l'art de bien dire en chaire, au barreau, au cours, à la tribune et dans les lectures publiques, articulation, phonation, respiration, physionomie et gestes.* (3) Ce titre pour être plein de promesses ne rend pas encore suffisamment compte des trésors de science et d'expérience accumulés dans ce manuel complet, méthodique, écrit dans une langue savoureuse et originale.

Nous signalons spécialement aux professeurs de chant et à tous ceux qui s'occupent de musique sacrée la première partie de cet ouvrage sur la phonétique de la parole, divisée en trois sections: *La science de l'articulation; L'art de la phonation; Le secret de la respiration.* Dix ans de recherches, d'observation et de pratique ont inspiré à l'auteur les règles et les conseils qui

---

(1) Drie geestelijke Meiliederen, voor solo, koor en orgel, Mechelen, Loret. Fr. 5.

(2) Laudate. Collection de morceaux pour orgue sans pédales à 2, 3 et 4 voix dans tous les tons. Bruxelles, Ledent, 2 parties, 192 p. F. 8 et 11.

(3) Édition nouvelle, Paris, de Gigord, 1912, xx-546 p.

y sont prodigués sous une forme qui fait impression: " Parler, c'est articuler, y lisons-nous; articuler, c'est dompter sa langue et l'assouplir; la science des pauses est à l'art de dire, ce que la tactique est à l'art militaire; dans l'art de la phonation il y trois voix, comme dans l'art de la peinture, il y a trois couleurs; le premier précepte de l'art de bien dire est la suprématie accordée au médium de la voix; qui respire bien, parle sans fatigue et chante sans effort. „ Toutes ces maximes sont solidement établies, clairement expliquées, judicieusement transposées dans des exercices multiples des plus utiles. L'auteur a également étudié avec un soin particulier tous les vices de la parole, leurs causes et leurs remèdes: altération des voyelles, bégaiement, bredouillement, balbutiement.

Notons aussi que le traité du geste est un modèle du genre. L'auteur s'est inspiré des données des meilleurs physiognomonistes et des exemples des artistes les plus éminents de l'antiquité et des temps modernes.

Bref le volume de M. l'abbé Gondal est une œuvre magistrale.

2. Le livre du R P. Borremans, Ord. Praem. (1) compare le Graduel Norbertin, paru en 1910, avec le texte de l'édition Vaticane, aux fins de faire valoir les raisons de tradition, d'histoire et d'art qui ont fait maintenir par les Prémontrés les livres de chant liturgique propres à leur Ordre. Cette étude est divisée en trois parties: la première traite des variantes purement mélodiques; la seconde est consacrée à l'importante question du chromatisme dans la tradition prémontrée; la troisième est réservée aux mélodies propres aux Prémontrés, soit qu'elles manquent dans le Graduel du Vatican, soit qu'elles manquent aussi dans le répertoire des autres Ordres religieux.

Les historiens de l'art grégorien trouveront dans ces pages solidement documentées des considérations pleines d'intérêt, notamment sur le chromatisme.

Pouvons-nous faire observer que l'auteur aurait dû étudier la dépendance de la tradition prémontrée avec les manuscrits d'autres familles, et établir la filiation des manuscrits propres à son ordre. Il nous semble aussi que ce plaidoyer pêche un peu par trop de zèle à défendre tout ce qui distingue l'édition norbertine de celle du Vatican.

---

(1) Le chant liturgique traditionnel des Prémontrés. Étude illustrée de nombreuses reproductions de manucrits du XIIe au XVIe siècle. Le Graduel. Malines, Dessain, 1914, in-12, 156 p., en annexe 30 reproductions de manuscrits.

3. Feu M. l'abbé O. Pierre en appréciant la première édition du livre de L. D. S., " *Le chant de la Sainte Église* „ le qualifiait à juste titre " d'ouvrage intéressant, écrit avec beaucoup de méthode, cachant une belle érudition sous une grande simplicité et très propre à inspirer l'amour de notre sainte Liturgie „.

La première partie de ce volume, consacrée à l'histoire du plain-chant s'inspire des meilleurs ouvrages écrits sur la matière. Clairement, sereinement et méthodiquement, l'auteur y retrace les origines, les développements, l'âge d'or, la décadence et la restauration de la musique grégorienne. Nous n'hésitons pas à dire qu'à notre connaissance il n'existe pas de meilleur aperçu de l'histoire du chant liturgique. Dans la seconde partie l'auteur traite de la théorie et de la pratique de l'art grégorien. La méthode qui s'y trouve exposée est entièrement conforme à la préface de l'Édition Vaticane. Sans s'arrêter aux questions controversées concernant le rythme, les modes, etc., elle se contente de développer les principes fondamentaux qui s'imposent à tous les plain-chantistes sans distinction d'école et qui sont de nature à assurer une exécution parfaite des mélodies grégoriennes.

Citons l'entête des divers chapitres de cette section :

Bien lire le texte des mélodies grégoriennes. — Bien lire le chant liturgique. — Le rythme du chant grégorien. — Le rythme mesuré. — Les modes — Une leçon pratique. — Caractère et exécution des principaux chants liturgiques.

4. Il ne nous revient pas de faire ici l'éloge de Dom Lucien David, O. S B., le disciple convaincu du vénéré patriarche de la restauration grégorienne, Dom Pothier ; l'apôtre infatigable du mouvement plain-chantiste en France et en Belgique ; le savant qui si lumineusement a réduit à la pratique les données scientifiques dûment contrôlées de la science contemporaine.

Sa " *Méthode pratique de chant grégorien* (2) „, dit le Rév^me Dom Pothier dans une lettre adressée à l'auteur, " bien conçue, clairement rédigée, et où se trouvent heureusement mis en lumière *les vrais principes* (3) *capables de rendre le chant grégorien à la fois facile, artistique et*

(1) Le chant de la Sainte-Église. Histoire. Théorie. Pratique. Namur, Wesmael-Charlier, 1915, in-8, 294 p. F. 3.

(2) Méthode pratique de chant grégorien selon les principes et la notation de l'édition Vaticane, Lyon, Janin frères, 1919, in-8, IV-154 p. F 4, sans la majoration temporaire.

(3) C'est nous qui soulignons.

pieux, pourra contribuer pour sa bonne part à l'avènement définitif de ce nouvel âge d'or qui verra pasteurs, chantres et fidèles s'unir dans la plus belle prière chantée et retrouver dans la vie liturgique la source et l'aliment d'une renaissance chrétienne dont la France et le monde ont tant besoin „. Cet éloge émané d'une autorité aussi haute est la plus belle recommandation qu'on pourrait faire du manuel de Dom David.

Ce livre est un livre " vécu ". L'auteur, partisan convaincu des principes d'interprétation de la première école bénédictine en a fait la contre-épreuve expérimentale au cours de ses nombreuses campagnes plain-chantistes, et les heureux résultats obtenus par lui pendant vingt années de leçons ont confirmé pleinement la justesse de la théorie musicale de Dom Pothier et de ses disciples. Aussi la présente méthode écarte les conclusions des théories peu claires, peu sûres et plus artificielles qu'artistiques de Dom Mocquereau; elle se dégage même des considérations métriques qui recherchent dans les combinaisons des notes et des mesures les vestiges du mètre classique; elle est basée sur les règles de la simple déclamation grammaticale et musicale, sur l'accentuation et le phrasé; elle est bien écrite, simple, facile, compréhensible pour le lecteur et le chanteur, et suffisamment complète pour que " le maître puisse pénétrer les secrets d'un art très délicat dans sa simplicité. „

Aussi nous souhaitons que ce livre devienne le manuel préféré de tous les plain-chantistes; ils y trouveront un trésor de règles précieuses et de conseils pratiques sur la discipline de la voix, le rythme, la façon d'exécuter les divers chants de la Messe et de l'Office, la manière de rendre les vocalises avec nuances et naturel, etc. — Nous nous permettons de signaler une petite lacune qui sans doute aura échappé à l'auteur : dans le chapitre sur l'hymnodie, une note sur les syllabes hypermétriques compléterait utilement l'exposé.

5. Les manuels de D. L. S. et de Dom David envisagent surtout la pratique du chant de l'Église : le livre de M. Gastoué (1) est un traité d'un caractère plus scientifique, qui complète très heureusement les deux ouvrages précédents

Les études musicales, historiques et liturgiques de l'éminent professeur à la Schola Cantorum et à l'Institut catholique de

(1) Cours théorique et pratique de chant grégorien d'après les travaux les plus récents. 2e édition entièrement refondue et rendue conforme à l'édition vaticane. Paris, édition de la Schola Cantorum, 1917, in-8, XXII-243 p. F. 12

Paris l'avaient admirablement préparé à publier un cours original et approfondi de musique grégorienne.

Un premier livre traite du solfège et de l'exécution: il est divisé en trois parties qui offrent au chantre, au directeur du chœur ou du cours tout ce qui concerne la pratique de son art. La plupart des chapitres comportent deux paragraphes imprimés en caractères différents: le plus fort caractère est celui dont l'application pratique est la plus nécessaire; l'autre, est le développement des règles exprimées par le premier. Bien qu'élémentaire, cette méthode de plain-chant abonde en observations remarquables sur les origines et les développements des cantilènes, sur les diverses liturgies et écoles de chant, sur la façon d'exécuter les mélodies grégoriennes. Citons par exemple les chapitres où il est question des litanies et des hymnes non versifiées (*Gloria, Te Deum, Sanctus, etc.*); on y trouvera, à côté d'indications historiques de valeur, d'anciens textes et chants provenant des liturgies romaine, ambrosienne, mozarabe et gallicane. La deuxième partie de ce savant ouvrage traite des bases de la musique grégorienne: la tonalité et la rythmique. Les pages consacrées à la modalité ecclésiastique sont sans conteste les plus savantes qui ont été écrites sur ce sujet. Basées sur les meilleurs auteurs anciens et modernes, elles exposent les origines des différents modes, leur constitution, leur classement, leurs formules caractéristiques employées soit dans les récitatifs, soit dans les mélodies plus ornées; elles touchent ainsi aux problèmes les plus graves que soulève la question des sources et des développements des cantilènes ecclésiastiques. Et que l'on ne croit pas qu'il s'agisse ici de pure théorie; la connaissance de la tonalité et des relations tonales des mélodies est nécessaire pour obtenir une exécution parfaite de ces chants comme aussi pour déterminer l'emploi des accords dans l'accompagnement. Non moins fouillée est la dernière section du volume consacrée à la rythmique et aux formes musicales. L'auteur exprime de la façon suivante l'idée fondamentale de cette étude: " Autant la tonalité a conservé les principales parties du cadre gréco-romain, autant ces chants ont gardé une notable quantité des formes rythmiques des musiciens, des prosateurs et des poètes du monde antique. „

La rythmique des cadences fait l'objet d'un chapitre du plus haut intérêt. On remarquera aussi l'étude presque entièrement nouvelle sur la structure mélodique et rythmique des phrases musicales, d'où se dégagent les procédés de composition en usage aux diverses époques grégoriennes.

Certains seront d'avis qu'il est des conclusions de l'auteur sujettes à controverse, mais tous s'accorderont pour reconnaître au livre de M. Gastoué des qualités de science et d'érudition exceptionnellement brillantes et qui en font un instrument de de travail indispensable à tous ceux qui s'intéressent aux problèmes grégoriens.

A. De Meester.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Mgr Waffelaert, S. T. D., Evêque de Bruges. *L'union de l'âme aimante avec Dieu ou Guide de la perfection d'après la doctrine du B. Jean de Ruusbrouck.* Traduit du flamand par l'abbé Rodolphe Hoornaert. Soc. St Augustin, Bruges, 1916. Prix : 4 fr.

Id. *La colombe spirituelle prenant son essor vers Dieu ou les trois voies du chemin de la perfection.* Traduit du flamand par l'abbé Rodolphe Hoornaert. Soc. St Augustin, Bruges, 1919. Pages 192. Prix. — 3,50.

Les Méditations théologiques (1), en faisant mieux connaître et aimer Dieu, étaient déjà une préparation, comme un acheminement vers le grand idéal pratique : la vie d'union intime, constante et consciente avec Dieu. Des études subséquentes, dont le fruit fut condensé dans la brochure : La mystique et la perfection chrétienne (2), introduisirent le lecteur dans la théologie mystique, entendue au sens large de ce mot. Le discours prosynodal du 7 mai 1913 contenait un aperçu général de la perfection chrétienne, et nous a fourni la matière d'un opuscule, qui au seuil même de la guerre ouvrait la série : Het geestelijk leven (3).

A cette bibliothèque spirituelle Sa Grandeur a bien voulu, outre son bienveillant Patronage, accorder son active collaboration en écrivant pendant les loisirs forcés de la guerre les opuscules, dont nous présentons ici la traduction française.

L'union de l'âme aimante avec Dieu est un exposé doctrinal et pratique, formant un tout complet et continu : c'est vraiment un Guide de la perfection, et, ce qui est de nature à relever encore le haut intérêt de l'œuvre, c'est qu'elle a été construite d'après la doctrine du B. Jean de Ruusbrouck.

Dans La colombe spirituelle sont exposées les trois voies du chemin de la perfection : L'âme aimante, telle une colombe, se dégage de la terre surtout par la pratique des vertus morales : c'est la voie purgative. Cette partie est une dissertation approfondie sur les vertus morales en général. — Dégagée et libre, l'âme prend son essor vers Dieu et le trouve déjà par l'exercice des trois vertus théologales : c'est la voie illuminative. Ici nous trouvons un exposé théologique, qu'on pourrait appeler un travail de grande vulgarisation, où le lecteur un peu cultivé pourra se nourrir copieusement de science théologique et de " piété théologale ". — L'âme arrive au terme de son pélerinage spirituel : elle goûte Dieu, elle trouve le repos en Dieu, déjà en cette vie, en attendant le repos éternel en l'autre. C'est la voie unitive. Ce n'est plus seulement

(1) *Méditations théologiques Exposé scientifique du dogme catholique* 2 vol. Nouvelle édition complétée. Bruges, Beyaert, 1919.

(2) Bruges, De Haene-Bossuyt, 1911. Edition flamande, à la même librairie : *Over mystiek en christelijke volmaaktheid.*

(3) *Over geestelijk leven.* Brugge, St Michiel, 1914 ; trad. française par l'abbé Rod. Hoornaert : *La vie spirituelle*, Bruges, Beyaert, 1919.

l'union médiate, où " Dieu, comme dit Ruusbrouck, donne sa grâce pour agir ", mais l'union immédiate, où Dieu " se donne Lui-même pour jouir ". Ici le savant Auteur a repris plus à fond une étude, déjà entreprise dans L'Union de l'âme aimante avec Dieu (p. 175 ss.), l'étude de l'union de l'âme avec le Saint-Esprit : d'après lui, cette union serait établie par une relation entre le Saint-Esprit — relation qui lui serait personnelle et propre — et la personne humaine qui se trouve par là réellement élevée à la dignité d'enfant de Dieu.

Cette opinion, le savant Auteur ne prétend pas l'avancer comme certaine, mais elle est vraisemblable et probable : car elle trouve un fondement sérieux dans les Ecritures et dans la doctrine des saints Peres, surtout celle des plus anciens, particulièrement des Pères Grecs. Et, soit dit en passant, on n'écarte pas cette opinion en réfutant simplement le théologien Petau : car telle qu'elle est exposée ici et défendue ailleurs (1), elle échappe précisément aux difficultés qu'on oppose ordinairement à la thèse de Petau.

En terminant, nous ne pouvons nous empêcher d'exprimer la surprise que nous avons éprouvée en lisant une observation parue dans un compte-rendu, d'ailleurs très élogieux, de la Revue Liturgique et Monastique de Maredsous (2). Voici cette observation : " Néanmoins, à notre avis, il semble que les opinions personnelles des théologiens ne doivent point s'immiscer très à fond dans la vie intérieure du fidèle. Ces opinions, alors même qu'elles sont pieuses, d'accord avec le dogme, et vraisemblables, ne laissent pas d'être hypothétiques, et par là elles pourraient embarrasser plutôt la vie intérieure : car le chrétien doit chercher à s'unir avec Dieu, en restant toujours dans la pleine et entière certitude de la foi ". Mais alors, que dira Dom I. R., qui signe le compte-rendu, que fera-t-il des opinions des théologiens sur les vertus morales infuses, sur les dons du Saint-Esprit (3) ? Ici encore on ne reste pas dans la pleine et entière certitude de la foi : ne faut-il pas craindre, ici aussi, d'embarrasser plutôt la vie intérieure ? Que dans un exposé destiné au grand public, on ne fasse pas de controverse théologique, soit. Cela, de vrai, pourrait embarrasser les simples fidèles, sinon dans leur piété, du moins dans leur science ou connaissance de la bonne doctrine. Mais dans La colombe spirituelle, point de controverse ou de polémique au sujet de l'union de l'âme avec le Saint-Esprit, mais, nous citons les termes employés par Dom I. R., une " grande piété " (qui sera plutôt communicative qu'embarrassante pour le lecteur), une " maturité de science ", un " ton calme ", une " maîtrise ", qui à ces pages " confèrent un très réel intérêt doctrinal ".

Un confrère de Dom I. R., un liturgiste bien connu, et, semble-t-il, théologien averti et bien placé pour parler de " La piété de l'Eglise ", Dom Lambert Beauduin n'a pas les mêmes craintes. Voici ce qu'il écrivait : " Ainsi pour la liturgie le Père est le Créateur ; le Fils, le

---

(1) *Collationes Brugenses*, t. XV et XVI : *Disquisitio dogmatica de unione justorum cum Deo* etc.

(2) Plus exactement : au verso du Calendrier liturgique intercalé comme supplément à la Revue, n° de Pâques, 1920.

(3) Voir la remarque de Mgr WAFFELAERT dans son étude sur les dons du Saint-Esprit, *Collationes Brugenses*, t. XVIII, p. 280.

Rédempteur ; l'Esprit-Saint, le Sanctificateur. Dans le premier cas, c'est une appropriation au sens théologique du mot ; dans le second, une œuvre strictement propre au Fils ; dans le troisième, l'Eglise ne s'est pas prononcée ; les théologiens scrutent ce problème captivant et aujourd'hui, fort heureusement, la très ancienne opinion de l'œuvre propre semble prévaloir (1) „.

J. Mahieu.

Kan. A. De Smet, *Het christelijk Huwelijk*, Brugge, Beyaert, 1920. In 16, VIII, 176 bl. Fr. 3.00.

Ch. A. De Smet, *Le Mariage chrétien*. Traduction de la deuxième édition flamande, par **Mgr Sentroul**, avec une Lettre-Préface du Cardinal Mercier. Bruges, Beyaert, 1920. In 16, XII, 179 p. Fr. 3.50.

De Catechismus van Trente vermaant de pastoors dat ze het christen volk moeten onderrichten over het huwelijk : niet enkel over den aard en de verhevenheid van den echtelijken staat, maar ook nog over de plichten der gehuwden, alsmede over de ceremoniën van het huwelijk en over de huwelijksbeletselen.

De pastoor zal dan best aan zijn christen volk een boekje verschaffen waarin de noodige leering eenvoudig en duidelijk wordt voorgesteld. Daarom schreef Z. E. H. Kan. De Smet dit prachtig werkje, waarvan de tweede druk nu verschijnt. Hij leert er ons in 1°/ wat het huwelijk is ; 2°/ wat het huwelijk dient vooraf te gaan ; 3°/ hoe het moet worden aangegaan ; 4°/ welke de rechten en de plichten zijn der echtgenooten en 5°/ hoe de heiligheid van het huwelijk meest geschonden wordt. Volgen eenige aanhangsels over de ceremoniën en de kerkelijke bedieningen, over nuttige gebeden, godsdienstonderricht, het genootschap der H. Familie en de toewijding van het huisgezin aan het H. Hart.

De vorige uitgaaf werd tot in de minste bijzonderheden herzien. Zelfs vinden wij hier en daar eenige nuttige bijvoegsels, o. m. waar schrijver handelt over de huwelijksbeletselen, over de echtscheiding en over de geslachtelijke voorlichting in dat zoo belangwekkend hoofdstuk der opvoeding, enz. Het aanhangsel III, dat ook nieuw is, bevat eenige gebeden dienstig voor een christelijke moeder.

Wij danken de vertaling van dit boekje in het fransch aan de meesterlijke pen van Mgr Sentroul. Het werk werd vereerd met een schrijven van Zijne Eminentie Kard. Mercier, die terecht doet opmerken hoe men hier een grondige uiteenzetting van hooge waarheden in een pittige taal vindt uitgedrukt.

A. De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio. — Tractatus canonicus et theologicus necnon historicus ac juridico-civilis.* Editio 3ª ad normam codicis recognita. Brugis, Beyaert, 1920. Duo vol. in-8°, XL, 420 p. et 398 p. Fr. 25 pro Belgio, 30 pro exteris regionibus.

---

(1) *Les Questions liturgiques*, Abbaye du Mont-César, Louvain, 4e année, p. 356. — C'est nous qui soulignons.

Hoc opus rev. adm. Dni De Smet, uti testatur Reverendissimus Praesul noster, " solida doctrina refertum atque ingenti labore multaque solertia compositum „ est; quum cl. auctor, solita sua diligentia, multas quaestiones ad normam novi codicis funditus retractaverit, nemo non videt quantum adjutorium sacerdotibus omnibus haec nova editio praestare nata sit.

In I° volumine, liber primus de sponsalibus, cum appendice de proclamationibus antenuptialibus, magna ex parte innovatus est.

In eodem volumine, libro 2o, parte 1a, cui titulus de matrimonio universim spectato, praesertim ubi agitur de formalitatibus consensus matrimonialis, de interpretatione can. 1098 necnon de modo agendi parochi, qui vocatur ad assistendum matrimonio indigni, studiosus lector, tutam doctrinam, juxta recentiorem legislationem, expositam reperiet.

In II° volumine, quod complectitur libri 2i partem 2am de impedimentis et partem 3am de dispensationibus, praecipuae occurrunt mutationes, quae dilucide proponuntur atque explicantur. Quae quum tot ac tantae sint, singulas indicare non juvat, sed liceat optare ut omnes sacerdotes tractatum rev. adm. Dni De Smet prae manibus habeant, itaque experientia magnam ejus utilitatem discant.

A. De Smet, *Praxis Matrimonialis ad usum parochi et confessarii*. Editio altera ad normam novi codicis juris canonici recognita. Brugis, Beyaert, 1920. In 16, XIII, 189 p. Fr. 4,50.

Hunc librum, qui ante novum codicem tum parochis quum confessariis valido subsidio in re tam intricata fuit, iisdem nunc non minori praesidio futurum esse speramus.

In 1a editione, auctor opus in duas partes divisit, agens successive, ob distinctionem fori, 1o/ de munere parochi et 2o/ confessarii: Nunc autem, ob vitandas repetitiones, mutato ordine, triplicem induxit sectionem: 1am complectentem sacerdotis officia ante matrimonium; 2am in ipsa matrimonii celebratione et 3am post matrimonium contractum. In unaquaque sectione agitur tum de munere parochi quum de munere confessarii.

De facili in eo inveniet lector cum ordine expositum quomodo practice, pro vario muneris officio, sit procedendum, et pro penitiori intellectu et argumentorum notitia, remittitur ad respectivos numeros marginales tractatus superius laudati.

Itaque summopere hoc opus commendare liceat.

V. Coucke.

Aemilius De Jaegher, *Institutiones Philosophicae*, Brugis, Desclée, De Brouwer et Soc., 1920. In 8, 490 pp. Fr. 12,50.

Egregium opus suum, quod desiderio Illustrmi ac Revermi Episcopi obsecundans, primum concinnavit Rev. adm. Dns Aem. De Jaegher, Phil. ac S. Theol. Doctor et in Seminario Rollariensi olim Philosophiae Professor, nunc denuo typis edendum curavit.

Hujus tractatus optimae dotes debitis laudibus apud Coll. Brug., VI (1901), p. 219 s., jam celebratae fuerunt; Revermus Praesul noster,

tam praeclare meritus de cultu scientiarum philosophico-theologicarum, easdem rursus attestatur in approbatione hujusce novae editionis: " Institutiones Philosophicae... multa solertia conscriptae, atque a Nobis diligenter inspectae, visae sunt doctrina praestantes purissimo e fonte Principum Scholae hausta et philosophici acumine ingenii illustrata. Quas quidem " Institutiones „ non tantum tyronibus, durante studiorum philosophiae et theologiae curriculo, interpretante magistro, utilissimas, sed et universo clero omnibusque solidae veraeque scientiae studiosis apprime proficuas fore censemus; ideoque easdem libenter approbamus, earumque usum omnibus vehementer commendamus „.

In hoc opere itaque dilucide exponitur eximia doctrina philosophica ad mentem totius Scholae, ac praesertim s. Thomae Aquinatis, quam doctrinam uti " tutum studiorum sacrorum fundamentum „ habendum esse Summi Pontifices hisce ultimis temporibus toties et tam instanter inculcaverunt (1). H. LAMIROY.

J. Salsmans, *Geneeskundige Plichtenleer*, Leuven, Brugge, Leiden, De Vlaamsche Boekenhalle « Sint Michiel », 1919. In 8, XV, 208 bl.

De wetenschap nemende zooals ze door ernstig opgeleide mannen wordt voorgehouden, beoordeelt P. Salsmans in het licht der zedenleer hun meeningen en handelwijzen. Zijn werk bevat drie deelen. Eerst behandelt schrijver de algemeene begrippen der zedenleer: verantwoordelijkheid, naastenliefde en rechtvaardigheid. Daarna heeft hij het over de algemeene en — verder — over de bijzondere beroepsplichten der artsen. Dit alles wordt met vele gevallen en voorbeelden uitéengezet, zoodat Dr De Stella te recht schrijven mag, dat " men niet licht een theoretisch of praktisch punt zal vinden, dat in betrekking staat met geweten en geneeskunde en waarover in deze Plichtenleer geen duidelijke inlichting te bekomen is „. Onmogelijk hier in al deze bijzonderheden te treden. Daarbij, zeggen dat dit werk geschreven werd door Pater Salsmans, is borg staan in theologisch opzicht voor de nauwkeurige bezorgdheid van deze Plichtenleer. Schrijver heeft willen alle twistvragen vermijden en in duidelijke bewoording, onbetwijfelbare verplichtingen voorschrijven. Hij is er volkomen in geslaagd. Alle vraagstukken die oprijzen voor den geneesheer op zedelijk gebied, zullen onze priesters met orde behandeld vinden in dit boek. Om die reden zullen zij veel voordeel uit deze Plichtenleer trekken en ook, zooals schrijver het zegt, " om de aanzienlijke vorderingen van genees- en heelkunde, die voortdurend nieuwe vraagstukken voor het geweten doen oprijzen en aan de priesters den plicht opleggen van op de hoogte te blijven: ze moeten immers aan den rechtmatigen wensch van veel katholieke artsen kunnen voldoen, die zedelijke toelichting verlangen, en er wellicht met reden over klagen, dat die in moeilijke gevallen zoo schaars te vinden is. „ Daarom wordt dit werk warm aanbevolen.

V. C.

---

(1) Ita pariter *Codex Juris Canonici*, can. 1366, parag. 2. — In edit. adnot. varia documenta pontificia indicantur.

Collationes Brugenses

ILLUSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO
DOMINO · DOMINO
GUSTAVO · JOSEPHO · WAFFELAERT
SACRAE · THEOLOGIAE · DOCTORI

DILECTO · ECCLESIAE · BRUGENSIS · PRAESULI
JUBILAEUM · A · SUSCEPTO · PRESBYTERATUS · ORDINE
VIGESIMUM · QUINTUM · AB · EPISCOPATU · ANNUM
COMPLENTI

OB · EGREGIA · ANIMABUS · COLLATA · BENEFICIA
OPTIMOSQUE · IN · BONUM · CLERI · AC · POPULI · EDITOS · LIBROS
EXIMIUM · HONORIS · TESTIMONIUM
SACRUM · DE · CORPORE · B. · PETRI · PALLIUM
A · SUMMO · PONTIFICE · GLORIOSE · REGNANTE
ACCIPIENTI

SAPIENTI · COLLATIONUM · BRUGENSIUM · CONDITORI
QUAS · SCRIPTIS · CONTINUO · SUSTINET · AUGET
INCLYTO · SCHOLASTICAE · THEOLOGIAE · CULTORI
SAGACI · SACRAE · DISCIPLINAE · OMNIS · FAUTORI

HOCCE
QUALECUMQUE · VENERANTIS · ANIMI · AC · GRATI · DOCUMENTUM
CONGRATULANTES
HUMILLIME · AMANTISSIME · DEVOTISSIME
OFFERRE · LAETANTUR
MAJORIS · SEMINARII · BRUGENSIS · PROFESSORES

XVI KAL. JANUARII MDCCCLXX — VIII KAL. AUGUSTI MDCCCXCV
IV IDUS AUGUSTI MCMXX

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

BRUGENSIS

CONCESSIONIS ET IMPOSITIONIS SACRI PALLII

DECRETUM.

Inter plura pietatis, ecclesiastici zeli et charitatis opera, quibus Amplitudo Tua Revma per viginti quinque annos honestavit episcopale ministerium in Brugensi dioecesi, id peculiariter in honorem et meritum tibi cedit quod pro viribus egisti ut quamplures in vulgus libros optime scriptos edideris. Quod secum recogitans SS^mus^ D. N. BENEDICTUS PP. XV ut peculiare Amplitudini Tuae tribueret Suae benevolentiae signum censuit et decrevit *Sacrum Pallium de corpore Beati Petri Apostoli* sumptum personaliter Tibi tribuere. Hoc itaque consistoriali decreto idem SS^mus^ D. N. BENEDICTUS PP. XV Sacrum Pallium, tamquam speciale signum honoris, tibi assignat ac tribuit, ut in sacris functionibus juxta liturgicas normas illo uti possis ac debeas. Ut autem illud extra Sacrum Consistorium tibi imponatur idem SS^mus^ Dominus benigne disposuit et hoc eodem decreto ad rem delegat Emum ac Revmum D. Cardinalem Desideratum Mercier Archiepiscopum Mechliniensem, vel, ipso impedito, alium Antistitem, quem tu malueris, gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentem, coram quo ante Sacri Pallii impositionem praestandum a te erit solitum fidelitatis debitae jusjurandum juxta formulam huic decreto adnexam.

Praesentibus valituris perinde ac si Apostolicae sub plumbo litterae datae fuissent; contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 21 Mai a. 1920.

L. S. (Sig). C. Card. De Lai Epus Sabinen.
Secret.

V. I. SARDI Archiep. Caesarien.
Adsessor.

R. P. D. GUSTAVO JOSEPHO WAFFELAERT,
Episcopo Brugensi.

EPISTOLA ENCYCLICA

DE PACIS RECONCILIATIONE CHRISTIANA

AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES (1).

BENEDICTUS PP. XV.

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pacem tandem coepisse affulgere laetamur,

Pacem, Dei munus pulcherrimum, " quo, ut Augustinus ait, etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inveniri „ (2 ; pacem quadriennio amplius tantis et bonorum votis et piorum precibus et matrum lacrimis imploratam, tandem coepisse affulgere populis Nos equidem ante omnes gaudemus vehementerque laetamur. At vero hanc ipsam paterno conceptam animo laetitiam nimis multa eademque acerbissima perturbant; nam si fere ubique bellum aliqua ratione compositum est, et pacis quaedam conventiones subscriptae, reliqua sunt tamen antiquarum semina inimicitiarum; vosque probe tenetis. Venerabiles Fratres, nullam pacem consistere, nulla pacis foedera posse vigere quamvis diutinis laboriosisque consultationibus constituta sancteque firmata, nisi per caritatis mutuae reconciliationem odia simul inimicitiaeque conquiescant. De hac re igitur, quae maximi sane momenti est ad commune bonum, vobiscum, Venerabiles Fratres, colloqui placet ac populos item vestros diligentius commonere.

sed semina odii reliqua sunt,

quae per solam *caritatem* quiescent.

Duranto bello ad restituendam pacem.

Nos enimvero, ex quo ad huius Cathedrae dignitatem arcano Dei consilio evecti sumus, numquam, dum bellum conflagravit, cessavimus, quacumque potuimus ope, contendere, ut quamprimum omnes orbis terrarum populi fraternam inter se officiorum vicissitudinem repeterent. Itaque instare precibus, hortationes iterare, amicitiae reconciliandae vias proponere,

---

(1) *Acta Apostol. Sedis,* XII (1920), p. 209 s.
(2) De Civitate Dei, lib. XIX, c. XI.

denique omnia tentare, si liceret, favente Deo, ad pacem, quae justa quidem et honesta futura esset et stabilis, hominibus aditum ianuamque patefacere; interea studiosam paterno pectore dare operam, ut maximis omne genus doloribus et aerumnis, quae immanem dimicationem consequebantur, aliquid usque quaque levationis afferremus. Iam vero quae Nos ab initio tam difficili Nostri Pontificatus impulit Iesu Christi caritas vel ad elaborandum pro pacis reditu, vel ad horrores belli mitigandos, eadem hodie, cum pax aliqua tandem aliquando convenit, urget nos ut omnes Ecclesiae filios atque adeo hominum universitatem hortemur, velint diuturniora iam odia abiicere ex animis, concordiamque suscipere mutuumque amorem.

et ad horrores belli mitigandos *ex caritate Christi* allaboravimus;

nunc eadem caritas urget Nos ut ad concordiam hortemur.

Nec sane est cur multis demonstremus generis humani societatem maximis affectum iri detrimentis si, pace conventa, obscurae tamen gentium inter gentes inimicitae simultatesque perseverarent. Mittimus damna earum rerum omnium, quibus civilis vitae progressio alitur et promovetur, ut mercaturis, ut opificiis, ut artibus, ut litteris, quae quidem communi populorum consuetudine ac tranquillitate vigent. At, quod maius est, gravissimum vulnus acceptura esset christianae vitae ratio ac forma, cuius vis omnis in caritate consistit, cum ipsa christianae legis praedicatio *Evangelium pacis* appelletur (1).

Praedicatio legis christianae est *Evangelium Pacis*.

Etenim, ut scitis et ut Nos pluribus alias commemoravimus, nihil tam saepe tamque vehementer a Iesu Domino inculcatum est discipulorum auribus, quam hoc de mutua caritate praeceptum, utpote quod cetera complecteretur omnia; idque et novum Christus ipse nominavit et suum, et christianorum tamquam insigne voluit esse, unde internosci ab aliis facile possent. Denique iam moriens id ipsum suis testatus est, rogavitque ut inter se diligerent ac diligendo eam ineffabilem unitatem imitari contenderent, quae divinis Personis est in Trinitate: " Ut omnes unum sint ... sicut et nos unum sumus ... ut sint consummati in unum „ (2).

Praeceptum caritatis mutuae a Christo primum,

Ergo divini Magistri vestigia sectantes Apostoli, eiusque voce ac praeceptis probe conformati, mirificae sedulitatis erant ad fideles ita cohortandos: " Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes „ 3 . " Supra omnia

deinde ab Apostolis praedicatum,

(1) Eph., vi, 15.
(2) Ioan., xvii, 21-23.
(3) I Petr., iv, 8.

autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis „ (1). “ Charissimi, diligamus nos invicem: quia charitas ex Deo est „ 2 . Bene autem monitis obsequebantur et Christi et Apostolorum illi priscorum temporum fratres nostri: qui quidem, etsi alii ex aliis contrariisque inter se nationibus erant, tamen discordiarum memoriam voluntaria oblivione delentes, concordissime vivebant. Et vere cum mortalibus inimicitiis, in societatis humanae sinu tum flagrantibus, mirandum in modum tanta mentium animorumque consensio discrepabat.

in primitiva Ecclesia mirifice observatum fuit.

Hoc praeceptum vero supponit *oblivionem* injuriarum;

Iam quae modo allata sunt ad praeceptum mutui amoris urgendum, eadem ipsa valent ad oblivionem iniuriarum: nec minus affirmate id praecipit Dominis: “ Ego autem dico vobis: “ Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos: et “ orate pro persequentibus et calumniantibus vos: ut sitis filii “ Patris vestri qui in caelis est: qui solem suum oriri facit “ super bonos et malos „ 3). Hinc illud gravissimum Ioannis Apostoli: “ Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et “ scitis quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in “ semetipso manentem „ 4). Denique sic a Christo Domino instituti sumus ad Deum orandum, ut profiteamur ita nos nobis velle ignosci, si aliis ignoscamus: “ Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris „ (5). Quod si huic obtemperare legi nimis aliquando est arduum et difficile, adest ad omnem submovendam difficultatem divinus humani generis Redemptor non solum opportuno suae gratiae auxilio, sed etiam suo ipsius exemplo, qui cum in cruce penderet, eos, a quibus tam iniuste indigneque torquebatur, Patri excusans: “ Pater, *inquit,* dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt „ (6). Nos igitur, cum misericordiam benignitatemque Iesu Christi, cuius, quamvis nullo merito, vicem gerimus, sequi ante omnes debeamus, ipsius exemplo, inimicis Nostris quicumque, scientes imprudentesve, personam operamve Nostram quibusvis contumeliarum aculeis vel lacerarunt vel lacerant, universis et singulis toto pectore veniam damus, omnesque summo studio ac benevolentia complectimur, nullum etiam praetermittentes locum eosdem benefactis pro Nostra facultate

quare Nos omnibus inimicis veniam damus.

(1) Coloss., iii, 14.
(2) I Ioan., iv. 7.
(3) Matth., v, 44-45.
(4) I Ioan., iii, 15.
(5) Matth., vi, 12.
(6) Luc., xxiii, 34.

cumulandi. Quod ipsum christiani homines, qui hac sint appellatione digni, faciant oportet erga eos qui se, tenente bello, iniuriis affecerint.

et hoc omnes veri christiani faciant oportet

Neque enim eo contenta est christiana caritas ut non inimicos oderimus atque ut eos fratrum loco diligamus, vult quoque ut benigne eisdem faciamus, vestigiis insistentes Redemptoris nostri, qui " pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos a diabolo " (1), et mortalis vitae cursum, quem totum maximis in homines beneficiis emensus erat, profuso pro iisdem sanguine consummavit. Quare Ioannes: " In hoc cognovimus " charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: " et nos debemus pro fratribus animam ponere. Qui habuerit " substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessita- " tem habere et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas " Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo neque " lingua, sed opere et veritate " (2). Numquam vero amplius " dilatanda spatia charitatis " visa sunt, quam hisce ipsis diebus, in summis nempe angustiis quibus premimur omnes ac laboramus: neque alias fortasse unquam hominum generi tam opus fuit, quam hodie communis beneficentia, quae a sincero aliorum amore nascatur plenaque sit devotionis et alacritatis. Etenim si circumspiciamus quacumque pervagatus est bellicus furor, immensi terrarum tractus obiiciuntur ubi solitudo et vastitas, ubi inculta et relicta omnia; redactae usque eo plebes ut victu vestitu tectisque ipsis careant; viduae orphanique innumerabiles, qui cuiuslibet opis indigent; incredibilis multitudo debilium, infantium potissimum ac puerorum, in affectis corporibus testantium belli huius atrocitatem.

Vestigiis insistentes Redemptoris insuper

mutuam beneficentiam exerceamus.

Has tantas miserias contemplanti, quibus premitur humanum genus, sponte venit in mentem viator ille evangelicus (3), qui, descendens ab Ierusalem in Iericho, incidit in latrones, a quibus despoliatus, plagisque impositis, et semivivus relictus. Magna enim est inter utrumque similitudo; et quemadmodum ad illum, misericordia motus, Samaritanus accessit, qui, alligatis vulneribus, infusoque oleo et vino, duxit eum in stabulum, et curam eius egit: ita ad sananda humanae societatis vulnera manum suam adhibeat oportet Iesus Christus, cuius quidem Samaritanus ille personam sustinebat.

ad exemplum Samaritani, qui personam Christi sustinebat.

---

(1) Act., x, 38.
(2) I Ioan., iii, 16-18.
(3) Luc., x, 30 sqq.

Hoc opus Christi continuandum sibi vindicat *Ecclesia.*

Iam hoc opus et munus tamquam proprium sibi Ecclesia vindicat, quae Iesu Christi spiritum custodit, ut haeres; Ecclesia, inquimus, cuius omnis vita mirabili beneficiorum varietate contexitur: ipsa enim " mater christianorum verissima, proximi " dilectionem atque charitatem ita complectitur ut variorum " morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis " apud ipsam medicina praepolleat „: unde " pueriliter pueros, " fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis " tantum, sed et animi aetas est, exercet ac docet „ (1). - Haec autem christianae beneficentiae officia animos permulcendo, incredibile est quam sint tranquillitati publicae restituendae conducibilia.

Episcopi caritatem inculcent et instituta beneficentiae christianae promoveant;

Quare, Venerabiles Fratres, oramus et obsecramus in visceribus caritatis Christi, omni studio ac diligentia in hoc incumbite ut, quotquot habetis vestrae mandatos curae, eos non modo ad odia deponenda iniuriasque condonandas excitetis, sed efficacius etiam ad ea omnia christianae beneficentiae instituta provehenda impellatis, quae sint subsidio egenis, solatio maerentibus, munimento infirmis, denique omnibus qui bello maximas iacturas fecerint, opportunam varii generis opem afferant. Praecipue vero volumus sacerdotes hortemini, administri qui sunt christianae pacis, ut in hac re, quae vitam christianam maxime continet, assidui sint, id est in amore erga proximos vel inimicos commendando: atque " omnibus omnia facti „ (2) adeo ut ceteros antecedant exemplo, odio inimicitiaeque bellum indicant, acriterque gerant usque quaque, gratissimum facientes et amantissimo Iesu Cordi, et ei, qui vices ipsius in terris, quamvis non digne, sustinet. Quo loco admonendi sunt etiam vehementerque rogandi catholici homines, qui scribendis vel libris vel commentariis vel diariis dant operam, velint " sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem „ (3) induere, eamque scribendo exprimere, non modo a falsis vanisque criminationibus abstinentes, sed etiam ab omni violentia contumeliaque verborum, quae quidem cum christianae legi contraria est, tum male obductas refricare cicatrices dumtaxat potest, cum praesertim recens a vulnere animus sit vel levissimi attactus iniuriarum impatientior.

sacerdotes hortentur ut administri sint christianae pacis;

catholicos viros moneant ut viscera benignitatis mutuae induant.

---

(1) Cf. Augustinus, De moribus Ecclesiae catholicae, lib. I, c. xxx.

(2) I Cor., ix, 22.

(3) Colos., iii, 12.

Quae vero hic de colendae caritatis officio singulos admonemus, eadem ad populos diutina belli contentione perfunctos volumus pertinere, ut, amotis, quantum fieri potest, dissidiorum causis, — et salvis utique iustitiae rationibus — amicitiam inter se et coniunctionem redintegrent. Nec enim alia est evangelica lex caritatis in singulis hominibus, alia in ipsis civitatibus et populis, qui demum omnes e singulis hominibus constantur et constant. Exacto autem bello, non ratione tantum caritatis, sed quadam etiam necessitate in universalem quandam populorum inter populos conciliationem inclinare res videntur, cum gentes naturali vinculo mutuae et indigentiae simul et benevolentiae inter se nunc maxime copulentur, hoc exquisitiore humanitatis cultu et commerciorum aucta mirum in modum facilitate.

Hoc officium caritatis colendae spectat etiam *populos*,

Hanc igitur oblivionem offensionum fraternamque populorum reconciliationem quam Christi Iesu lex sanctissima iubet ac rationes ipsae humani civilisque convictus flagitant, haec Apostolica Sedes, cum, saeviente bello, ut supra docuimus, numquam urgere praetermiserit, nec passa sit unquam quibusvis simultatibus odiisve obliterari, multo nunc magis, pacis constitutis foederibus, fovet ac praedicat, ut litteris datis haud ita pridem ad omnes Germaniae episcopos (1), alterisque ad Cardinalem Archiepiscopum Parisiensem (2). Quoniam vero hanc excultarum gentium concordiam tuetur multumque promovet ea, quae hodie increbruit, consuetudo ut ad maiora negotia expedienda inter se visitent conveniantque civitatum gubernatores ac principes, Nos, omnia reputantes et mutata rerum adiuncta et magnas communium temporum inclinationes, eiusdem concordiae adiuvandae causa, ne ab eo quidem consilio alieni essemus aliquid remittendi de illarum severitate conditionum, quas, ob eversum Apostolicae Sedis civilem principatum, iure Decessores Nostri statuerunt, ut catholicorum principum solemniores ad Urbem adventus cohiberent. Apertissime autem profitemur hanc Nostrae rationis indulgentiam, quam humanae societatis gravissima praeter modum tempora suadere atque adeo postulare videntur, nequaquam interpretandam esse tanquam Apostolicae Sedis abdicationem tacitam iurium sanctissimorum, quasi in praesenti, quo utitur, abnormi statu ea tandem acquiverit. Quin potius hanc ipsam Nos occa-

quod officium urgere Apostolica Sedes nunquam praetermisit,

et exemplo praedicavit.

Ne ex eo tamen quis tacitam abdicationem iurium S. Sedis inferre praesumat.

(1) Litterae apostolicae Diuturni, die xv iulii MCMXIX.
(2) Epist. Amor ille singularis, die VII octobris MCMXIX.

sionem nacti " quas Decessores Nostri pluries expostulationes " fecerunt, non quidem humanis rationibus, sed officii sanctitate " adducti, ut videlicet iura ac dignitatem Apostolicae Sedis " defenderent, easdem Nos iisdem de causis hic renovamus ", denuo graviusque postulantes ut, pace inter gentes composita, etiam " Ecclesiae Caput in hac desinat absona conditione ver- " sari, quae ipsi tranquillitati populorum, non uno nomine, " vehementer nocet " (1).

Optandum itaque ut *in unam familiam* coalescant omnes populi,

Ita igitur restitutis rebus, iustitiae et caritatis ordine revocato, reconciliatisque inter se populis, optandum sane est, Venerabiles Fratres, cunctas civitates, quavis ultro citroque suspicione remota, in unam tamquam consociationem seu potius quandam quasi familiam coalescere cum ad propriam uniuscuiusque libertatem tuendam, tum ad ordinem conservandum humanae societatis. Ad quam gentium consociationem contrahendam hortatur, ut alia multa praetereamus, ipsa vulgo explorata necessitas omnem dandi operam ut, sublatis vel imminutis rei militaris sumptibus, quorum immane pondus iam sustinere respublicae non possunt, nulla posthac existant tam exitiosa bella, vel certe quam longissime eiusmodi periculum avertatur, et unicuique populo, cum libera potestate, sua territorii, iustis quidem terminati finibus, integritas conservetur.

quibus semper aderit Ecclesia,

Foederatis autem christiana lege nationibus, quicquid iustitiae et caritatis causa susceperint, non studium operamque suam desiderari sinet Ecclesia, quae cum absolutissimum sit societatis universalis exemplar, tum ex sua ipsius temperatione suisque institutis mirifica virtute pollet ad homines copulandos non modo in aeternam eorum salutem, sed etiam in huius vitae commoditatem, sic eos nempe deducens per bona temporalia ut non amittant aeterna. Itaque, historia teste, cognovimus, veteres Europae gentes immanitate barbaras, ex quo in easdem Ecclesiae spiritus penetraverit, extenuato sensim ipsarum inter ipsas multiplici maximoque discrimine sublatisque discordiis, coivisse tandem in unam eiusdem generis societatem, natamque esse Europam christianam, quae, ductu auspicioque Ecclesiae, nationum varietatem retinens, tamen ad unitatem quamdam prosperitatis fautricem gloriaeque niteretur. Praeclare ad rem ita Augustinus: " Haec caelestis civitas dum " peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat atque " in omnibus linguis peregrinam colligit societatem, non curans

quae, historia teste, Europam unam et christianam formavit.

(1) Litterae encyclicae Ad beatissimi, datae die 1 novembris MCMXIV.

" quidquid in moribus, legibus institutisque diversum est, qui-
" bus pax terrena vel conquiritur vel tenetur, nihil eorum res-
" cindens vel destruens, immo etiam servans ac sequens, quod
" licet diversum sit in diversis nationibus, ad unum tamen eun-
" demque finem terrenae pacis intenditur, si religionem qua
" unus summus et verus Deus colendus docetur, non impedit „ (1).
Sic igitur idem sanctus Doctor Ecclesiam alloquitur: " Tu
" cives civibus, gentes gentibus et prorsus homines, primorum
" parentum recordatione, non societate solum, sed quadam
" etiam fraternitate coniungis „ (2).

Exhortatio finalis ad unitatem, concordationem mutuam et pacem,

Quare Nos, ut eo redeamus unde initium scribendi fecimus, primum filios Nostros, quotquot sunt, amplectentes, in nomine Domini Nostri Iesu Christi rogamus iterum et obsecramus inducant animum mutuas simultates offensionesque omnes voluntaria oblivione conterere, et christianae caritatis, cui nemo extraneus est aut alienus, sanctissimo inter se cohaerere vinculo; tum nationes universas magnopere hortamur, ut veram inter se pacem christianae benevolentiae spiritu componere velint, coeuntes in unum foedus, auspice iustitia, mansurum; denique cunctos homines populosque appellamus, ut mentibus et animis Ecclesiae Catholicae, et per Ecclesiam Christo humani generis Redemptori sese adiungant: atque ita quibus verbis Paulus Ephesios, iisdem Nos alloqui omnes verissime possimus:

in vinculo caritatis Christi.

" Nunc autem in Christo Iesu vos, qui aliquando eratis longe,
" facti estis prope in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra,
" qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae sol-
" vens, ... interficiens inimicitias in semetipso. Et veniens
" evangelizavit pacem vobis, qui longe fuistis, et pacem iis qui
" prope „ (3). Nec minus apte cadunt quae idem Apostolus habet
ad Colossenses: " Nolite mentiri invicem, expoliantes vos vete-
" rem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui
" renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui crea-
" vit illum: ubi non est Gentilis et Iudaeus, circumcisio et
" praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber: sed omnia,
" et in omnibus Christus „ (4).

Interea Spiritum Sanctum Paraclitum, — patrocinio confisi Mariae Virginis Immaculatae, quam *Reginae pacis* titulo ab omnibus invocari nuper iussimus, itemque trium beatorum

(1) De Civitate Dei, lib. XIX, c. XVII.
(2) De moribus Ecclesia catholicae, I, c. XXX.
(3) Eph., II, 13 sqq.
(4) Colos., III, 9-11.

caelitum quibus sanctorum honores proxime decrevimus — humilibus precibus exoramus, ut " Ecclesiae suae unitatis et pacis propitius dona concedat .. et 1 , faciem orbis terrarum nova suae caritatis effusione renovet ad communem salutem.

Huius auspicem divini muneris benevolentiaeque Nostrae testem, apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIII maii, in festo Pentecostes, MCMXX, Pontificatus Nostri anno sexto.

BENEDICTUS PP. XV

(1) Secreta in Solemnitate Corporis Christi.

Acta Congregationis Prosynodalis

Habitæ die 18 Maii 1920, in Palatio Episcopali Brugis.

Recitato hymno *Veni Creator,* Ill^{mus} ac Rev^{mus} Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Reverendi admodum ac dilectissimi Domini,

Verba ad vos facturus nihil opportunius duxi quam ut vobis praelegerem concionem quam habui ad Patres Concilii provincialis Mechliniensis, nuper incœpti, his verbis:

Neminem nostrum fugit quam calamitosum fuerit patriae nostrae hoc immane atrocissimumque bellum, et quod nostram praeprimis rem spectat nempe religioni, fidei moribusque christianis quantam attulerit ruinam: quot enim fuere, in aliquibus praesertim partibus, parœciae cum pastoribus suis dispersae ac dirutae, religiosae communitates expulsae et in partes divulsae, seminaria et collegia ejecta, non ibi tantummodo ubi armis et igne omnia vastata jacent, sed et ubi contra omne jus domus religiosae et ecclesiasticae ab hoste occupabantur, eo frequentius atque crudelius expulsis habitatoribus, quo contestando denuntiabamus injuriam.

Horum omnium malorum, cessantibus licet praeliis, pessimi effectus nihilominus prodire pergunt, labefactata fide multorum, moribusque christianis pessumdatis; ita quidem ut et singulares privatosque homines multos de re religiosa jam nullatenus solicitos sed ad sensualia inclinatos vel temporalibus saltem rebus absorptos diceres, sed et rerum publicarum rectores in omni fere regione inconcussorum religionis et Ecclesiae jurium videantur obliti; dum interim hostes, junctis viribus, plerumque occulte, machinantur religionis catholicae ruinam. Nonne vere cum Propheta (1) lamentari licet: " Viae Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem: omnes portae ejus destructae: sacerdotes ejus gementes; virgines ejus squalidae, et ipsa oppressa amaritudine... parvuli ejus ducti sunt in captivitatem ante faciem tribulantis ".

Quae cum ita sint nulli tamen nostrum vel parumper in mentem venit ut despondeat animum speve salutis decidat.

---

(1) JEREM., *Threni*, I, 4, 5.

Contra, monente Apostolo (1): " Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae: ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno ".

Igitur imitabimur Christi apostolos, quibus labores longe graviores atque duriora certamina manebant, quippe qui, cum duodecim tantummodo essent, mittebantur ut mundum universum ethnicis erroribus atque vitiis fœdatum converterent; et ecce: " in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum " (2). Imitemur ergo et vitam apostolicam, quam ipsi Apostoli describunt duobus verbis: " Nos vero orationi, et ministerio verbi instantes erimus " (3). Ubi absque dubio nomem " orationis " sensu lato accipiendum est, quo designetur tota vita interior atque contemplativa, cujus Apostoli primum ac princeps, post Christum Ejusque Sanctissimam Matrem, exemplar exstiterunt. Et jure merito hanc vitam primo loco enuntiant, cum ea sit fundamentum et radix alterius vitae, nempe activae ad extra seu pressius dictae apostolicae: nullus siquidem sacerdos cum efficacia et fructu sacro suo ministerio fungi poterit, nisi prius vita interiore rite exercitatus, factus fuerit instrumentum aptatum Illi, qui dixit: " Manete in me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere " (4).

Hoc intellexerunt Sancti omnes, viri apostolici omnes. Et nostra quidem tempestate, quo magis ad vitia et sensualia deflectere populum conspicimus, eo longius ab istis nos avertamus oportet; quo magis a principiis fidei et religionis sensu alieni videntur effecti homines, eo vividiore fide, ferventiore exercitio virtutum, intimiore cum Deo unione egent Dei ministri. Si omni tempore, nostro praeprimis indigemus sanctis Sacerdotibus. Utinam referamus omnes imaginem boni sacerdotis, qualem graphice describit divinus Contemplator noster Beatus Joannes de Ruysbrouck: Boni sacerdotes, ait (5) " sancta " sunt vasa, cœlestibusque repleta donis ultra modum. Sunt " enim casti ac mundi anima et corpore, itemque sobrii ac " moderati in omnibus vitae sustentandae necessariis; instituti

(1) *Ad Hebr.*, IV, 16.
(2) *Ad Rom.*, X, 18; *Psalm.* XVIII, 5.
(3) *Act. Apost.*, VI, 4.
(4) *Joan.*, XV, 4 et 5.
(5) *De vera contemplatione* seu *XII Beghinis*, C. LXXVI.

" sunt atque ordinati ad divinum cultum et Christi famulatum,
" ipsumque Dominum Jesum suis impressum ac insculptum
" cordibus gerunt, ejus passionem, mortem, fidelitatem, amorem
" sua in memoria exercent; medii intercedunt inter Deum ac
" miseros peccatores, benigni, humani, mites sunt erga omnes
" opis ipsorum indigos, et Jesum excruciatum ac ex amore
" mortuum cœlesti ejus Patri pro cunctis vivis et defunctis
" offerunt, precantur et poscunt omnipotentem Deum, et quidem
" intima cum devotione, pro omni sanctae Ecclesiae utilitate ac
" necessitudine; nulli placere speciatim appetunt alicujus rei
" temporariae aut solatii obtinendi causa, sed in commune Dei
" honorem et mortalium omnium salutem desiderant..... Ad haec
" boni sacerdotes speculum quoddam sanctae Ecclesiae sunt et
" cunctis hominibus, qui quidem rationabiliter ac sapienter
" vitam cupiunt transigere: Praebent namque bonum exemplum
" hominum oculis, bona verba auribus, et sanctae vitae famam
" laudabilem [ceu odorem] olfactui. Ipsum quoque, quod caete-
" ris praebent, venerabile Sacramentum praeclarum adfert gus-
" tum cunctorum recte valentium palato. Itemque animabus
" aeternum praestant cibum ac potionem, id est, Christi corpus
" et sanguinem, quae esurientium ac sitientium, avide appeten-
" tium ac inhiantium, ac amoris vulnere laborantium perennis
" cibus et potus sunt, quo amantis spiritus sanitas et incolu-
" mitas conservatur. Certe quicumque Deum ferventer amant,
" semper animo hilares ac mites sunt, ideoque eis omnia cedunt
" in bonum „.

Profecto, haud modicum gaudium est Episcopis et Praelatis nec modica in futurum spes videre jam sacerdotes plures quam olim sedulo incumbentes in studium theologiae asceticae et mysticae, utpote coronidis dogmaticae atque moralis, uberesque inde fructus tum sibi tum animabus piis haud paucis haurientes in profectum ad vitam perfectam.

Quod tandem vitam activam apostolicam attinet, instantes quoque erimus ministerio verbi, attendentes praeceptum ipsius Domini ac Magistri nostri: " Euntes ergo docete (1) „. Urgens valde ac gravissimum, Patres Reverendissimi, vobis merito videtur docendi munus, tum quod defienda nimis ignorantia in re religiosa deprehenditur, non tantummodo apud rudes et indoctos, sed et apud alios in rebus humanis excultos, tum quod ignorantia plus quam malitia multi ab Ecclesia alienari videntur.

(1) *Matth.*, XXVIIII, 19.

Itaque docendum esse dogma christianum ubique omnique modo, cum scripto tum verbo, tum e suggestu in ecclesiis tum in scholis, congregationibus et conventibus omne genus, vestra, ni fallar, mens est atque sententia. Et de scholis quidem assidue visitandis, rite in iis docendo, praeprimis solicitos esse debere sacerdotes inficiabitur nemo, qui secum reputaverit jam in familiis nullam fere institutionem christianam dari, et in scholis ipsis doctrinam christianam ad minimum quoddam, plane insufficiens, ex officio esse redactam. Ideo de re scholari jam ab antiquo et semper soliciti fuimus, ut ab infimo gradu ad summum, vere catholica sit institutio puerorum, adolescentium et juvenum. Caeterum, hac in re sicut in alia quacumque quaestione, hoc solido atque solo fundamento nitamur, scilicet catholico; et quo magis oblivioni dari videntur a multis principia seu asserta vera ac sancta, qualia nobis proponit Ecclesia, eo strictius et fidelius hisce inhæreamus, nec sub ullo colore aut praetextu permittamus juventutem, praecipue illam quae aliis praelucere ac praeire debet, scholae sive hostili sive neutrali, ut aiunt, relinqui, aut, quod pejus esset et abhorrendum, ad hujusmodi scholam frequentandam, directe vel indirecte induci.

Denique servemus quam diligentissime in clero animorum concordiam atque in eodem sensu vere christiano et catholico unionem; idque frequenti ac ferventi prece a Domino petamus cum sancta Ecclesia orantes: " Spiritum nobis, Domine, tuae charitatis infunde: ut quos sacramentis Paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes „.

Quum Rev^mus^ D^nus^ dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. votis, a Rev^ma^ sua Dominatione promulgatae sunt ordinationes sequentes:

I.

Attendant RR. DD. Directores Fratrum et Sororum ad Canones 553 et sqq., praecipue c. 565 et c. 595; de quibus instruant quorum interest.

Hac opportunitate in memoriam revocamus quae *toties* jam districte praecepimus de conferentia spirituali singulis mensibus saltem habenda.

Curent item Directores ut in confessione *hebdomadaria* audienda, pœnitentes ad vitam spiritualem sedulo informent.

II.

Non licet clericis sine consensu nostro in scriptis accepto uti rota vulgo *rijwiel* dicta.

III.

Accurate observent clerici praescriptum can. 1386, § 1.

IV.

Gravis sane obligatio est, ad quam forte non satis ab aliquibus attenditur, ut omni diligentia libri parœciales ad normam juris conscribantur et asserventur. Cf. can. 470 et 2383.

Ubi dicti libri, saeviente bello, sine spe eos recuperandi, disparuerunt, curent Parochi quantocius eos restituere ope actorum civilium, testium etc., ascendendo a recentioribus ad antiquiores.

V.

" Tariffus ", ut ajunt, triplici exemplari (quorum unum destinatur ecclesiae parochiali, alterum R. adm. D. Decano, tertium aulae episcopali) approbationi Episcopi subjiciendus est.

VI.

RR. DD. Parochos certiores facimus Nobis a Sede Apostolica concessas fuisse facultates sequentes, ad finem anni 1921 duraturas :

1° Dispensandi *justa et rationabili ex causa* super matrimonialibus impedimentis minoris gradus quae in can. 1042 recensentur, necnon super impedimentis impedientibus de quibus in canone 1058 ad effectum tantum matrimonium contrahendi.

2° Dispensandi *ex gravi urgentique causa*, quoties periculum sit in mora et matrimonium differri nequeat usque dum dispensatio a Sancta Sede obtineatur, super impedimentis majoris gradus infra recensitis :

a/ consanguinitatis in secundo aut in tertio cum primo mixtis, dummodo nullum exinde scandalum aut admiratio exoriatur;

b/ consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu;

c/ affinitatis in primo lineae collateralis gradu aequali vel mixto cum secundo ;

d/ publicae honestatis in primo gradu, dummodo nullum subsit dubium quod conjux esse possit proles ab altero contrahentium genita;

3° Dispensandi tempore et in actu Sacrae Pastoralis Visitationis aut Sacrarum Missionum, et non ultra, super omnibus matrimonialibus impedimentis supra memoratis cum iis qui in concubinatu vivere reperiuntur.

1° Sanandi in radice matrimonia nulliter contracta ob aliquod ex impedimentis minoris gradus si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara impedimenti renovationem consensus, dummodo tamen prior consensus perseveret et absit periculum divortii; monita tamen parte conscia de effectu hujus sanationis et debita facta adnotatione in libro matrimoniorum.

Nota: Non omittant parochi etiam in dispensationibus vi hujus indulti petendis indicare statum fortunae oratorum; requiritur enim ut " nupturientes qui pares solvendo inveniantur aequam oblationem juxta vires persolvant in obsequium Sanctae Sedis ".

Plura de quibus in Congregatione prosynodali actum est postea determinabuntur in Concilio provinciali Mechliniensi.

† GUSTAVUS JOSEPHUS, Episc. Brugen.

ANALECTA ASCETICA ET MYSTICA.

Jam plura edidimus de diversis objectis, ad ascesim et mysticam theologiam pertinentibus, scripta post aevum Patrum exarata, prout nobis obvia facta sunt, non servato ordine aliquo materiarum nec chronologico, sed iis praemissis quae vel hucusque inedita sunt, vel rarius occurrunt.

Antequam pergamus in ejusmodi scriptis edendis, opportunum ducimus prius nunc quaedam excerpta e diversis auctobus proponere spectantia pium studium contemplationi rerum divinarum praevium.

Et Angelicus quidem Doctor, ut olim exposuimus (1), enumerat septem actus, ad intellectum spectantes, actui contemplandi praevios. Eorum tres pertinent ad acceptionem principiorum ex quibus proceditur ad contemplationem: videlicet *traditio* (nempe doctrinae praedicantis Ecclesiae), *lectio* (scilicet S. Scripturae, Patrum et Doctorum aliorumque theologorum catholicorum divina documenta interpretantium), et *oratio*. Quatuor vero actus respiciunt deductionem e principiis veritatis cujus cognitio inquiritur, in ordine ad eamdem veritatem postea simplici intuitu contemplandam; quique sunt: *cogitatio, consideratio, meditatio* et *speculatio*.

Porro, uti reflectenti patebit, hos omnes actus diversos complectitur studium theologiae seu scientiae de Deo, dummodo rite instituatur, scilicet modo pio, intentione ac dispositione supernaturali.

Itaque in memoriam revocatis quae antea diximus (2): posse nos " duobus modis nos studio sacrae theologiae applicare, videlicet vel mere naturaliter, vel et supernaturaliter, ita ut... studium sit verum piumque orandi exercitium. Quidni eligeremus semper hunc alterum modum? „, jamjam haec dicta confirmare ex aliorum sententia cupimus. Eritque hoc primum in his Analectis nostris punctum. Alterum vero exhibebit quaedam consilia speciatim de lectione, scilicet de

(1) Collat. Brugen., tom. XVI, p. 387, et in opusculis gallico et flandrico: La mystique et la perfection chrétienne. Over mystiek en christelijke volmaaktheid. Brugge, De Haene, 1911.

(2) Collat. Brugen., t. XIX, p. 9.

interstitiis seu segmentis temporis lectioni utiliter impendendis deque modo legendi atque notandi.

Porro, haec excerpta desumentur rursus ex libris post aevum Patrum conscriptis atque, vel ex omni aevo, rarius lectori occurrentibus.

I.

De studio pio theologiae.

Ita Philippus, abbas secundus monasterii Bonae-Spei, in Hannonia, Ord. Praemonstratensis, S. Bernardi coaevus: citato textu Osee, VI: « Sciemus sequemurque ut cognoscamus Dominum », prosequitur dicens: « Te quoque eo intuitu volo scire, multam litteris diligentiam impertire, ut litterarum adminiculo Deum scias plenius et sequaris, et sequendi instantia tandem facie ad faciem cognoscere merearis. Utinam omnes qui mancipantur labori litterario sic studerent, eo fine multiplices scholarum angustias sustinerent, ut scilicet oculus eorum interior infuso scientiae collirio mundaretur, et ad videndum Deum promptior et defaecatior redderetur » (1).

Sic Fr. Laurentius Brancatus Cardinalis de Laurea (2):

« Omnis Theologus est meditator Dei, et praedicatorum ejus essentialium et notionalium, et in ea consideratione consistit tota theologia: ideoque si parti huic speculativae meditationis adjungerent affectivam amoris ac dilectionis, essent veri ac religiosi meditativi. Puto autem majorem Theologorum partem talem esse, cum in studiosa et attenta divinarum perfectionum meditatione cognoscant summe amabile; et lapideum certe cor haberet, qui illud cognoscens non diligeret. Certe sic in magnis Ecclesiae Theologis accidisse conspicimus, tam antiquis, quam modernis, qui cum de Deo mire scripserint, mire eum dilexerunt, ut fuére

(1) De Philippi abbatis Bonae-Spei, etc. Opera omnia Epist. IV, p. 19, Duaci 1621. Tunc primum edita sunt a R. D. Nicolao Chamart, ejusdem monasterii abbate. Ibidem quoque p. 385 et sqq. reperitur Institutio clericorum, ubi plurima de scientia et virtute Clericorum utilia legi possunt.

(2) Opuscula octo de Oratione christiana, a. 1697. Opusc. 2n de Oratione mentali, cap. VII.

Gregorius Nazian., Basilius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Magnus Gregorius, Athanasius, Dionysius etc. veteres sanctissimi viri; Bernardus, Thomas Angelicus, Bonaventura Seraphicus, Albertus Magnus, Alexander Alensis, Scotus, et alii innumeri, qui Deum ac divina optime meditati, Deum optime dilexerunt. O utinam omnes Theologi eos imitarentur! Divina ergo etiam respicit meditatio ».

Paulo ante (1) idem Cardinalis dixerat: « Differt etiam [religiosa meditatio] a theologicis speculativis meditationibus [scil. a nudo studio], quia licet sint de revelatis et creditis rebus, sunt tamen sine amoroso affectu illis annexo, ad quem tendit meditatio; qua de causa Seraphicus S. Bonaventura totam theologiam suam ad affectivam ordinavit, ut compertum est, ut semper in ea meditaretur ». Faciamus et nos similiter.

II

Quaedam speciatim de lectione.

DE SUBSECIVIS LECTIONIBUS. Cap. 6 (2).

Sunt enim quaedam temporum velut segmenta, quae vel ob defatigationem nostram, vel ob tempestatum difficultatem, ut summi aestus ac frigoris, graviori operi apta non sunt. Ea vero, ut socordes elabi cassa per ignaviam sinunt, ita prudentes colligunt summa cura, majore illi damno, quam facilè aestimatu sit, hi majore compendio. Potest tamen inde fieri conjectura, quod si temporum illa quasi intertrimenta coacerventur, apparebit multos dies in mense, multas in anno hebdomadas effici, quas, qui sedulo occuparit, omnino lucrifecerit: ut e duobus condiscipulis, quamvis tempora disciplinae paria numerent, tamen re vera paria non sint, quod attentus minutatim multa lucratus est, incuriosus amisit: quare nec mirum si ille progressus vel

(1) Ibid., c. v.

(2) Excerptum e libro: De ratione libros cum profectu legendi etc. Fr. Sacchini S. J., Sammieli 1615. — Fuit autem Pater Sacchini historiographus Societatis Jesu.

pari atque adeo inferiore ingenio facit longe majores. Imitandus est itaque in hac bona temporis avaritia, Uticensis Cato, qui fertur in ipsam curiam solitus adire cum libro, dumque convenirent Senatores, ne sederet otiosus, aut fabulis tempus tereret, lectitans expectare. Imitandi junior, ac senior Plinius, aliique, qui vel super mensam recitari sibi de codice volebant. Ac de seniore quidem junior ita scriptum reliquit: *Super hanc* (coenam intelligit) *liber legebatur, adnotabatur et quidem cursim. Memini quemdam ex amicis, cum lector quaedam perperam pronuntiasset, revocasse, et repeti coegisse, huic avunculum meum dixisse: intellexeras nempe? cum ille annuisset, cur ergo revocabas? Decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus.* Tanta erat parsimonia temporis. De se vero idem Plinius narrat, cum insolitis tremoribus Campania quateretur, nec sub tectis tuta commoratio esset, quod everti omnia viderentur, tum nimirum, cum Vesuvius mons immane incendium et cinerum horrendam molem evomuit, constitisse in area domus, et quasi per otium perrexisse Titum Livium legere et excerpere. Quis autem satis miretur Platonis legendi constantiam, qui scriptorem Mimorum Sophronem, dum moreretur, suppositum capiti habuisse narratur? Sicut et magnus Alexander sub cervicali quiescens habebat Homerum. Nec praetermiserim Abbatis Dorothei studium, qui et vescens habebat semper juxta se positum librum, ad quem oculos identidem reflectebat et eundem prope lectum statuebat, ut, ubi primum somno se posset eripere, lectitaret. Cavendum igitur primum in hisce temporibus est, ne inter manus elabantur: nec committendum, ut pecuniae avari, qui nullam praeterire lucri causam patiuntur, studiosos sapientiae cura superent. Deinde videndum, ut quam utilissime collocentur. Ac primae ejus cautionis duo sunt monita: alterum, ut quisque norit quae sibi soleant esse vacua tempora: quod facile consequetur, si totum diem, ut dixi, cum ratione dispenset, et certa cuique actioni destinet spatia, teneatque constanter; alterum, ut librum nunquam seu de manu, seu de sinu dimittat. Sive deambulatum abeat, sive sacra templa longe posita salu-

tatum, sive quempiam amicorum aliorumve, officii aut negotii causa conveniat, librum simul gestet. Is moras expectandi levabit; is comitabitur ambulanti jucunde; is faciet, ut si cetera non successerint e sententia, labor et dies frustra ne fluxerit. Quemadmodum laudatus jam saepe junior Plinius solitum venari se haud sine pugillaribus scribit, *ut quamvis* (inquit) *nihil ceperim, non nihil referam.* Ut autem non occupentur modo reliquiae temporum, sed et occupentur quam maximo quaestu, deligantur his quoque lectionibus utiles libri. Sed ii maxime videntur appositi, quos tanti non interest perpetua lectione decurrere. Tum ex libris jam lectis licebit recognoscere selectos quospiam et insigniores locos; saepe etiam adversaria, quae ipsi confecimus, et excerpta. Nec vetuerim levioris operae volumen, aut e scriptoribus quempiam recentioribus volutari. Habenda simul est ratio habitus corporis animique: quod alius alio tempore, si fatigati infirmive, vel robusti ac vegeti fuerimus, teretur utilius. Denique etiam tum ita legendum, ut, siquid memorabile occurrat, notetur.

QUANDO, QUAE, QUOMODO EXCERPENDA.
Cap. 13 (1).

Excerpendi vero tempus ipsa est lectio. Ut enim quidque notatu dignum offertur, continuo seligendum ac reponendum est. Caeterum si quando, vel per defatigationem non liceat scribendi laborem assumere; vel loci, qui in manibus est, pulchritudo rapiat, nec libeat intersistere; vel alia obstet causa, veluti quod deambulans lectites, aut ubi styli et codicis copia non sit, apponenda est nota iis, quae exempta velis, vel de integro relegendus totus est locus et excerpendum, ne quid bonae frugis excidat; idque sive in ordinaria, sive in extraordinaria lectione summa tene constantia, prorsus oblita et amissa existimans quaecumque, vel per ignaviam praetericris, vel memoriae fidelitati (nam demum fallit) credideris.

(1) Ex eodem libro, ut supra.

Excerpenda vero nequaquam quae observanda sunt omnia, sed lectissima quaeque. Modus itaque adsit. Nec enim, sine causa reprehendit Gellius (lib. 16, cap. ult.) eos, qui multa et varia lectitantes in quas res cumque incederent, alba (ut dicitur) linea, sine cura discriminis, solam copiam sectati converrebant. Nec sane facile dixerim, utrum deterius sit plus nimio, an minus describere. Illud enim operosum et infinitum, hoc mancum est. Rariora inventu, et quae maxime timeamus ne excidant, quamquam primae notae non essent, exciperem tamen. Ut autem modus justus inveniatur, habenda non rerum solum, sed et auctorum est ratio. Ex gravissimo enim quoque elicere plurima aequum erit, quod auctoritate praestent. Quamquam, cum soleant clarissima, licebit non pauca, quae in ore omnium versantur, omittere; quod oblivionem non pertimescant. Ut autem alii alia pro studiorum diversitate observant (quemadmodum supra dixi) ita etiam excerpunt, quae sibi maxime opportuna fore ad finem studiorum quem intendunt, existimant. Vitanda in primis est infelix illa curiositas quam Gellius in familiari suo perstringit, qui magnam aetatis partem versatus in libris grande volumen elaborabat, ex multis et variis et remotis lectionibus; verum nihil nisi vera miracula grammaticorum corraserat. *Quo nomine fuerit qui primus grammaticus appellatus, et quot fuerint Pythagorae nobiles, quot Hippocrates et cujusmodi Homerus dicat in Ulyssis domo, seirênes. Quam ob causam Telemachus cubans junctum sibi cubantem Pisistratum non manu attigerit sed pedis ictu excitarit, Eurucleia Telemachum quo genere claustri incluserit,* et quapropter idem Poëta rosam non norit, oleum ex rosa norit. Et alia ejusdem notae, quae sive centineas nihil tacitam conscientiam juvant. At vere pronuntiat Seneca: *Sive proferas non doctior videberis sed molestior* (1). Vitandus est igitur morbus iste hominum operose nihil agentium, et M. Tullii (2) laudanda prudentia, qui si vel duplicaretur sibi aetas, negabat tempus

(1) De brevit. vitae, c. 13.
(2) Epist. 45.

habiturum quo lyricos legeret; adeo severioribus studiis detinebatur. Universe autem, quae ad vitam instituendam conducunt, quaeque virtutem ac pietatem alant, observanda cunctis, et segreganda censuerim: ut simul praecepta instituendae vitae, quod summum cuique debet studiorum omnium esse consilium, ad manus habeant; simul possint in familiari usu, in disputationibus privatis ac publicis, in literis scribendis, in regenda domo sapienter depromere; quae cum sibi, tum caeteris, commoditatem pariant ac voluptatem. Ita Caesar Augustus (ut exemplum clarissimum proferatur) Suetonio teste, in evolvendis utriusque linguae auctoribus, nihil aeque sectabatur, quam exempla et praecepta, publice et privatim, salubria: eaque ad verbum excepta, aut ad domesticos, aut ad exercituum, provinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent.

Modus denique excerpendi multiplex est. Sunt qui totos libros compilant, in summamque et Epitomas redigunt; sunt qui eximia tantum in communes digerunt locos. Adversaria quidam conficiunt, ita subjungentes alia aliis, ut ordo lectionis affert Alii tum quae ad elocutionem ac verba pertinent, tum quae ad sensus atque sententias, et vitae praecepta, et disciplinarum scita in unum eumdemque codicem conferunt; alii contra in plures atque diversos segregant. Ratio mihi illa arridet prae ceteris, quae tametsi aliquantum habet negotii, plurimum tamen habet emolumenti, et plurimum, ubi confeceris, afferet voluptatis. Primum, ut quaeque eo, quo legis ordine, eximas; deinde, ut in suum quaeque locum digeras. Itaque duos minimum libros conficias velim: alterum, in quo, ut quidque lectio subministrat, exscribas, nullo alio nisi lectionis ordine; alterum in capita et quosdam communes distinctum locos, in quos ea ipsa, quae acervatim in priore sunt excepta volumine, digerantur; non aliter, atque attenti negotiatores rationum conficiunt tabulas. Hi enim geminos habent libros: pusillum unum, alterum grandem; illum adversaria aut ephemeridem, hunc calendarium et codicem dixeris. In eum singulorum dierum rationes accepti expensive tumultuarie referunt, nempe serie illa quam obtulit usus;

in hunc transferunt inde, disponuntque certa in loca, quae conservata volunt. Hujus meae industriae rationem hanc habeo. Priorem librum confici volo, in quem continenter, ut occurrunt, quae ex quopiam opere seliguntur, notentur, quia magna est oblectatio, atque adeo opportunitas, si uno quasi contuitu, quaeque in uno quopiam libro sunt egregia, recognoscas. Id autem fieri non poterit, si in ordinem non lectionis sed rerum excerpta dispenses. Sparsa enim erunt in plurima capita, quae magnum insulsumque negotium sit singula perscrutari. Deinde ille contuitus, quo consequenter excerpta recognoscuntur, operis totius memoriam refricat. Praeterea multa offeruntur legenti egregia, quae certum in caput nullo modo, aut aegre possis referre; quae tamen in adversariis nullo labore consignabuntur, nec magno opere cum voluntas feret invenientur. Itaque prior hic labor id genus adversaria conficiendi mea sententia multum voluptatis habet, multumque commoditatis; neque ullius taedii declinandus est metu. Altera autem opera illa disponendi in sua loca et capita, quae ad eamdem rem faciunt, manifestum pretium habent. Namque sub titulo (exempli gratia) Amicitiae, Prudentiae, Timoris, ac rerum hujusmodi, tam multa brevi videbis coacervata ex operibus, quae legeris, ut ipsemet mireris. Nec unquam poterit deesse iis de rebus sapienter et erudite, vel cum admiratione audientium, copiosa et nobilis disserendi supellex. Non desunt quidem hujus generis libri jam editi. Sed nec tam apposite alienis (uti supra quoque significavimus) neque tam jucunde, neque tanta fiducia et auctoritate, ut nostris utimur. Ac saepe alii alia pro ingenii sui, institutionis, atque consilii ratione observant, quae praeteriere, qui libros editos concinnarunt. Itaque cessandum non est, et ante omnia perdurandum. Superabit fructus laborem, qui tamen levari potest (si cui facultas sit) amanuensis auxilio. Nam in adversariis latus margo relinquitur, et vel nota affigitur, vel vox scribitur index capitis, ad quod quidque transferri potest; tum traditur transferendum amanuensi, magno laboris temporisque compendio. Atque equidem, cujus res patiatur, ei omnino sim auctor ut e tenuioribus adolescentibus probum aliquem et industrium,

cui pariter studendi copiam faciat, in cum usum adsciscat. Quo enim pulchrius ac majore foenore sumptus fiat, quam in sapientiam comparandam? Quanti autem emas vitam tibi quodammodo geminari? Nam si solers contingat nec indoctus adjutor, commoda item plura conferendo etiam et disserendo suppeditabit. Adde quod e Republica fuerit bona multorum ingenia, quae domesticis augustiis pressa jacent, et inutilia consenescunt in tenebris, excitari eadem opera, et ad frugem lucemque cum privato eorum, et communi bono perduci. Cui vero nec adsit amanuensis copia, nec duplex labor duplicis conficiendi voluminis tolerabilis videatur, is adversaria conficiat, lato (ut dixi) relicto margine, reique summam in eum extrahat, tum indicem luculentum conficiat, ita ut quae diversis notata sunt locis sub unum contribuat caput, et pagellas, in quibus illa inveniri queant, adscribat. Illud quoque laborem levabit, si quam brevissime res excerpatur. Quamquam equidem, ubi verba ipsa auctorum aliquid habent gratiae aut virium, labori nequaquam pepercerim. Ubi locus autem prolixior est, satis erit sententiam brevi complecti et adjicere *Vide* vel similem vocem, quae etiam significet quam praeclarus, aut quam prolixus sit locus. Quae signa cuique suo promptum est ingenio adnotare. Denique etiam atque etiam moneo primum excerptorum id genus libros praesertim adversariorum, ut quisque potius modicos quam vastos efficiat, ut fere gestare in sinu queat et ad manum habere; deinde, ut minutis quidem, caeterum quam optimis, et pulcherrimis, et clarissimis caracteribus scribat, quo revisat libentius. Illecebra enim lectoris est scriptoris concinnitas. At refereire volumina, quae pigeat deinde revisere, abutentis est labore ac tempore, idest vitam temere consumentis.

RESPONSA

ad quaestiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

I.

Mysterium a S. Paulo praedicatum.

Q. *Interpretare Eph., III, 9.*

R. Quum h. l. affirmet s. Paulus sibi fuisse demandatum munus et gratiam « illuminandi omnes quae sit dispensatio, τίς ἡ οἰκονομία », i. e. quae sit dispositio, ordinatio, in quanam re consistat exsecutio « sacramenti, τοῦ μυστηρίου absconditi a saeculis in Deo qui omnia creavit » (1), opportunum visum est inquirere tum 1/ *in quonam praecise situm sit Mysterium* illud de quo h. l. et aliis adhuc locis loquitur Apostolus; tum 2/ *quare illud* Apostolus *vocet nomine Mysterii.* — Tertia poni posset quaestio quonam sensu et quonam jure s. Paulus notificationem hujus mysterii sibi tamquam munus speciale attribuerit, de qua cfr. *Collat. Brug.*, t. IV, pp. 407 ss. — Sit ergo :

I. **Objectum Mysterii** h. l. a s. Paulo memorati.

Relictis variis locis sive epistolarum s. Pauli, sive aliorum librorum Novi Testamenti (2), ubi vocabulum Mysterium occurrit sensu ad praesentem quaestionem nihil faciente. — *Mysterium* a s. Paulo dicitur praeprimis de

---

(1) In ipso creationis consilio et opere Deus etiam hoc mysterium ejusque exsecutionem prae oculis habuit.

(2) Mysterium (quod Vulgata interdum vertit : Sacramentum) in Novo Testamento ubique significat rem arcanam, intellectui ex se non patentem, revelatione cognoscendam (cfr. I Cor., XIII, 2 ; XIV, 2); quo sensu venit de universa doctrina christiana profanis abscondita (I Tim., III, 9, 16); — vel de arcano sensu alicujus dicti Veteris Testamenti (Eph., V, 32), aut alicujus nominis Apoc., XVII, 5), aut alicujus imaginis visione apprehensae (Apoc., I, 20 ; VII, 5); — inde etiam, et est acceptio praecipua, intelligitur arcanum Dei consilium, decretum Dei secretum et absconditum; quo sensu nostro loco Eph., III, 9 occurrit; (cfr. etiam Mt., XIII, 11; Mc., IV, 11 ; Lc., VIII, 16 ; — Rom., XVI, 25 ; I Cor., II, 7 ; IV, 1 ; Eph., I, 9 ; IV, 19 ; Col., I, 26 s. ; II, 2 ; IV, 3 ; Apoc., X, 7) — interdum intelligitur de singulari quodam eventu a Deo decreto circa regnum vel salutem hominum (Rom., XI, 25 ; I Cor., XV, 51).

arcano Dei consilio circa Christum ejusdemque relationes sive a) ad mundum universum, sive — et haec est acceptio ordinaria — b) ad genus humanum in specie.

Nimirum a) relate ad mundum universum, jam hac eadem epistola ad Eph., I, 10, definivit s. Paulus munus quod Deus ab aeterno voluit esse Christi : ab aeterno nempe decrevit Deus aliquando, in ultima epocha mundi, « instaurare omnia in Christo, sive quae in caelis sive quae in terra sunt » (1); — relate ad genus humanum, ab aeterno decrevit Deus aliquando omnes homines — absque distinctione nationis, religionis, culturae, conditionis socialis, sexus — coadunare in unum corpus mysticum, in Ecclesiam nempe, in qua Christus esset caput, homines vero membra (2). In Christo enim Jesu, in hoc corpore Christi mystico « non est Gentilis et Judaeus, circumcisio et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus » (Col., III, 11); — « Non est masculus, neque femina » (Gal., III, 28).

Porro praecipuum discrimen a Christo et in Christo sublatum illud erat quod, sub respectu religioso, omnibus saeculis elapsis viguerat Gentiles inter et Judaeos : Judaei enim, iique soli, erant populus Dei; Judaeis solis factae fuerant promissiones et testamenta; Gentiles erant in hoc mundo sine Christo, sine Deo, sine spe; eratque ipsis, si salutis et justitiae participes esse volebant, transeundum ad Judaismum, accipienda circumcisio, sectanda lex mosaica. Sic lex mosaica quasi medius paries stabat inter utramque partem generis humani. — Ast hic status rerum non sic permaneret; id enim Deus ab aeterno arcana voluntate decreverat. Et en *Mysterium sensu proprio* de quo h. l. s. Paulus : *Arcanum Dei decretum quo ab aeterno statuit Gentiles aeque immediate* — i. e. quin haberent transeundum per Judaismum — *et eodem jure ac Judaeos esse in Ecclesiam Christi accipiendos, in eaque cum Judaeo-Christianis eisdem juribus eisdemque privilegiis esse usuros.*

---

(1) V. supra, pp. 228 ss.
(2) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIV, pp. 225 ss. ; t. XVI, pp. 398 ss.

Mysterium istud describit in v. 6 : « Gentes esse [cum Judaeis] coheredes [bonorum regni messianici, gratiae in hac vita, gloriae in vita futura], et concorporales [membra ejusdem corporis mystici, Ecclesiae, sine jurium distinctione], et comparticipes promissionis [τῆς ἐπαγγελίας : omnium illorum bonorum quae Deus promisit populo suo], in Christo Jesu, per Evangelium ». — Idem brevissima formula enuntiat Col., I, 27 : Mysterium « quod est Christus, in vobis, spes gloriae » ; scilicet dum Gentiles hucusque vixerant « sine Christo..., spem non habentes » (Eph., II, 12), nunc Christus est in iis sicut in Judaeis, nunc habent Christum, nunc Christus est ipsis spes, est ipsis pignus gloriae aeternae (1).

Egregio modo sic, quantum ad homines, verificabatur generalius illud decretum quo Deus statuerat sensu supra (pp. 228 ss.) explicato instaurare *omnia* in Christo (2).

II. **Ratio nominis Mysterii.**

Tria quasi stadia distinguit s. Paulus in manifestatione hujus mysterii (3). Nimirum, arcanum illud consilium quod ab aeterno Deus apud se efformaverat :

1) Per omnia retro saecula usque ad tempus Christi et Apostolorum *absconditum* (4) remansit. — Quod tamen non est absolute accipiendum : ipse enim Apostolus, et merito, ad demonstrandam oeconomiam illius mysterii, non raro provocat ad scripturas V. T. (5) ; sed dicitur *absconditum*, utpote imperfecte tantum cognitum, per comparationem cum plena apertaque ejus revelatione quae nunc in Evangelio facta est (6).

---

(1) Inde vocatur : Mysterium Christi, i. e. ad Christum spectans. Col., II, 2 ; IV, 3.

(2) "La mesure de faveur dont Israël avait bénéficié jadis avait divisé... les deux fractions de l'humanité et multiplié les jalousies, les malentendus, les mépris mutuels. Jésus-Christ renverse la barrière ; il invite les deux moitiés du genre humain à n'être plus qu'un peuple ; il cimente leur union de son sang et il la consacre dans l'intimité indissoluble de son corps mystique ". PRAT, La Théologie de saint Paul, t. I, pp. 432 s.

(3) Cfr. Rom., XVI, 25-26 ; Col., I, 24-27 ; Eph., III, 9.

(4) Ipsi Angeli illud mysterium saltem non plene perspexerant, siquidem, Eph., III, 11, per praedicationem Pauli illud nunc noverunt.

(5) Cfr. Rom., III, 21 ; IX, 24-26 ; XVI, 26 ; Gal., III, 8 ; Act. Ap., XIII, 1.

(6) Cfr. Eph., III, 5 : " Quod aliis [praeteritis] generationibus non

2) Nunc autem *manifestatum* est, « revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis [Novi Testamenti], in Spiritu », seu per specialem Spiritus sancti revelationem.

3) Tandem per illos Apostolos et Prophetas, et speciali jure, per ipsum s. Paulum mysterium istud ulterius debet ubique *notificari*, in praedicatione evangelii (1).

Revera manifeste praedictum fuerat *in Vetere Testamento* quod Gentiles aliquando vocarentur et converterentur ad verum Deum, sed *modus* quo haec vocatio exsecutioni mandaretur antiquos latebat; bene poterant — nimis prementes descriptiones metaphoricas Prophetarum V. T. — aestimare eos simpliciter ad Judaismum et *sic* ad Deum Judaeorum esse transituros. — Similiter *Christus* futuram conversionem Gentilium praedixerat, et Apostolis demandaverat munus docendi omnes Gentes eosque ad baptismum caeteraque religionis christianae dogmata et instituta adducendi; attamen, etiam ipse, quamvis utique theoretice et practice docuisset principia ex quibus postea possent Apostoli ad abrogationem legis et oeconomiae mosaicae concludere, non tamen explicite docuerat *modum* quo illa Gentilium conversio fieret. — Revera Apostoli posteriori tantum tempore, juvante divina Spiritus sancti revelatione (2), aperte cognoverunt et in praxim deduxerunt doctrinam Gentiles esse aeque immediate ac Judaeos, quin transeundum ipsis esset prius per Judaismum, in Ecclesiam admittendos nullumque in hac Ecclesia esse discrimen Judaeo Christianos inter et Ethnico-Christianos.

A. VANDER HEEREN.

---

est agnitum filiis hominum, sicuti nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus et Prophetis [Novi Testamenti] in Spiritu ».

(1) Inde dicitur Mysterium Evangelii, utpote quod Evangélio continetur et nuntiatur. Eph., VI, 19.

(2) Cfr. Act. Ap., X-XI; XV (vide commentarium VAN STEENKISTE-CAMERLYNCK, in h. l.) et Eph., III, 5.

II.

De mundo creato ab aeterno juxta rationem.

Q. *Explica haec verba* s. Thomae in Sum. Theol., I, q. 46, a. 2, c. : « *mundum non semper fuisse, sola fide tenetur, et demonstrative probari non potest* ».

R. Ad mentem s. Thomae sola revelatione constat mundum non semper fuisse, et demonstrative, nimirum per naturalem rationem, probari nequit, mundum non fuisse creatum ab aeterno; de hac re scilicet per argumentum rationis nihil certo statuere licet (1).

I. — Ut hanc suam opinionem defendat s. Doctor duplicem affert considerationem.

A. — Prima, quam Angelicus ponit secundo loco, desumitur « *ex parte causae agentis*, quae agit per voluntatem ».

Mundus reapse est, quia *Deus vult ipsum esse;* sed « voluntas Dei, ratione investigari non potest, nisi circa ea quae absolute necesse est Deum velle ».

Atqui « talia non sunt quae (Deus) circa creaturas vult » (2), quandoquidem *libere* vult mundum esse, uti ex tractatu de Deo demonstratum supponitur (3).

Ergo ratione nihil investigari potest circa actum liberum quo Deus vult mundum esse, et demonstrative probari nequit ex hac prima consideratione, utrum necne Deus mundum in tempore, vel melius cum tempore, creare voluerit.

---

(1) In art. primo ejusdem quaestionis s. Thomas ostendit non necessarium esse ut mundus semper fuerit; itaque, ait, si mundus fuisset creatus ab aeterno, hoc pariter demonstrative probari non posset. — Mundus intelligitur " universitas creaturarum „, uti legenti textum Aquinatis manifestum videtur (cf. etiam a. 2, ad 8), et agitur de creatione terminative spectata; perspicuum aliunde apparet creationem entitative sumptam esse aeternam, sicut ipse Deus, licet simpliciter dici non possit : " Deus ab aeterno creavit „, uti exponitur apud Coll. Brug., IX (1904), p. 83.

(2) S. Thomas, Sum. Theol., I, q. 46, a. 2, c.; vide etiam De Potentia, q. 3, a. 17, c.

(3) Cf. Sum. Theol., I, q. 19, a. 3, c. — Ill. ac rev. Waffelaert, Medit. Theol., apud Coll. Brug., V (1900), p. 100, p. 653 et p. 656; Van der Meersch, De Deo Uno et Trino, n. 471 s., p. 369 s., Brugis, 1917.

B. — Secunda consideratio, quae ponitur prima apud Aquinatem, desumitur « *ex parte ipsius mundi* », videlicet ex parte effectus causae creatricis. Et revera argumento rationis conficimus mundum, ens contingens, quod ita existit, ut possit non existere, de facto non esse nisi per ens necessarium, quod ipsum producit ex non ente, itaque per creationem; attamen juxta s. Thomam, mundum fuisse creatum cum tempore minime exinde sequitur.

Et enim, ait, « demonstrationis principium est *quod quid est* », seu ipsa *definitio* rerum.

Atqui res creata, quatenus est creata, aut aliis verbis, ipsa *notio creationis* neque tempus involvit, neque tempus excludit, sed *a tempore simpliciter abstrahit.*

Ergo mundum incepisse aut non incepisse cum tempore demonstrative rursus, ex hac secunda consideratione, probari nequit (1).

Ut hoc argumentum rite intelligamus, oportet notionem creationis recolamus, prout apud Doctorem Angelicum exponitur.

Creatio est « emanatio (sive productio) totius esse ex non ente, quod est nihil » (2); unde proprie loquendo « *non est mutatio* nisi secundum modum intelligendi tantum. Nam de ratione mutationis est quod aliquid idem se habeat aliter nunc et prius.... Sed in creatione, per quam producitur tota substantia rei, non potest accipi aliquid idem aliter se habens nunc et prius, *nisi secundum intellectum tantum* » (3). In creatione igitur non

(1) Cf. Sum. Theol. I, q. 46, a. 2, c. — Idem argumentum paulo difficilius proponitur in De Potentia, q. 3, a. 14, c.: " Hoc enuntiabile, aliquid (quod est diversum in substantia existens a Deo fuisse semper, id est: aliquid, quod est creatum a Deo, semper fuisse), non potest dici impossibile secundum se, quasi sibi ipsi repugnans: hoc enim quod est esse ab alio, non repugnat ei quod est esse semper.... nisi quando aliquid ab alio procedit per motum, quod non intervenit in processu rerum a Deo ". Distinctius: ex eo quod aliquid dicitur et est ab alio per creationem, non sequitur hoc ens aliquando incepisse, quia in hoc casu esse ab alio et esse semper non repugnant. Vide adhuc ejusdem s. Doctoris Opusc. XXVII de aeternitate mundi, p. 358, G. Venetiis, 1587.

(2) Sum. Theol., I, q. 45, a. 1, c.; cf. De Potentia, q. 3, a. 1, c.

(3) Sum. Theol., I, q. 45, a. 2, ad 2; lege insuper q. 46, a. 1, ad 5; Sum. c. Gent., II, 17 s.; De Potentia, q. 3, a. 2, c. et a. 3, c.

datur in tempore prius non ens ac deinde aliquod ens, sed « cum creatio sit sine motu, simul aliquid creatur et creatum est » (1). Dicitur hac de causa creationem esse in instanti, sive esse instantaneam, quia nullatenus in tempore obtinet (2).

Quando ponimus itaque, inquit s. Doctor, non ens tanquam *terminum a quo* creationis, et quando ens productum per creationem vocamus *terminum ad quem*, tunc minus accurate loquimur (3). Hic modus loquendi intelligitur ex eo 1) quod « principium nostrae cognitionis est a sensu », et 2) quod « impossibile est intellectum nostrum secundum praesentis vitae stadium quo passibili corpori conjungitur, aliquid intelligere in actu, nisi convertendo se ad phantasmata » (4).

Dicimus utique necessario, propter conjunctam imaginationem : id quod fit per creationem nunc est, et antea non erat (5) ; sed creatio proprie neque tempus involvit, neque tempus excludit, adeoque, ex notione creationis, mundum non semper fuisse, demonstrative probari nequit.

II. — Multae difficultates s. Thomae fuerunt oppositae et a philosophis et theologis adhuc quotidie opponuntur.

Praecipuae exhauriuntur ex ipsa suppositione *facti* creationis ab aeterno, quia, aiunt, eo ipso quod mundus

---

(1) Sum. Theol., I. q. 45, a. 2, ad 3 ; cf. etiam De Potentia, q. 3, a. 1, ad 11 ; a. 14, ad 7, secundo loco ; Opusc. De aetern. mundi, p. 358, H.

(2) Cf. Sum. Theol., I, q. 46, a. 2, ad 1 ; Sum. c. Gent., II, 19 ; De Potentia, q. 3, a. 1, ad 10.

(3) Sum. Theol. I, q. 45, a. 1, ad 2 ; q. 46, a. 3, ad 2 ; De Potentia, q. 3, a. 2, c.

(4 Sum. Theol., I, q. 84, a. 6, sed contra et a. 7, c. — Cf. adhuc q. 85, a. 1, c. et pro explicatione horum textuum lege De Jaegher, Instit. Philos., n. 427, p. 436 s., Brugis, 1920.

(5) Cf. De Potentia, q. 3, a. 2, c : " Invenitur aliquod commune subjectum esse secundum imaginationem tantum, prout scilicet imaginamur unum tempus commune dum mundus non erat, et postquam mundus in esse productus est „ ; vide pariter a. 14, ad 6, primo loco et ad 7, sec. loco atque De aetern. mundi, p. 358, k : „ Quia homines consueti sunt considerare hujusmodi factiones quae sunt per motum, ideo non facile capiunt, quod agens duratione effectum suum non praecedat „, quamquam causa creatrix certo natura praecedit effectum suum, quatenus creatura a Creatore quoad esse suum dependet, uti clare dicitur De Potentia, q. 3, a. 2, ad 7, secundo loco.

existit, existit in tempore, quoniam tempus necessario cum mundo coepit. Alioquin, addunt, in hac hypothesi, devenire oportet ad multitudinem actu infinitam, quae est impossibilis (1).

Jamvero subtiliores disputationes omittimus, quia sententiam s. Thomae explicare solum intendimus. Advertamus tamen *similes* difficultates exoriri, v. g. pro corporibus resurgentium et pro ipsa anima humana, quam etiam argumento rationis immortalem esse ostendimus.

Juvat in fine adnotare quemadmodum ratiocinium ex contingentia rerum, quo demonstratur existentia Dei et ipsum factum creationis totius mundi a Deo, sit independens a controversia utrum necne mundus cum tempore creatus fuerit. Nemo non videt quantum referat ut hanc sententiam Aquinatis saltem recte intelligamus, ne argumenta non omnibus peremptoria, praesertim in libris apologeticis, adstruamus.

H. LAMIROY.

III.-IV.

De Obedientia.

Q. *Explica secundum* s. Thomam, *in II-II, q. 105, a. 1, rationem fundamentalem cur obligatoria sit* obedientia *subditi erga superiorem*; *illiusque virtutis expone notionem.*

R. I. **Fundamentum obligationis.**

Enervata nostris diebus apud plurimos reverentia auctoritatis et debilitatus quasi undique affectus obedientiae magno sane periculo sunt modernae societati (2); nec

(1) Cf. Sum. Theol., I, q. 46, a. 2, ad 1 et seq.; Sum. c. Gent., II, 38; De Potentia, q. 3, a. 14, ad 1 et seq., secundo loco. — Advertatur nullam esse difficultatem, quam quidam ingerunt ex notione aeternitatis; scil. mundus etiam si esset aeternus, esset aeternus alia ratione ac ipse Deus (cf. Sum. Theol., I, q. 46, a. 2, ad 5; ita pariter dicitur Deum esse et mundum esse, sed esse de Deo et de mundo analogice praedicatur.

(2) " Cupiditates enim populares quamlibet imperii vim audacius hodie recusant, quam antea: et tanta est passim licentia, tam crebrae seditiones ac turbae, ut iis qui res publicas gerunt non solum denegata saepe obtemperatio, sed ne satis quidem tutum incolumitatis praesidium relictum esse videatur „. Encyclica LEONIS XIII: Diu-

minus infausti proclamandi sunt conatus multorum ad ipsa fundamenta obedientiae evertenda, quibus tunc nova principia secundum novas tam erroneas quam temerarias theorias sufficere satagunt. Quamobrem absque causa non erit vera principia rursus in memoriam revocare, sanamque doctrinam de obedientiae virtute simulque de fundamento ejusdem obligationis iterum proponere, secundum illud s. Scripturae: « non est potestas nisi a Deo » (1).

Profecto, cum Deus hominem creaverit socialem, nullusque in societate ordo possibilis concipiatur absque subordinatione voluntatum et exinde actionum, jam ex hoc patet Auctorem naturae, quippe qui ordinem voluerit, etiam inter homines jus auctoritatis existere voluisse, ipsique debitam praestari obedientiam consequenter imposuisse. Ipsum itaque jus auctoritatis asserendum est a Deo demum descendere atque superioribus conferri; quod sequenti ratione exponit s. Thomas:

« Respondeo dicendum quod sicut actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus, ita etiam operationes humanae procedunt ex humana voluntate. Oportuit autem in rebus naturalibus ut superiora moveant inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatae divinitus. Unde etiam oportet in rebus humanis quod superiores moveant inferiores per suam voluntatem, *ex vi auctoritatis divinitus ordinatae*. Movere autem per rationem et voluntatem est praecipere. Et ideo sicut ex ipsa ordine naturali divinitus instituto inferiora in rebus naturalibus necesse habent subjici motioni superiorum; ita etiam in rebus humanis *ex ordine juris naturalis et divini* tenentur inferiores suis superioribus obedire » (2).

Itaque ex jure naturae et divino, seu ex Dei voluntate et ordinatione, provenit radicitus obligatio obedientiae, sicut et ipsa superiorum auctoritas; adeo ut haec primordialia independenter ab hominibus existant vimque habeant. Ceteroquin reflectenti facile apparet ab hominum

---

turnum illud. Haec quidem Encyclica, simul ac alia: Immortale Dei, totam hanc materiam pulcherrime evolvit.

(1) Ad Rom., XIII, 1. Cf. praeterea Proverb., VI, 3-4; Eccl., XVII, 14; Jo., XIX 11; ad Rom., XIII, 4.

2 II-II, q. 104, a. 1.

libera voluntate aut pactione minime demum pendere sive necessitatem ordinis, sive obligationem obedientiae, sive ipsam tandem auctoritatem :

Necessitas ordinis, et inde auctoritatis, non ex arbitrio sed ex natura hominum exsurgit, quae est opus Dei; haec est enim quae, utpote socialis, essentialiter ordinem expostulat.

Obligatio obediendi, hanc dico quae conscientiam urgeat et necessitatem imponat submissionis sub poena aeterni etiam supplicii, nequidem concipitur absque Dei interventu et ordinatione. Numquid homo hominem ita ordinare valet ad suum finem ultimum, ut conditiones ei imponat necessarias ad ejus assecutionem, et hoc absque auctoritate Illius qui finem ultimum ordinavit? Ideoque demum omnis obligatio veri nominis, et proinde omne jus a Deo descendit, et hoc tantum modo vigere potest (1).

Nec minus denique ipsa auctoritas a Creatore procedit. Quod quidem pro ecclesiastica potestate et parentali seu domestica luce clarius est: cum prima a positiva Dei ordinatione derivet, altera autem immediate a jure naturae, independenter a quocumque filiorum lubitu vel pacto. Sed aeque logice de civili potestate idem asserendum est. Si enim civilis societas, non sub hac vel illa forma, sed absolute considerata, ab ipsa natura sociali hominum seu a Deo auctore naturae dicenda est provenire, nonne idem de auctoritate politica est proclamandum, quippe quae hujus societatis constituit elementum essentiale, imo et formale? (2) Nec insuper plura quae sub hac potestate civili comprehenduntur, absque delegatione divina explanari valent; ut jus vindictae, et praesertim gladii ad punitionem malefactorum, absque urgenti scilicet et actuali

---

(1) Cf. Encycl: Diuturnum illud: "Atque illud etiam magnopere valet, quod ii, quorum auctoritate respublica administratur, debent cives ita posse cogere ad parendum, ut his plane peccatum sit non parere. Nemo autem hominum habet in se aut ex se, unde possit hujusmodi imperii vinculis liberam ceterorum voluntatem constringere. Unice rerum omnium procreatori et legislatori Deo ea protestas est: quam qui exercent, tanquam a Deo secum communicatam exerceant necesse est". — Cf. etiam Th. Meyer s. j., Institutiones juris Naturalis, I, n. 497 seq.

(2) Cf. Th. Meyer, ibid., II, n. 387 seq.

necessitate propriae defensionis occisivae: solus enim Deus dominus est vitae, et in Scriptura sacra sibi reservat vindictam (1).

Interveniunt tamen saepius libera hominum voluntas et conventio in determinanda forma alicujus auctoritatis, puta civilis: possunt enim diversis modis et sub variis limitationibus designari personae quae auctoritatem exercebunt; sed semper auctoritas ipsa a Deo participabitur (2). Semper etiam inveniri oportebit superioritas et correlative inferioritas veri nominis, etiam sub regimine in quo auctoritas apud totalitatem membrorum resideret: tunc enim superiores essent membra hujus societatis, cum in unum congregati auctoritative disponerent atque praecíperent; inferiores autem, cum singulatim considerarentur ut particularia membra (3).

Nec unquam logice stabit positio philosophorum ex schola Jean-Jacques Rousseau, qui auctoritatem a solis

(1) Cf. Suarez, De Legibus, l. 3, c. 3, § 3.

(2) " Interest autem attendere hoc loco, eos, qui reipublicae praefuturi sint posse in quibusdam causis voluntate judicioque deligi multitudinis, non adversante neque repugnante doctrina catholica. Quo sane delectu designatur princeps, non conferuntur jura principatus: neque mandatur imperium, sed statuitur a quo sit gerendum. Neque hic quaeritur de rerum publicarum modis: nihil enim est, cur non Ecclesiae probetur aut unius aut plurium principatus, si modo justus sit et in communem utilitatem intentus. Quamobrem salva justitia, non prohibentur populi illud sibi genus comparare reipublicae quod aut ipsorum ingenio aut majorum institutis moribusque magis apte conveniat „. Encycl.: Diuturnum illud.

(3) Cf. Pègues, O. P., Commentaire français littéral de la Somme Théologique, in h. l., XII, p. 517.

(4) Cf. Encycl.: Diuturnum illud: Imo recentiores perplures, eorum vestigiis ingredientes qui sibi superiore saeculo philosophorum nomen inscripserunt. omnem inquiunt potestatem a populo esse: quare qui eam in civitate gerunt. ab iis non uti suam geri, sed ut a populo sibi mandatam, et hac quidem lege, ut populi ipsius voluntate, a quo mandata est, revocari possit „. — Cf. etiam Encyclicam Immortale Dei: " Eorum principiorum illud est maximum, omnes homines, quemadmodum genere naturaque similes intelliguntur, ita reapse esse in actione vitae inter se pares: unumquemque ita esse sui juris, ut nullo modo sit alterius auctoritati obnoxius: cogitare de re qualibet quam velit, agere quod lubeat, libere posse: imperandi aliis jus esse in nemine. His informata disciplinis societate, principatus non est nisi populi voluntas, qui ut in sui ipsius unice est potestate, ita sibimetipsi solus imperat: deligit autem, quibus se committat, ita tamen ut imperii non tam jus, quam munus in eos transferat, idque suo nomine exercendum „.

dominibus procedere volentes, eam proclamant foetum sic dicti *contractus socialis* libere inter homines initi, vi cujus singulum membrum in manus alicujus individui vel aliquorum transfert potestatem quam in seipsum habet, adeo ut superioris auctoritas simplex delegatio sit et a parte subditorum unice proveniat, atque solummodo personificatio seu repraesentatio voluntatis eorum dicenda sit, absque vero proinde et proprio discrimine superiores inter et inferiores.

Quae profecto theoria negatio est verae auctoritatis veraeque obligationis, ut ostendimus; praeterquam quod historicae experientiae contradicit et pluribus redundat contradictionibus (1), praebetque in suis consectariis pro libertate servitutem, et pro morali regimine durissimam praevalentis numeri tyrannidem.

Sed nec ullum aliud systema invenire poterunt quod a jure naturae et a Deo debitas suas partes abjudicet, quin theoretice in contradictiones, et practice in infaustissimas sequelas impingere cogantur (2).

II. **Virtus Obedientiae.**

1. *Notio.*

Obedientia, ut habitus specialis adnexus justitiae, est « virtus per quam aliquis sui superioris praecepto obtem-

(1) " Magnus est error non videre, id quod manifestum est, homines, cum non sint solivagum genus, citra liberam ipsorum voluntatem ad naturalem communitatem esse natos: ac praeterea pactum, quod praedicant, est aperte commentitium et fictum, neque ad imperiendum valet politicae potestati tantum virium, dignitatis, firmitudinis, quantum tutela reipublicae et communes civium utilitates requirunt. Ea autem decora et praesidia universa tunc solum est habiturus principatus, si a Deo augusto sanctissimoque fonte manare intelligatur„. Encycl.: Diuturnum illud.

(2) " Contra inventae a recentioribus de potestate politica doctrinae magnas jam acerbitates hominibus attulerunt, metuendumque ne extrema malorum afferant in posterum. Etenim jus imperandi nolle ad Deum referre auctorem, nihil est aliud quam politicae potestatis et pulcherrimum splendorem velle deletum et nervos incisos. Quod autem inquiunt ex arbitrio illam pendere multitudinis, primum opinione falluntur; deinde nimium levi ac flexibili fundamento statuunt principatum. His enim opinionibus quasi stimulis incitatae populares cupiditates sese efferent insolentius, magnaque cum pernicie reipublicae ad caecos motus, ad apertas seditiones proclivi cursu et facile delabentur„. Encycl.: Diuturnum illud.

perat, ex intentione satisfaciendi ejus praecepto » (1).

Objectum ejus *materiale* constituunt praecepta superiorum expressa vel tacita; objectum vero *formale* eadem praecepta, in quantum ipsis debita est obtemperatio propter reverentiam auctoritatis, et quatenus in hac inferiorum subjectione specialis honestas relucet. Etenim ad omnia opera bona quae specialem habent laudis rationem, ut docet s. Thomas, specialis virtus determinatur. Jamvero: « cum inferiores suis superioribus multa debeant exhibere, inter cetera hoc est unum speciale, quod tenentur eorum praeceptis obedire. Unde obedientia est specialis virtus »(2).

Ratio porro *debiti* quae in obedientia invenitur, a praecepto immediate venit (3); nec, ut patet, tam stricta est quam pro debito justitiae commutativae; insuper stricta etiam deficit hic alteritas personae: cum respiciat haec virtus superiores et inferiores qua tales seu qua relatos ad invicem et proinde aliquam etiam subaudiat personarum conjunctionem. Quamobrem obedientia ad partes justitiae potentiales referenda est.

Diversae quidem sunt auctoritates seu potestates legitime imperandi: alia enim est divina cui omnia subsunt, alia vero humana; haecque vel legislativa seu gubernativa seu jurisdictionis (ecclesiastica aut civilis) vel dominativa seu œconomica seu domestica. Inde tamen minime diversificatur virtus obedientiae, utpote quae formalem rationem praecepti ubique attendit, quae profecto pro diversitate superiorum non mutatur (4).

2. *Divisio.*

Agedum, distinguitur obedientia *materialis et formalis.* Materialis illa est quae quidem adimplet praecepta, sed non qua praecepta, verum ob aliud exclusive motivum, puta religionis, pietatis aut hujusmodi. Formalis autem illa est quae obedit quia praeceptum est, quae videlicet in obediendo intendit stare mandatis. Jamvero tunc tantum

(1) Billuart, Summa S. Thomae, in h. l., V, diss. 2, de obedientia et inobedientia, a. 1.

(2) II-II, q. 104, a. 2.

(3) Radicitus autem haec obligatio fundatur in jure naturae, ut supra ostensum est.

(4) Cf. S. Thomam, ibid., a. 2, ad 4.

obedientiae specialem laudem meritumque adipiscitur subditus cum formaliter obedit, ut docet s. THOMAS: « Si obedientia proprie accipiatur, secundum quod respicit per intentionem formalem rationem praecepti, erit specialis virtus, et inobedientia peccatum speciale: secundum hoc enim ad obedientiam requiritur quod impleat aliquis actum justitiae, vel alterius virtutis, intendens impiere praeceptum; et ad inobedientiam requiritur quod actualiter contemnat praeceptum. Si vero obedientia large accipiatur pro executione cujuscumque quod potest cadere sub praecepto, et inobedientia pro omissione ejusdem ex quacumque intentione, sic obedientia erit generalis virtus, et inobedientia generale peccatum » (1).

Porro, controvertitur inter AA. utrum laudatae obedientiae actum exerceat ille qui ex submissione animi *desideria* superioris adimplet, haec scilicet quae quidem posset superior praecipere sed tamen nondum explicite nec tacite imperavit.

Quae discussio, secundum communiorem sententiam, in partem negativam solvenda videtur: tum quia deficit in casu ratio debiti proprie dicti, quod nimirum pendet a praecepto, ita ut non detur relate ad desideria et consilia superiorum nisi debitum quoddam convenientiae, saltem ad obedientiam quod attinet; tum quia talis videtur mens s. Thomae in praesenti quaestione. Pluries enim affirmat proprium et speciale objectum obedientiae esse praeceptum; et a ratione praecepti desumit, ut vidimus, rationem specialis hujus virtutis. Insuper in art. 5, ad 3. distinguit triplicem obedientiam: « una sufficiens ad salutem, quae scilicet obedit in his ad quae *obligatur*; alia perfecta, quae obedit in omnibus licitis 2); alia indiscreta, quae

(1) Ibid., a. 2, ad 1.

(2) De hac perfectiore obedientia scribit P. CLAEYS-BOUUART S. J. in: Revue d'ascétique et de mystique, 1920, n. 1, p. 50: " L'obéissance chrétienne diffère profondément de la vertu naturelle d'obéissance: elle s'inspire d'un principe supérieur, la charité, et, comme la charité, elle s'insinue dans toutes les puissances de l'âme, envahit et enveloppe la vie entière ". Quibus tamen verbis non scite distinguit laudatus Auctor obedientiam hanc perfectiorem a virtute stricte dictae obedientiae, quae praeceptis obedit et ceteroquin in justis omnino supernaturalis et christiana est et dici debet; adde quod nec ista nec altera perfectior necessario a caritate imperantur.

etiam in illicitis obedit »; quibus nempe verbis innuit secundam illam obedientiam specie differre a prima, non secus ac tertiam quae certissime differt, cum sit vitium servilitatis.

Objicitur quidem textus s. Doctoris, in art. 2: « tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate superioris intellecta ». Verum, omnino videtur s. Thomas loqui de intellecta voluntate *praecipiendi;* ut enim statim antea posuit: « voluntas superioris quomodocumque innotescat, est quoddam tacitum praeceptum »; quod utique in voluntatem praecipiendi aptissime quadrat, secus vero in voluntatem desiderii seu beneplaciti (1).

Haec itaque virtus quae subditum inclinat ad morem gerendum cuicumque voluntati superioris, sive praecipiat sive non, suam peculiarem excellentiam pariter habet, et ad rectam suavemque gubernationem maxime conducit; optimeque dicitur pertinere ad spiritum obedientiae, nec ceteroquin alio nomine ac obedientia communiter decoratur (2). Imo, ut ait Doctor Angelicus: « pertinet ad cumulum perfectionis » (3). Quodsi ex amore Dei simul exerceatur, illud merito de ipsa praedicari potest quod alio loco s. Doctor de voto obedientiae religiosae habet: « nihil majus potest homo Deo dare quam quod propriam voluntatem propter ipsum voluntati alterius subjiciat. » (4)

Pertinent autem ad obedientiam stricte dictam *actus omnium virtutum,* prout sunt in praecepto. Praeterea « communiter adjungitur alia virtus eaque specifice diversa pro diversa imperandi potestatis origine, religio, pietas, observantia, quia communiter aderit in obediente affectus, per obedientiam superiori obsequium, honorem praestandi; idque saltem si obedientia formalis seu affectus subjacendi superioris voluntati exercetur » (5). Nec tandem quidquam impedit quominus insuper aliud motivum imperans, humi-

(1) Cf. Billuart, ibid.

(2) Nostris vero linguis saepe vocatur: buigzaamheid, docilité.

(3) Ibid., a. 5, ad 3.

(4) II-II, q. 186, a. 5, ad. 5.

(5) Lehmkuhl, Theologia Moralis, I, n. 924. — Cf. etiam S. Thomam, ibid., a. 3, ad 1.

litas v. g. vel praesertim caritas addatur: ita denique ut quis obediendo plurimarum virtutum laudem assequi valeat (1).

3. *Obligatio*.

Secundum unanimem AA. sententiam, sufficit jam ad obligationem adimplendam materialis observatio praeceptorum, cum non requiratur formalis intentio parendi mandatis ut actus sit virtuosus; quamquam, ut jam diximus, meritum obedientiae tunc minime obtineatur.

Nec etiam, ut patet, alicujus inobedientiae reatum incurrit ille qui, absque contemptu, desideriis vel consiliis superiorum morem gerere recusat, quamvis inde contra alias virtutes peccare possit.

Insuper, de extensione praecepti notandum est in solis sane licitis obedientiam praestari posse; nec ultra limites potestatis seu competentiae superiorum virtutem hanc obligare: quamvis in casu dubii (post examen permanentis) sive de liceitate sive de competentia praeceptum adhuc urgeat, stante nempe praesumptione in favorem superiorum.

Hisce dictis, obligatio obedientiae ex genere suo gravis est. Distinguitur scilicet inobedientia *materialis* et *formalis*. Prior, ut jam ex s. Thoma audivimus, invenitur in quolibet actu peccaminoso, utpote qui necessario sit contra aliquod praeceptum, sed non est contra virtutem ipsam obedientiae: ut si quis ex pigritia missam dominicalem non audiat, aut ex avaritia injustitiam committat, aut ex ira praeceptum patris sui transgrediatur, non tamen contemnendo praeceptum nec praecipientem. Verum, si a potestate jurisdictionis latum fuerat mandatum, peccatur tunc contra hanc virtutem intuitu cujus actio praecepta erat vel prohibita; si vero a potestate dominativa tantum, nec alio jam titulo res obligatoria erat, peccatur solummodo contra pietatem, vel religionem, vel observantiam.

De gravitate autem hujus inobedientiae dicendum in genere rem maxime pendere tum a gravitate et qualitate materiae tum ab intentione praecipientis.

---

(1) Obedientia, ut ex s. Greg. M. ait s. Ignatius de Loyola: Epistola de obedientia, est virtus "quae ceteras menti inserit, insertasque custodit".

Inobedientia vero formalis provenit ex formali contemptu, quo nempe subditus mandatum transgreditur praecise quia non vult ei subjici: additur tunc jam explicatis deordinationibus peccatum speciale contra virtutem obedientiae. Quod quidem peccatum ex toto genere mortale est (seclusa imperfectione actus) si formalis contemptus fuerit perfectus, si nempe ex toto subditus renuat obedire, sive quia contemnit auctoritatem qua talem, sive praecepta ipsa, sive ipsum praecipientem v. g. qua ignarum. Quodsi imperfectus fuerit contemptus sive praecepti sive praecipientis, scilicet in aliquo mandato, dum in aliis paratus est inferior obedire, tunc peccatum hujus inobedientiae sequitur gravitatem praecepti ex hoc contemptu violati, secundum dicta de inobedientia materiali (1).

E. Hosten.

V.

De promulgatione legum ecclesiasticarum.

Q. *Quomodo de facto nunc promulgantur leges ecclesiasticae et quandonam obligare incipiunt?*

Responsum huic quaestioni praebere debet *jus positivum ecclesiasticum*, nam 1°) ut supra vidimus (2), *modus* seu forma promulgationis, infra limites jure naturae praefixos, in potestate legislatoris est, et 2°) quod tempus attinet, quo leges ecclesiasticae, facta promulgatione, obligare incipiunt, etsi *per se* nulla sit admittenda vacatio (3), nihil impedit quominus legislator intervallum quoddam determinet ante quod leges vim suam non sortiantur. Porro non idem fuit semper decursu temporis in Ecclesia catholica modus promulgandi leges, ita ut non raro disputatum fuerit tum de sufficientia modi adhibiti, tum de duratione

(1) Cf. Billuart, ibid., a. 1.

(2) p. 239.

(3) Ita Wernz, Jus Decretalium, t. I, n. 101. Hanc sententiam vocat canonistarum magis communem.

Ratio est quia lex semel debito modo promulgata jam plene et perfecte constituitur, ideoque natura sua effectum suum sortitur.

vacationis, quam quidam AA., per fas et nefas admittendam censebant (1).

Ut autem haec incommoda confusae rationis, qua leges ecclesiasticae nonnumquam promulgabantur, in posterum vitarentur, Pius X, vi constitutionis *Promulgandi*, 29 Sept. 1908 (2), novam et stabilem introduxit disciplinam, quam *Novus codex* breviter reassumpsit et complevit. Ex his duobus documentis, invicem collatis, hodierna disciplina est haurienda. Jamvero:

I) Pro **legibus pontificiis** valet can. 9:

« Leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per » editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario* » *officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi » modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt tantum » expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero » appositus est, nisi ex natura rei illico ligent, aut in ipsa « lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse « fuerit statuta » (3).

Ad quorum intelligentiam sint sequentia:

1. Commentarium officiale cui titulus *Acta Apostolicae Sedis*, vaticanis typis, prima vice prodiit ineunte 1909. Continet non tantum decreta tum directe Romanorum Pontificum tum Congregationum et Officiorum (ut sunt e. gr. Dataria, Secretaria Status); sed etiam alia S. Sedis acta « scitu utilia ». Ideoque non omnia quae in Commentario evulgantur vim legis habent; inspicienda est natura et clausulae actorum, utrum necne revera leges sint (4). Ita notatim minime vim universalem habent, eo quod inseruntur in Commentario officiali, *sententiae judiciales* et *rescriptae in re particulari*, ut patet ex can. 17. § 3.

2. Ut acta S. Sedis, quae verae leges sunt, legitime

---

(1) Cfr. VANDEN BERGHE, De Legibus, n. 66 et seq., BOUQUILLON Theol. Mor. Fund. (ed. 3a), n. 119.

(2) Vide hanc Constitutionem apud Collat. Brug., t. XIII, p 605; in A. Ap. Sedis, t. I. p. 5.

(3) Legibus pontificiis aequiparanda sunt decreta Concilii generalis: haec enim " vim definitivam obligandi non habent, nisi a Romano Pontifice fuerint confirmata et ejus jussu promulgata „. Can. 227.

(4) Cfr. VERMEERSCH, De Religiosis, t. IV, p. 290.; GENICOT-SALSMANS, Instit. Theol. Mor., (ed. 8) n. 103.

promulgentur duo nunc requiruntur et sufficiunt: a) ut inserantur in officiali Commentario, b) ut inserantur « de mandato Praelati a secretis aut majoris Administri ejus Congregationis vel Officii a quo illa dimanent». His conditionibus si satisfactum fuerit, a momento quo Commentarii fasciculus in lucem prodierit, leges et decreta quae in eo continentur, sunt promulgata (1).

3. Attamen non statim obligant, sed tantum *expletis tribus mensibus* a die qui Commentarii *fasciculo* appositus est. Hujusmodi dilationis utilitas habetur in uniformitate disciplinae servanda et in obedientia facilitanda.

Ita quaestio de vacatione legum pontificiarum authentice solvitur; olim erat controversa: alii denegabant talis dilationis necessitatem, alii, invocata juris romani auctoritate, eam asserebant, sed quoad temporis determinationem discrepabant (2).

4. Nova disciplina est per se universalis et *unica*, ut aperte dicitur in constitutione *Promulgandi*, quae eam introduxit. Attamen:

a) S. Sedes sibi reservat peculiarem dispositionem tum quoad modum promulgandi, tum quoad dilationem obligationis *in casibus particularibus*, in quibus nempe, pro momento rei, usualis promulgatio vel ordinaria vacatio nimis restricta aut nimis ampla videretur. Quando vero, per exceptionem, alia forma promulgationis eligitur, haec est « specialiter et expresse » praescribenda vel notanda.

b) Ut patet, nova disciplina urgeri tantum potest « quoties promulgatione sit opus », et vacatio admitti non potest quando acta S. Sedis « ex natura rei illico ligant ». Hujusmodi sunt *decreta doctrinalia*, quae nempe definitiones Fidei continent vel legem divinam declarant. Ejusmodi leges improprie tantum ecclesiastica vocantur, divinae enim sunt; ideoque, cum jam sint promulgatae, ad inducendam obligationem non promulgatione sed sola cognitione

(1) Vermeersch, l. c.

(2) Claeys-Bouuaert, Selecta Capita Codicis Juris Can., Gandae, Siffer, 1919. p. 7. Quod trium mensium supputationem attinet, applicandus est can. 34. Ita leges quae fasciculo 1 decembris continentur, ab initio martii tantum obligant.

indigent (1). Quacumque igitur forma edantur, sive in Commentario officiali, sive aliter, obligant statim ac in notitiam fidelium deveniunt. Addi possunt decreta quae continent interpretationem authenticam *mere comprehensivam*, qua nempe legis anterioris verba in se certa declarantur tantum (can. 17. § 2.)

II. Pro **legibus episcopalibus** haec observanda sunt:

1. Juxta can. 335, § 2. « *Modus* promulgationis ab ipsomet Episcopo determinatur ». Manet igitur Episcopis, ut antea et juxta principia supra exposita, libertas utendi variis modis aptis. Unice in Novo Jure (can. 362.) determinatur: constitutiones synodales tanquam sufficienter promulgatas esse habendas « si in synodo promulgentur ..... nisi aliud expresse caveatur ». Et jure merito nam nulla lex magis solemniter editur, ea, quae fit in concessu praecipuae partis eorum, in quos fertur (2).

2. Leges episcopales per se nullam admittunt *vacationem* ut aperte dicitur in canone 335, § 2: « Leges episcopales statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur ».

Ita authentice decisum, quod jam erat antea sententia communis (3), et jure merito, quum sat facile lex episcopalis promulgata apud omnes in singulis partibus dioecesis divulgatur.

R. Deschepper.

VI.

De missa exsequiali in aut pro die obitus.

Q. Quandonam licet celebrare missam pro die obitus, *absente cadavere?*

Responsum eruitur ex titulo III *De missis defunctorum*, num. 4, in limine novae editionis Missalis defunctorum, desumpto ex *Additionibus et Variationibus in Rubricis Missalis*.

(1) Cf. Genicot-Salsmans, l. c.; Boucquillon, o. c., n. 121.
(2) Benedictus XIV, De Synodo, lib XIII, c. 4.
(3) Cf. Wernz, o. c., n. 101 et loca citata.

I) Missa exsequialis in die obitus, corpore physice praesente.

Omnino in votis est Ecclesiae ut fidelis defunctus sepeliatur cum Missa *Requiem*. « Quod antiquissimi est instituti (1), ait Rituale, VI, I, 4, illud quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa praesente corpore defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur ». Ideo hanc missam, quae stricto sensu *exsequialis* dicitur, voluit solemnitate et privilegiis ornatam :

1) Est missa *propria*, quae inscribitur in Missali « *in die obitus seu depositionis defuncti* ».

2) Celebranda est ritu qui *duplici* respondet (2), cum unica oratione et sequentia *Dies irae*.

3) Debet esse *solemnis* vel saltem cantata, nisi agatur de pauperibus (3) ; pro ipsis potest esse lecta.

4) Est valde privilegiata quoad *dies* quibus permittitur. Prohibetur enim tantummodo :

a) « in Duplicibus primariis I classis universalis » Ecclesiae (4), exceptis feriis II et III post Pascha et » Pentecosten in quibus permittitur » ; hoc est in festis Nativitatis Dni, Epiphaniae, in Triduo sacro, in festis Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Dni ; in festis Immaculatae Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., in festo et solemnitate S. Joseph, SS. Petri et Pauli, S. Michaelis et Omnium Sanctorum.

b) Pro ecclesiis particularibus, « in festis Dedicationis » ac Tituli ecclesiae ipsius (5) in qua funus agi deberet (6),

---

(1) Qua de re cf. Collat. Brugen., VI, p. 665 s.

(2) Adeoque in Officio defunctorum respondente duplicantur antiphonae, et omittuntur psalmi Lauda anima in Vesperis et De profundis in Laudibus (quae aliquatenus respondent precibus in officio quotidiano).

(3) Olim dicebatur " pro pauperе cujus familia impar est solvendo expensas missae exsequialis cum cantu „ D. 4024. Nunc autem dicitur simpliciter " pro pauperibus „.

(4) Ergo non prohibetur in festo SS. Cordis Jesu, quod est secundarium ; nec in diœcesi Brugensi, in festo Pretiosissimi Sanguinis (feria II post diem 2" Maii), quod est secundarium et etiam non Ecclesiae universalis.

(5) Ergo non prohibetur in festis Dedicationis aut Tituli ecclesiae cathedralis.

(6) Dicitur " in qua funus agi deberet „.

» necnon Patroni principalis loci (1), et, pro religiosis » Institutis, in festis Tituli aut Sancti Fundatoris Ordinis » seu Congregationis ».

Nota prohibitionem valere tantum « dummodo haec festa » non fuerint eo anno quoad solemnitatem translata; quo » in casu prohibetur [missa exsequialis] in dominicis in » quibus agitur solemnitas externa festorum hujusmodi ». Ideo in Gallia et Belgio non prohibetur in festis Epiphaniae, SS. Corporis Christi (2), SS. Apostolorum Petri et Pauli et Patroni principalis cujuslibet loci.

II) **Missa exsequialis pro die obitus, corpore moraliter praesente.**

Si missa exsequialis nequeat celebrari corpore physice praesente, eadem missa eodem ritu et cum iisdem privilegiis celebrari poterit alia die, modo verificentur quaedam conditiones. Et haec missa est vere *exsequialis*, et dicitur PRO *die obitus*, veniens in loco missae *in* die obitus, et corpus per fictionem juris censetur et dicitur *moraliter* praesens. Prohibetur igitur tantummodo iis festis solemnioribus, quae supra enumeravimus pro missa exsequiali *in* die obitus.

Conditiones autem requisitae sunt:

1° Ut missa in ritu sepulturae omittenda sit « *ob rationabilem causam* ».

Quando prima vice haec concessio facta est, alia non agnoscebatur causa quam civilis prohibitio deferendi cadaver ad ecclesiam (D. 3112, 1); postea in Decreto generali n. 3755, II, admittebatur « civile vetitum, morbus contagiosus aut alia gravis causa », et decr. *Busco-ducen.*, 24 nov. 1905, ut gravem causam agnoscebat « impedimentum liturgicum » (3). Nunc autem in rubricis novi Missalis pro defunctis jam non requiritur gravis sed *rationabilis* causa.

2° Ut missa celebretur una ex diebus « *ab obitu usque ad » secundam diem post depositionem defuncti inclusive* » et non ultra. Nihil refert utrum corpus sit insepultum an

(1) Ergo permittitur in festis Patroni secundarii aut in festis patroni diœceseos (v. g. S. Donatiani), provinciae aut nationis.

(2) Qua de re cf. Collat. Brugen., XVI, 595.

(3) Qua de re cf. Collat. Brugen., VI, 666 ss., XI, 188 ss.

jam sepulturae traditum, modo non sit elapsum biduum a die sepulturae (1). Si defunctus v. g. sit sepultus in Sabbato sancto poterit celebrari missa exsequialis pro die obitus in sola feria II Paschatis. Si vero fuerit sepultus in Coenā Domini vel in Parasceve, vi hujusce concessionis non poterit haec missa celebrari infra biduum, quia Parasceves, Sabbatum sanctum et festum Paschatis sunt dies impediti, ut vidimus. De hoc casu vide infra sub III.

3° Celebranda est « *in ecclesia in qua agitur funus defuncti* ». Agitur nempe non de quavis missa pro defuncto, sed de ea quae celebratur in ipso funere et, si plures celebrentur, de principali missa funeris (uitvaartmis, messe des funérailles).

Nomine *funeris* intelligitur « totus ordo exsequiarum, quae in probatis liturgicis libris describuntur » (can. 1215), signanter in Rituali, t. VI, c. III. Complectitur ibi cadaveris elationem et deductionem, officium defunctorum, missam et absolutionem cum oratione *Non intres*, delationem cadaveris ad coemeterium et sepulturam. Ast in casu de quo agimus, corpore absente, cadaveris elatio, deductio ad ecclesiam primo et deinde ad sepulchrum et sepultura, ut patet, observari nequeunt. Funus ergo hcic, ex subjecta materia, comprehendit: a) officium defunctorum (quod non est de praecepto); b) missam pro die obitus, celebratam ut supra notavimus, c) missae cohaerentem absolutionem, quae agi debet omnino ac si corpus esset physice praesens (2). Caput ergo loculi seu lecticae verti debet ut in Ordine exsequiarum praescribitur, et cantari debent

(1) Hanc sententiam jam propugnabant Collat. Brug., VI, 667 et confirmaverat decr. Buscoducen., 24 nov. 1905; quidam tamen habebant eam dubiam. Nunc omnis dubitandi locus aufertur textu novi Missalis.

(2) Cf. Decr. 3111, 1. Ita communiter auctores ante novam editionem Missalis. Et haec obstare non videtur, quamvis in " absolutione super tumulum „ dicatur orationes Non intres et Deus cui proprium reservari pro casu quo cadaver est " praesens „. Hoc verbum enim, ex complexu disciplinae de qua agimus, intelligendum censemus de praesentia tam morali quam physica. Indubium est orationem Deus cui proprium, ex t. III, n. 4, dicendam esse in missa pro die obitus; cur esset prohibita in absolutione hanc missam sequente? Et cur non esset idem statuendum de oratione Non intres? Cf. Nouv. Revue théol., 1920, p. 423.

orationes *Non intres* et *Deus cui proprium est... quam hodie de hoc saeculo...*, sed omittuntur *In paradisum* et sequentia, et absolvitur caeremonia ut in casu absolutionis absente corpore, prout nunc clare exponitur ad calcem novi Missalis pro defunctis « absolutio super tumulum ».

4° *Semel* tantum celebrari potest haec missa exsequialis pro die obitus, quae est « *unica missa solemnis vel etiam pro pauperibus lecta* ». In una enim ecclesia pluribus quidem diebus cantari possunt missae etiam solemnes et cum absolutione pro uno defuncto, sed unum tantum agi potest funus cum missa exsequiali. Et unusquisque habet unam dumtaxat « ecclesiam funeris », ut elucet ex can. 1215 et ss. Ergo ne quidem in diversis ecclesiis potest celebrari haec missa privilegiata, corpore moraliter praesente.

III) **Missa exsequialis pro die obitus translata.**

« Quotiens autem a Rubricis, ut supra, haec missa impe-
» ditur, transferri potest in proximiorem sequentem diem,
» similiter non impeditam ».

Notabilem mutationem inducit haec dispositio per verba: SIMILITER *non impeditam*. Antea enim hujusmodi translatio jam admittebatur sed fieri poterat tantum in diem in qua non occurrebat festum duplex I vel II classis, festum de praecepto aut Dominica. Vi autem novae rubricae, missa exsequialis pro die obitus translata jam permittitur omnibus diebus quibus permittitur missa exsequialis in die obitus. Excipiuntur ergo tantummodo dies enumerati sub I, 4°.

Duplex est servanda conditio:

1° Una tantum agnoscitur causa impedimenti : si nempe missa exsequialis pro die obitus, ante expletum biduum post sepulturam celebranda, impediatur « *a Rubricis, ut supra* », h. e., si dies in qua celebranda esset, sit una ex diebus sub I. 4° enumeratis, in quibus nulla unquam permittitur missa *Requiem*.

Haec conditio non videtur intelligenda ac si a die mortis ad secundum diem post sepulturam nulla posset occurrere dies libera: sufficit ut impedita sit dies qua

funus convenienter esset faciendum: ut si v. g. moriatur quis feria III majoris hebdomadae.

2° Translatio fieri debet « in *proximiorem* sequentem diem, similiter non impeditam » et non ultra. In casu ergo quo defunctus sepeliatur in Coena Domini, missa exsequialis pro die obitus, transferri potest in solam feriam II Paschatis.

C. Callewaert.

MOTU PROPRIO

DE SACRIS SOLEMNIBUS ANNI QUINQUAGESIMI EX QUO S. IOSEPH B. M. V. SPONSUS ECCLESIAE PATRONUS RENUNTIATUS EST.

BENEDICTUS PP. XV

Bonum sane et salutare fuit nomini christiano quod Decessor Noster immortalis memoriae Pius IX castissimum Virginis Deiparae Sponsum eundemque Verbi Incarnati Nutricium Ioseph Ecclesiae Catholicae Patronum declaravit; quae res quoniam decembri proximo quinquaginta erunt anni cum auspicato evenerit, vehementer utile futurum ducimus si ea toto orbe terrarum solemni commemoratione celebretur.

Respicientibus quidem hoc spatium praeteriti temporis, obversatur Nobis ante oculos continuatio quaedam seriesque pie institutorum, quae cultum sanctissimi Patriarchae apud Christi fideles sensim usque adhuc crevisse indicent: verum, intuentibus rerum acerbitates quibus hodie humanum genus conflictatur, hanc ipsam pietatem multo studiosius foveri in populis, multoque latius propagari apparet oportere. — Etenim post tam gravem belli contentionem, quid ad communem ordinis tranquillitatem restituendam deesset, ostendimus nuper encyclicis illis litteris *de pacis reconciliatione christiana*, in quibus civiles potissimum tum populorum tum hominum inter ipsos rationes consideravimus. Nunc autem altera est perturbationis causa attendenda eaque longe maior, utpote quae in venis atque visceribus humanae societatis insideat. Scilicet eo tempore calamitas belli gentes occupavit, cum penitus eas *naturalismus* infecerat maxima illa saeculi lues, quae, ubi invaluit, caelestium bonorum desiderium debilitat, flammam divinae caritatis opprimit, hominem sananti et elevanti Christi gratiae subtrahit, eumque, fidei lumine denique orbatum et solis naturae infirmis corruptisque viribus instructum, effrenatis animi cupiditatibus permittit. Conversa igitur unice studia ad res caducas nimis multi mortales cum haberent, cumque proletarios inter et locupletes infensissimae aemulationes et simultates intercederent, mutuas classium inimicitias adauxit acrioresque reddidit belli diuturnitas et magnitudo, ideo praesertim quod hinc intolerandam multitudini annonae

caritatem, illinc subitam fortunarum affluentiam perpaucis attulit.

Accedit eo in cumulum, ut coniugalis fidei sanctitas patriaeque potestatis verecundia non parum detrimenti apud plurimos bello ceperint, propterea quod et alterius coniugis longinquitas officiorum vincula in altero relaxaret, et custodis absentia temeritatem maxime puellarum ad indulgendum sibi licentius impelleret. — Itaque dolendum est multo esse magis, quam antea, corruptos depravatosque mores, eâque re ipsam *causam socialem* quae dicitur, ingravescere in dies adeo ut extrema iam sint malorum extimescenda. Est enim flagitiosissimi cuiusque votis atque exspectationi maturus ortus cuiusdam universalis reipublicae, quae perfecta hominum aequalitate et bonorum communione, tanquam principiis innitatur, et in quae nec ulla sint nationum discrimina, nec patris in filios, nec publicae potestatis in cives, nec Dei agnoscatur in homines consociatos auctoritas. Haec si deducantur in usum, miros terrores sequi necesse est; et eos nunc quidem non exigua Europae pars experitur ac sentit. Atqui condicionem eiusmodi ceteris etiam populis quaeri videmus, concitatisque paucorum furore et audacia plebibus, magnas hic illic turbas subinde exsistere.

Equidem hoc rerum cursu Nos in primis solliciti, Ecclesiae filios sui commonefacere officii ex occasione haud praetermisimus, ut datis proxime ad Episcopum Bergomatium litteris, itemque ad Venetae regionis Episcopos. Iam eandem ob causam ut nostros homines, quotquot ubique sunt, qui manu et labore victum sibi comparant, in officio retineamus, eosque a contagione socialismi, quo nihil christianae sapientiae est inimicius, intactos conservemus, eisdem praesertim Sanctum Ioseph perstudiose proponimus, quem peculiarem et vitae ducem observent et patronum colant.

Is enim simili, atque ipsi, vitae genere aetatem exegit: cuius ratione rei Christus Deus, cum esset aeterni Patris unigenitus, *fabri Filius* appellari voluit. At eam loci fortunaeque humilitatem quantis quamque excellentibus ornavit virtutibus; nimirum iis quibus elucere decebat eum, qui vir esset Mariae Immaculatae, quique Iesu Domini Pater putaretur. — Quare, Ioseph magistro, discant omnes praesentia, quae fluunt, sub lumine spectare futurorum, quae permanent; et humanae incommoda condicionis spe consolantes caelestium bonorum, ad ea, divinae voluntati obsequendo, id est, sobrie et iuste et pie vivendo, contendant. Quod autem proprie ad operarios

attinet, placet ea referre quae Decessor Noster fel. rec. Leo XIII simili in causa edixit; sunt enim eiusmodi ut nihil aptius dici posse videatur: " Harum cogitatione rerum debent erigere „ animos et aequa sentire egeni et quotquot manuum mercede „ vitam tolerant: quibus si emergere ex egestate et meliorem „ statum acquirere concessum est non repugnante iustitia, „ ordinem tamen providentia Dei constitutum subvertere, „ non ratio, non iustitia permittit. Immo vero ad vim descen- „ dere, et quicquam in hoc genere aggredi per seditionem et „ turbas, stultum consilium est, mala illa ipsa efficiens plerum- „ que graviora, quorum leniendorum causa suscipitur. Non „ igitur seditiosorum hominum promissis confidant inopes, si „ sapiunt, sed exemplo patrocinioque beati Iosephi, itemque „ materna Ecclesiae caritate, quae scilicet de illorum statu „ curam gerit quotidie maiorem „ (1).

Crescente autem nostrorum religione erga Sanctum Ioseph, simul proclive factu est, ut eorum religio in Sacram Familiam Nazarethanam, cuius augustum Caput is fuit, capiat incrementum: alterum enim ex altero sua sponte efflorescit. Namque ab Ioseph ad Mariam recta deducimur, per Mariam autem ad omnis sanctitatis fontem, Iesum, qui domesticas virtutes suo ipsius in Ioseph et in Mariam obsequio consecravit. Ad haec vero tanta virtutum specimina omnino se christianae familiae renovent cupimus atque conforment. Ita, quoniam familiae fundamento communitas humani generis constituta est, cum societati domesticae plus firmitatis accesserit, eius nimirum munitâ sanctius et castimonia et concordia et fide, eo ipse novum quoddam robur et novus quasi sanguis per omnia societatis humanae membra diffundetur, influente usque quaque virtute Christi; nec solum privatorum morum sequetur emendatio, sed etiam communis vitae civilisque disciplinae.

Nos igitur eius plurimum confisi patrocinio, cuius vigilantiae providentiaeque Deus Unigenam suum Incarnatum Virginemque Deiparam commendatos voluit, omnibus Catholici orbis Episcopis auctores sumus, ut tam necessario rei christianae tempore fideles ad opem S. Ioseph eo vel studiosius implorandam cohortentur. Cum autem plures haec Apostolica Sedes modos probaverit sanctum Patriarcham venerandi, in primis quarta quaque feria et continenter per mensem proprium, eos omnes volumus in una quaque dioecesi, instante, sacrorum Antistite, quoad possit, frequentari. Sed praecipue,

(1) Epist. Encycl. *Quamquam pluries.*

quoniam praesentissimus morientium adiutor merito habetur, cui Iesus ipse cum Maria morienti adfuerint, Venerabilium Fratrum erit illa piorum sodalitia, quae Ioseph pro decedentibus exorando condita sunt, ut *a Bona Morte*, ut *a Transitu S. Ioseph*, ut *pro Agonizantibus*, omni auctoritatis suae suffragio et favore prosequi.

Ad memoriam vero celebrandam pontificalis Decreti, quod supra memoratum est, praecipimus et mandamus, ut intra annum a die VIII mensis Decembris proximi, toto orbe catholico, in honorem S. Ioseph B. M. V. Sponsi, Ecclesiae Catholicae Patroni, quo et tempore et modo cuique Episcopo videbitur, solemnis supplicatio fiat; cui quotquot interfuerint, eis singulis plenariam peccatorum veniam, usitatis condicionibus, lucrari licebit.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XXV mensis Iulii, in festo S. Iacobi Apostoli, anno MCMXX, Pontificatus Nostri sexto.

BENEDICTUS PP. XV

Suprema S. C. S. Officii

Romae, die.... Julii 1920.

Delatum est ad Supremam hanc Congregationem Sancti Officii opus cui titulus « *Felix Timmermans, Pallieter (Amsterdam, P. N. Van Kampen en Zoon).* » Quo accurate perpenso, Emi ac Rmi Cardinales una mecum Inquisitores Generales in consessu habito feria IV, die nona decurrentis mensis, judicarunt illud, utpote sensuum voluptatem fovens, pietatis exercitia haud reverenter tractans, ipsasque Fidei veritates quasi ludibrio exponens, animabus periculosum esse, ideoque mandarunt ut singuli Episcopi Belgici et Hollandici fideles moneant opus ipsum legi non posse.

Haec ego Amplitudini Tuae significans fausta cuncta atque felicia Tibi a Domino adprecor.

Amplitudini Tuae
Addictmus
R. Card. Merry del Val

Illmo ac Rmo Domino Episcopo Brugen.

LOI

PORTANT AUGMENTATION DES TRAITEMENTS ÉCCLÉSIASTIQUES (1)

ALBERT, Roi des Belges,

A tous, présents et à venir, SALUT.

Les Chambres ont adopté (2) et Nous sanctionnons ce qui suit :

Article 1er. Les traitements des membres du culte catholique, payés par l'Etat, sont fixés ainsi qu'il suit :

Clergé supérieur.

Archevêque	fr.	30,000
Évêques		24,000
Vicaires généraux de l'archevêché		7,400
Vicaires généraux des évêchés		6,800
Chanoines de l'archevêché		4,800
Chanoines des évêchés		4,400
Secrétaires de l'archevêché		3,400
Secrétaires des évêchés		2,600

Clergé inférieur.

Curés de première classe	fr.	4,200
Curés de seconde classe		3,600
Desservants		3,000
Chapelains et vicaires		2,400

(1) Voir *Moniteur*, p. 5893.

(2) *Session de* 1919-1920.

CHAMBRE DES REPRÉSENTANTS.

Documents parlementaires. — Exposé des motifs et projet de loi n° 228. Séance du 20 avril 1920. Rapport de M. Poncelet, n° 335. Séance du 8 juin 1920.

Annales parlementaires. — Discussion et vote. Séance du 7 juillet 1920, p. 1926 s. ; 8 juillet 1920, p. 1949 s.

SÉNAT.

Documents parlementaires. — Proposition de loi de MM. Keesen et consorts, n° 40. Séance du 24 février 1920. Rapport de M. Braun sur le projet de loi, n° 169. Séance du 22 juillet 1920.

Annales parlementaires. — Discussion et vote. Séances des 27 juillet 1920, p. 671 s. et 28 juillet, p. 717 s.

Art. 2. Les articles 1 et 2 et le second alinéa de l'article 3 de la loi du 24 avril 1900 sont abrogés (1).

Les mots *inférieur* dans le second alinéa de l'article 4 de la même loi est supprimé

Disposition transitoire.

Art. 3. Les chanoines des évêchés, les curés de seconde classe, les desservants, les chapelains et les vicaires jouissant au moment de la mise en vigueur de la présente loi du traitement supérieur attaché à leurs fonctions, recevront annuellement et à titre personnel aussi longtemps qu'ils conserveront leurs fonctions, un supplément de traitement, les chanoines de 400 francs, les curés et les desservants de 300 francs, les chapelains et les vicaires de 200 francs.

Promulguons la présente loi, ordonnons qu'elle soit revêtue du sceau de l'État et publiée par le *Moniteur*.

Donné à Bruxelles, le 10 août 1920.

ALBERT.

(1) Cf. *Coll. Brug.*, 1900, t. V, p. 572.

NOTE BIBLIOGRAPHICE

Th. Pègues. *Commentaire français littéral de la Somme Théologique de S. Thomas.* T. X-XIII. Paris, Téqui, 1915-1919.

Il est bien superflu de présenter une fois de plus aux lecteurs de notre Revue l'œuvre magistrale du révérend P. Pègues: aussi régulièrement que possible, ils ont été tenus au courant de l'ouvrage et de son avancement. Conçu pour mettre à la portée de tous les esprits cultivés le livre dont on a écrit qu'il est le chef-d'œuvre de la pensée humaine mise au service de la foi, et le plus beau livre sur la plus belle des sciences, le commentaire français du savant Dominicain en est actuellement à son 13e volume. Nous recensons ici les 4 derniers: le 10e sur les Vertus Théologales, datant de 1915; le 11e sur la Prudence et la Justice, édité en 1916; le 12e traitant de la Religion et des autres vertus annexes de la Justice, paru en 1918; et le 13e traitant des vertus de Force et de Tempérance, de 1919. Il reste encore à donner un volume sur les Etats, pour clôre la série des neuf tomes qui forment la seconde partie de la Somme Théologique. La troisième partie de la Somme suivra en son temps, nous avertit l'auteur; puisse ce temps être le plus rapproché possible.

Il ne peut certes être question, dans un simple compte-rendu, de suivre le révérend Père dans l'exposé des multiples matières traitées dans ces 4 gros volumes; pas plus qu'il n'est possible de recenser dans le détail S. Thomas lui-même.

D'autre part, tous les éloges que nous pourrions décerner au savant auteur, et que l'équité réclame, ne seraient que des redites; et pour tout dire en un mot, son Commentaire peut se passer de commentaires. Mais nous convions une fois de plus tous ceux qui, dans une langue vivante et sûre, veulent goûter à sa source la pure doctrine de l'Ange de l'Ecole, à se rendre compte par eux-mêmes de l'excellence de l'instrument mis à leur disposition: ils ne pourront après cela qu'applaudir au Bref de sa Sainteté le Pape Pie X, félicitant l'auteur d'avoir eu " la pensée d'exprimer dans la langue et avec le génie de sa patrie, qui excellent au premier chef par la clarté, l'œuvre qui est en théologie l'œuvre royale ".

A. Lehmkuhl, S. J. *Theologia Moralis*, 2 vol., ed.a 12a, Friburgi Brisgoviae, Herder, 1914. Pr. 25 f. 20. — Cum Appendice: *Quaestiones praecipuae morales novo Juri Canonico adaptatae*, 2a ed., 1918. Pr. 1 f. 95.

Cum anno 1910 penultimam sui operis editionem doctissimus Auctor, ut ipse in nova praefatione notat, ex integro refecerit, nihil aliud fere in hac duodecima editione curandum habuit nisi novas ecclesiasticas leges, quae interim latae erant, ut insereret, doctrinamque suam moralem iis adaptaret.

Reliqua quasi cuncta prorsus immutata reliquit, paucis exceptis quae accuratius exponere studuit, et quorum elenchus in prooemio indicatur.

Addidit tamen, precibus complurium obsecundans, brevem aliquem theologiae moralis conspectum historicum.

Neminem sane fugit hujus praeclari operis, inter hodierna theologiae moralis Manualia facile principis, laus eximia; nec ullum praeterea verbum praeconii desideratur, si modo nomen Auctoris citaveris. Hoc unum est dolendum: novam hanc editionem, cum ante novi Juris promulgationem typis fuerit mandata, in pluribus locis profecto recudendam esse, nec ab ipso claro Auctore, quippe qui ante duos annos plenus diebus obdormivit in Domino, adaptationem esse sperandam. Interim praebet breve quoddam opusculum seu appendix, ejusdem scriptoris opus posthumum, indicationes et necessarias collationes cum locis, qui ex novo Jure mutandi sunt.

D. Prümmer, O. P. *Manuale Theologiae Moralis secundum principia S. Thomae*, 3 vol. in-8, Friburgi Brisgoviae, Herder, 1915. Pr. 16 f. 80. — Accedit Supplementum: *Brevis conspectus Mutationum quas introduxit novus Codex Juris Canonici*, 1918. Pr. 0 f. 40.

Ultimis hisce temporibus cum parum admodum de re morali scripserint PP. Dominicani, jam ideo novum opus P. Prümmer, in Universitate Friburgi Helvetiorum professoris, acceptum erit. Porro inter varia non exigui meriti Manualia moralia quae nostris diebus prostant, si quis rimas explendas adhuc inveniri miratus fuerit, protinus ostendit Auctor scopum sibi fuisse aliquatenus peculiarem. Etenim, praeterquam quod promissis olim factis stare, precibusque discipulorum annuere voluerit, hoc praesertim movit ipsum ad scribendum, ut ait, quod Theologiam Moralem identidem in puram Casuisticam nimis declinasse videret. Quamobrem opus suum ita disponere satagit ut principiis magis insisteret quam applicationibus, virtutibusque magis quam vitiis. Insuper ducem in omnibus et antesignanum habere voluit Angelicum Doctorem, cujus rationibus et auctoritate ita fulcivit propositam doctrinam, ut sibi revera Theologiam moralem Thomisticam se composuisse videatur.

Tribus voluminibus conficitur opus: quorum primum, praeter Moralem fundamentalem, tractatum continet de Virtutibus Theologicis necnon de Prudentia vitiisque oppositis; secundum vero disserit de tribus aliis Virtutibus Cardinalibus cum partibus potentialibus et vitiis oppositis, secundum methodum S. Thomae; ultimum tandem materia Sacramentorum occupat.

Aequum est profecto novo Manuali debitas rependere laudes: nam et in modo exponendi claritas, et in dijudicandis sententiis maturitas ipsum commendant. Nec immerito Auctorem scopum suum peculiarem attigisse dixerimus, quamvis forte unius alteriusve principii uberior explicatio nonnunquam desideretur, atque in decursu tractationum influxus scholae scriptoris, ut par est, aliquando appareat.

Verum, novo Juri non est accommodatum opus; indeque notabile sequitur incommodum practicum, quidquid in Prooemio ad suum Supplementum Auctor in contrariam partem dicere videatur. Optamus autem ut mox ad normam Codicis recudatur istud Manuale, quippe quod inter modernas Theologiae Moralis elucubrationes honorificum locum promeretur.

Genicot-Salsmans, S. J. *Institutiones Theologiae moralis.* 2 vol., ed. 8ª, Bruxellis, Dewit, 1919. Pr. 24 f.

Inter ejusdem generis opera, hoc meritum duplex praeprimis sibi vindicare potest Auctor: quod jam secundum Codicem novi Juris adamussim suas Institutiones theologiae moralis recognoverit; et insuper quod partem de Justitia cum moderna Belgica legislatione civili comparet atque ipsi adaptet. Quam specialem sane laudem, nec parvi esse meriti judicaverint nostri sacerdotes, ita ut plures huic Manuali prae aliis calculum forsan adjiciant; accedunt enim adhuc dotes magnae claritatis et facilitatis in exponendo, ad doctrinam semper accuratius proponendam indefessa cura, et in solutionibus quaestionum discussionibusque sententiarum benigna temperatio. Et quamvis brevitas in dicendo nonnunquam probationi et profunditati doctrinae obstare posset, parcet tamen tempori; et in hoc forsitan, modernis in adjunctis, suo emolumento non caret. Valde commendabilem ergo et optimam esse hanc novam editionem secure pronuntiamus; quam ceteroquin laudem ipsius operis larga diffusio satis superque testatur.

Matharan-Castillon, S. J. *Asserta Moralia*, editio 13ª ad normam novissimi Codicis redacta; Paris, Beauchesne, 1919. In-12, p. 300. Pr. 9 f. 25.

Nunc paulo minora canamus. Praesens compendiolum, ut dicitur in Praefatione, non eo animo peractum est ut sacerdotes in posterum monumenta principum scientiae moralis perscrutari desinant; sed dumtaxat ut minore negotio et ideo crebrius morales regulas in mentem revocent. Constituit scilicet breve quoddam Vade-mecum definitionum, principiorum moralium et conclusionum, omisso quovis apparatu discussionum et probationum necnon auctoritatum; quamvis profecto sententiis AA. probatissimorum et textibus decisionum Romanarum plane nitatur doctrina proposita.

Auctor insuper, in hac nova editione, occasionem nactus est opportunam promulgationis novi Juris ut opus suum penitus recuderet: ipsos scilicet canones, quoad sensum saltem et substantiam, in suo textu insereret, partemque generalem initio tractatus, necnon quasdam in decursu libri quaestiones generales fusius evolveret. Cumque in sua materia optime versatus appareat, principiaque moralia claro securoque ingenio proponat, non est dubium quin ejus opusculum — id quod et numerosae editiones libri pariter declarant — sacerdotibus vere profuturum sit, nisi tamen pretio altiore hujus editionis ab illa emenda retrahantur.

L. Rouzic. *Théologie de la guerre en 18 leçons*, Paris, Bloud et Gay, 1916. In-8º. Pr. 3 f. 50.

Les 18 leçons qui composent ce livre ont été données durant la guerre, par l'abbé Rouzic, à des jeunes gens qui se préparaient à l'école polytechnique. Voulant savoir ce que l'Eglise pensait de la guerre, ces futurs soldats demandèrent à l'auteur une série d'instructions sur la doctrine catholique en cette matière; telle est l'origine du présent volume.

L'auteur, sans éviter de parti pris les allusions au conflit qui tenait

alors le monde en suspens, s'est toutefois proposé avant tout d'exposer les considérations qui conviennent à la guerre en général: il traite de l'universalité de la guerre, de ses causes, buts, conséquences, lois et obligations; des conditions de sa licéité, de l'attitude de l'Eglise en cette matière, de l'immunité des clercs; en un mot, il s'efforce de justifier le titre de son livre et de présenter aux lecteurs une vraie théologie de la guerre.

Le livre est sans contredit fort intéressant et sérieusement documenté. Mais au point de vue théologique, à côté de bien des pages solides, où la doctrine de S. Thomas et des maîtres de la science sacrée est parfaitement rendue, il se rencontre aussi des endroits plus faibles: de ci de là des notions ou distinctions qui manquent de précision ou de rigueur dans les termes; parfois dans l'argumentation quelque maille trop peu serrée; de temps à autre une interprétation ou une induction quelque peu sujette à caution. Somme toute, il est permis de douter que l'ouvrage, malgré ses mérites incontestables, expose de tous points l'exacte théologie de la guerre.

M. Chossat. S. J. *La guerre et la paix, d'après le droit naturel chrétien*, Paris, Bloud et Gay, 1918. Un vol. in-8.

Le P. Chossat, collaborateur au Dictionnaire de Théologie catholique et au Dictionnaire apologétique de la Foi catholique, professeur de théologie scolastique en Angleterre, a eu l'heureuse idée de réunir en un volume les 5 excellents articles qu'il avait publiés au commencement de 1918 sur la guerre et la paix, dans les Etudes des PP. Jésuites.

L'auteur se place au point de vue du droit naturel, qui est en l'espèce identique au droit chrétien; et il nous donne, sur la question du droit de guerre et du droit de paix, un travail vraiment remarquable. C'est à juste titre que, préfaçant son livre, M. Yves de la Brière écrit que quelle que soit la valeur des plus récents devanciers du P. Chossat, ce ne sera faire injure à aucun d'entre eux que de reconnaître combien son travail déborde tous les autres par l'amplitude comme par la profondeur. Et de fait, ce nous fut, à la lecture, une vraie jouissance de nous laisser conduire, dans ces questions si graves, par un esprit éclairé possédant à fond sa matière, l'exposant avec précision, l'établissant sur des bases solides, la commentant ensuite et l'appliquant avec une logique impeccable. Et de temps à autre, lorsque une phrase énergique, une épithète vengeresse venait flétrir, par manière de conclusion, les traîtrises et les attentats dont nous fûmes les victimes, ce nous fut aussi un réconfort, et comme un soulagement pour la conscience.

Cet ouvrage nous semble donc de tous points un beau et bon livre, un de ceux dont la lecture s'impose à qui veut avoir une idée juste sur la guerre au point de vue du droit naturel imprescriptible et de la conscience humaine.

J. Bittremieux. *Lessius et le droit de guerre*, Bruxelles, Dewit, 1920. In-8, p. 168.

Le sous-titre du présent ouvrage, que nous devons à la plume autorisée de M. l'abbé Bittremieux, professeur à l'université de Louvain, précise le but principal visé par l'auteur: c'est une contribution à

l'histoire des doctrines théologiques sur la guerre. Bien peu de personnes, parmi les laïques cultivés, étaient au courant jusqu'ici des anciennes thèses des docteurs catholiques sur les principes du droit naturel touchant les questions de guerre. D'aucuns attribuaient au protestant hollandais Grotius le premier traité didactique sur ces matières, alors qu'avant lui nombre de théologiens catholiques, et Lessius entre autres, avaient frayé les voies de magistrale façon. En ces dernières années toutefois, et surtout depuis la guerre, l'erreur s'est dissipée; et en vue d'approfondir les principes du droit naturel, qui sont à la base du droit de la guerre, maint publiciste s'est maintenant plongé dans la lecture des poudreux in-folios des vieux maîtres en théologie.

La docte étude de M. l'abbé Bittremieux nous présente à ce propos les doctrines du célèbre Lessius; et en même temps qu'elle contribue à nous faire mieux connaître la doctrine ancienne sur la guerre, elle nous montre aussi sous un aspect nouveau ce grand théologien belge du 16e siècle, écrivain d'une rare fécondité et d'une réputation européenne, mais dont maint écrit attend encore la publication. C'est en effet d'un des manuscrits du savant Jésuite que l'auteur s'occupe; il en étudie la partie qui traite du droit de guerre et en édite le texte. Le manuscrit lui-même est un commentaire partiel de la Secunda secundae de S. Thomas, et forme un cours dicté à Louvain par Lessius, en 1592, et recueilli par la plume d'un étudiant. La doctrine du droit naturel sur la guerre y est exposée, peut-on dire, d'une manière complète; et pour considérable que soit le pas que le droit international a fait faire depuis lors aux lois de la guerre, il reste néanmoins d'une importance majeure de connaître avant tout les grands principes du droit naturel, qui constituent la base imprescriptible de ces lois.

Le travail de M. Bittremieux comprend deux parties: la 1re expose la doctrine de Lessius et la commente; le 2me en édite le texte latin, d'après le manuscrit inédit jusqu'à ce jour. L'exposé de l'auteur est méthodique et fort bien conçu : il éclaire et fait ressortir judicieusement la pensée du savant Jésuite, en la dégageant de façon précise, et en la comparant avec l'enseignement des docteurs plus anciens, principalement de S. Thomas, de Victoria, de Suarez et de Bellarmin, ainsi qu'avec les doctrines des écrivains postérieurs. Il souligne en passant les restrictions et changements introduits plus tard par le droit international, et fournit çà et là des aperçus intéressants sur divers points peu traités d'ordinaire.

Nous félicitons chaudement l'auteur et lui sommes reconnaissant de nous avoir donné cette consciencieuse étude, qui en présentant sous un nouveau relief le savoir éminent de Lessius, fait honneur en même temps à celui de son commentateur.

O. Lottin, O. S. B. *L'âme du Culte : la vertu de Religion d'après S. Thomas.* Louvain, Abbaye du Mont Cesar, 1920. In-12, p. 90, Pr. 1 f. 50.

Les Pères Bénédictins de l'abbaye du Mont-César, à Louvain, ont entrepris la publication d'une série de brochures liturgiques et ascétiques, estimant à juste titre que, mieux que l'éphémère de la revue, le

définitif du livre servirait leur pieux dessein de nourrir la piété du clergé et des fidèles instruits. Le présent opuscule, dû à la plume de Dom Lottin, naguère professeur à l'université de Louvain, forme la seconde brochure de la collection. L'auteur, partant de ce principe que le culte extérieur et liturgique puise sa valeur dans le culte intérieur, juge opportun — il pourrait dire nécessaire — de connaître l'intime, l'âme même de celui-ci. C'est pourquoi il nous donne une étude générale sur la vertu de Religion, ses actes intérieurs et extérieurs, sa place et son influence dans l'ensemble des vertus et des actes moraux, etc. Il y a beaucoup à glaner dans cet excellent opuscule, d'une documentation sûre et bien choisie, d'un style agréable et d'une pensée toujours judicieuse. Les considérations d'allure spécifiquement scolastique sont rejetées à la fin du livre, en appendice; sans doute pour ne pas embarrasser la lecture, ni effaroucher les lecteurs tant soit peu novices.

E. Hosten.

Chr. Pesch, *Praelectiones dogmaticae*, t. VI, *De Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione et de Eucharistia*, Friburgi Brisgoviae, 1914. In-8, XVIII et 470 p.

Haec editio est quarta praeclari operis patris Chr. Pesch. Prodiit ante promulgationem novi codicis, quod est incommodum in materia tractanda feliciter non ita magnum. Quod spectat controversatas materias, notum est non multas dari in hoc tractatu. Notemus auctorem negare sacramenta esse causas intentionales dispositivas gratiae ac theoriam propugnare de eorum causalitate morali. Rejicit quoque sententiam de instituitione immediata generica sacramentorum.

In tractatu de Eucharistia, essentiam sacrificii Missae in eo reponit: " consecratio eatenus habet rationem actionis sacrificalis quatenus per eam producitur Christus in statu mysticae mactationis, dum vi verborum corpus et sanguis Christi separatim ponuntur sub speciebus panis et vini et hac ratione mactatio cruenta in cruce Deo offertur ".

Ad methodum quod attinet, pro more suo, procedit auctor modo obvio et simplici, argumentis deductis ex S. Scriptura ex SS. Patribus, ex Conciliis et ex theologis, non omissa, ubi locus est, expositione brevi variarum sententiarum.

V. Coucke.

Collationes Brugenses

LITTERAE ENCYCLICAE

AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES, IN NATALI MD S. HIERONYMI ECCLESIAE DOCTORIS (1).

BENEDICTUS PP. XV

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

I. — Spiritus Paraclitus, labentibus saeculis, viros excitavit in explanandis Scripturis doctissimos.

Spiritus Paraclitus, cum genus humanum, ut arcanis divinitatis imbueret, sacris Litteris locupletasset, sanctissimos, doctissimosque viros, labentibus saeculis, non paucos providentissime excitavit, qui non modo caelestem illum thesaurum iacere sine fructu (2) non sinerent, sed suis et studiis et laboribus *consolationem* inde *Scripturarum* Christifidelibus uberrimam compararent. Hos inter, principem sane, communi omnium consensu, locum obtinet Sanctus Hieronymus, quem Doctorem Maximum sacris Scripturis explanandis divinitus sibi datum catholica agnoscit et veneratur Ecclesia. Iamvero, cum ab eius obitu plenum proxime quintum et decimum saeculum commemoraturi simus, nolumus, Venerabiles Fratres, singularem opportunitatem praetermittere, quin de Hieronymi in scientia Scripturarum laudibus ac promeritis vos data opera alloquamur. Conscientiâ enim apostolici muneris impellimur, ut, ad nobilissimam hanc disciplinam provehendam, insigne tanti viri exemplum ad imitandum proponamus, et quae fel. rec. decessores Nostri Leo XIII et Pius X monita et praescripta hoc in genere utilissima ediderunt, eadem, apostolica Nostra auctoritate, confirmemus et ad haec Ecclesiae tempora pressius aptemus. Etenim Hieronymus, " vir maxime catholicus et sacrae legis peritissimus „ (3) atque " catholicorum magister „ (4)

inter quos eminet S. Hieronymus.

(1) *Acta Apost. Sedis*, XII, p. 385 s.
(2) Conc. Trid. s. V. decr. de reform. c. 1.
(3) Sulp. Sev., Dial. 1, 7.
(4) Cass.. De inc. 7, 26.

itemque " morum exemplar mundique magister „ (1), cum catholicam de sacris Libris doctrinam mirifice illustrarit acriterque defenderit, documenta sane plurima, eaque gravissima, Nobis affert, quae quidem usurpando, filios Ecclesiae universos, clericos potissimum, ad Scripturae divinae reverentiam, cum pia lectione assiduaque commentatione coniunctam, hortemur.

1. — Vita s. Hieronymi.

Nostis, Venerabiles Fratres, Hieronymum Stridone natum, in oppido " Dalmatiae quondam Pannoniaeque confinio „ (2), et ab ipsis incunabulis catholico lacte nutritum (3), postquam Christi vestem in hac alma Urbe de sacro fonte suscepit (4), quoad longissime vixit, quicquid habuit virium, id in sacris Bibliis perscrutandis, exponendis vindicandisque adhibuisse. Is latinis graecisque litteris Romae eruditus, vixdum e rhetorum schola egressus erat cum, adhuc adulescens, Abdiam prophetam interpretari conatus est: qua ex " puerilis ingenii „ exercitatione (5) ita in eo crevit Scripturarum amor, ut, veluti invento thesauro secundum evangelicam imaginem, " omnia istius mundi emolumenta „ (6) pro ea contemnenda sibi esse duxerit. Quamobrem, nulla deterritus asperitate consilii, cum domum, parentes, sororem, propinquos dereliquit, tum a consuetudine lautioris cibi recessit, et in sacras Orientis regiones transmigravit, ut divitias Christi et Salvatoris scientiam in lectione et studio Bibliorum sibi pararet ampliores (7). Qua in re quantum desudaverit, haud semel ipse describit: " Miro discendi ferebar ardore, nec iuxta quorumdam praesumptionem ipse me docui. Apollinarium Laodicenum audivi Antiochiae frequenter et colui, et cum me in sanctis Scripturis erudiret, nunquam illius contentiosum super sensu dogma suscepi „ (8). Inde in regionem Chalcidis desertam Syriae orientalis regressus, ut verbi divini sensum perfectius assequeretur, simulque ut aetatis aestum studiorum assiduitate coerceret, cuidam fratri, qui ex Hebraeis crediderat, in disciplinam se tradidit, ut hebraicum et chaldaicum quoque sermonem edisceret. " Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim quotiesque cessaverim et contentione discendi rursus inceperim,

Adulescens Abdiam proph. interpretari conatus, ita in eo crevit Scripturarum amor

ut omnia reliquerit et in Orientem transmigraverit;

ibidem duro labore,

(1) S. Prosper, Carmen de ingratis, v. 57.
(2) De viris ill. 135.
(3) Ep. 82, 2, 2.
(4) Ep. 15, 1, 1; 16, 2, 1.
(5) In Abd. Praef.
(6) In Matth. 13, 44.
(7) Ep. 22, 30, 1.
(8) Ep. 84, 3, 1.

testis est conscientia tam mea, qui passus sum, quam eorum qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Domino, quod de amaro semine litterarum dulces fructus capio „ (1). Cum autem ab haereticorum turbis ne in ea quidem solitudine quiescere sibi liceret, Constantinopolim se contulit, ubi Sanctum Gregorium Theologum illius Sedis Antistitem, qui summa doctrinae laude ac gloria floreret, ad sacrarum Litterarum interpretationem, fere triennium, ducem ac magistrum adhibuit; quo tempore Origenis in prophetas Homilias et Eusebii Chronicon latine reddidit, et Isaiae de Seraphim visionem edisseruit. Romam autem ob rei christianae necessitates cum revertisset, a Damaso Pontifice familiariter exceptus, et in gerendis Ecclesiae negotiis est adhibitus (2). Quibus etsi summopere distinebatur, nullo tamen pacto cum divinos pervolutare Libros (3) codicesque exscribere et inter se comparare (4), tum quaestiones sibi propositas dirimere et discipulos ex utroque sexu ad Bibliorum cognitionem informare desiit (5); laboriosissimam vero provinciam sibi a Pontifice mandatam latinae Novi Testamenti versionis emendandae, tam acri subtilique iudicio est exsecutus, ut recentiores ipsi huius disciplinae existimatores Hieronymianum opus cotidie magis admirentur plurisque faciant. Sed, quoniam ad sancta Palaestinae loca omni cogitatione desiderioque ferebatur, Damaso vita functo, Hieronymus Bethlehem concessit, ubi, coenobio apud Christi cunabula condito, totum Deo se devovit et, quantum ab orando superesset temporis, id omne in Bibliis ediscendis docendisque insumpsit. Nam, ut iterum de se ipse testatur, " iam canis spargebatur caput, et magistrum potius quam discipulum decebat; perrexi tamen Alexandriam, audivi Didymum. In multis ei gratias ago. Quod nescivi, didici; quod sciebam, illo diversum docente non perdidi. Putabant me homines finem fecisse discendi; rursum Ierosolymae et Bethlehem quo labore, quo pretio Baraninam nocturnum habui praeceptorem! Timebat enim Iudaeos et mihi alterum exhibebat Nicodemum „ (6). Neque vero in horum aliorumque doctorum institutione praeceptisque acquievit, sed praeterea subsidia omne genus adhibuit ad proficiendum utilia; praeterquam enim quod inde ad initio codices commentariosque

auditis variis magistris, sese totum *studio S. S.* dedit.

Romam reversus, et a Damaso familiariter exceptus,

versionem latinam N.T. subtili judicio emendavit.

In Palaestinam demum rursus concessit,

(1) Ep. 125, 12.
(2) Ep. 123, 9 al. 10; Ep. 127, 7, 1.
(3) Ep. 127, 7, 1 s.
(4) Ep. 36, 1; Ep. 32, 1.
(5) Ep. 45, 2; 126, 3; 127, 7.
(6) Ep. 84, 3, 1 s.

ad summam usque senectutem, semper addiscens, constanter etiam *docuit* S. S.

Bibliorum optimos sibi comparaverat, libros quoque synagogarum et volumina bibliothecae Caesareensis ab Origene et Eusebio collectae evolvit, ut, comparatione eorum codicum cum suis instituta, germanam textus biblici formam verumque sensum erueret. Quem ut plenius assequeretur, Palaestinam, qua late patet, peragravit, cum id sibi haberet persuasissimum quod ad Domnionem et Rogatianum scribebat: " Sanctam Scripturam lucidius intuebitur, qui Iudaeam oculis contemplatus est et antiquarum urbium memorias locorumque vel eadem vocabula vel mutata cognoverit. Unde et nobis curae fuit, cum eruditissimis Hebraeorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam quam universae Christi ecclesiae sonant „ (1). Hieronymus igitur suavissimo illo pabulo animum continenter pascere, Pauli Epistulas explanare, Veteris Testamenti latinos codices e graecorum lectione emendare librosque fere omnes ex hebraica veritate denuo in latinum sermonem convertere, sacras Litteras coeuntibus fratribus cotidie edisserere, ad epistulas rescribere quae undique quaestiones de Scriptura dirimendas afferrent, unitatis ac doctrinae catholicae oppugnatores acriter refellere; neque — tantum apud eum potuit Bibliorum amor — a scribendo vel dictando ante desistere, quam manus obriguerint et vox morte intercepta sit. Ita, nullis parcens nec laboribus nec vigiliis nec sumptibus, ad summam usque senectutem, in lege Domini noctu diuque apud Praesepe meditanda perseveravit, majoribus e solitudine illa effusis in catholicum nomen, per vitae exempla et scripta, utilitatibus, quam si Romae, in capite orbis terrarum, aevum exegisset.

simul ac *scriptis* eamdem *explanavit* atque *defendit*.

2. — Doctrina s. Hieronymi de *dignitate* et *veritate* S. S.

Vita rebusque gestis Hieronymi vix delibatis, iam, Venerabiles Fratres, ad considerandam eius doctrinam de divina dignitate atque absoluta Scripturarum veritate veniamus. Qua in re nullam profecto in scriptis Doctoris Maximi paginam reperias, unde non liqueat, eum cum universa catholica Ecclesia firmiter constanterque tenuisse, Libros sacros, Spiritu Sancto inspirante conscriptos, Deum habere auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditos esse (2). Asseverat nimirum codicis sacri libros Spiritu Sancto inspirante vel insinuante vel etiam dictante compositos esse, immo ab Ipso conscriptos et editos; sed nihil praeterea dubitat, quin singuli eorum auctores, pro sua quisque natura atque ingenio, operam afflanti Deo

Cum Ecclesia tenet libros sacros Deum habere auctorem,

(1) Ad Domnionem et Rogationum in l. Paral. Praef.
(2) Conc. Vat. s. III const. de fide cath. cap. 2.

libere navarint. Etenim non modo id universe affirmat quod omnibus sacris scriptoribus commune est, ipsos in scribendo Dei Spiritum secutos, ut omnis sensus omniumque sententiarum Scripturae Deus causa princeps habendus sit; sed etiam quod uniuscuiusque proprium est, accurate dispicit. Nam singillatim, in rerum compositione, in lingua, in ipso genere ac forma loquendi ita eos suis quemque facultatibus ac viribus usos esse ostendit, ut propriam uniuscuiusque indolem et veluti singulares notas ac lineamenta, praesertim prophetarum et apostoli Pauli, inde colligat ac describat. Quam quidem Dei cum homine communitatem laboris ad unum idemque opus conficiendum, Hieronymus comparatione illustrat artificis, qui in aliqua re factitanda organo seu instrumento utitur; quicquid enim scriptores sacri loquuntur, " Domini sunt verba, et non sua, et quod per os ipsorum dicit, quasi per organum Dominus est locutus „ (1). Quod si etiam inquirimus, qua ratione haec Dei, uti causae principis, virtus atque actio in hagiographum sit intellegenda, cernere licet, inter Hieronymi verba et communem de inspiratione catholicam doctrinam nihil omnino interesse, cum ipse teneat, Deum, gratia conlata, scriptoris menti lumen praeferre ad verum quod attinet, " ex persona Dei „ hominibus proponendum; voluntatem praeterea movere atque ad scribendum impellere; ipsi denique peculiariter continenterque adesse donec librum perficiat. Quo potissimum ex capite sanctissimus vir summam Scripturarum praestantiam ac dignitatem infert, quarum scientiam thesauro pretioso (2) et nobili margaritae (3) aequiparat, in iisque asserit divitias Christi (4) et " argentum quo domus Dei ornatur „ (5) inveniri.

et apte explicat quomodo *inspiratio* audienda veniat.

Ex hoc capite potissimum infert summam *dignitatem* S. S.,

Praecellentissimam vero earum auctoritatem sic verbis et exemplo commendabat, ut, quaecumque oriebatur controversia, ad Biblia veluti ad confertissimum armamentarium confugeret, et testimoniis inde eductis, tamquam firmissimis argumentis, quibus refragari minime liceret, ad coarguendos adversariorum errores uteretur. Ita Helvidio perpetuam Deiparae virginitatem neganti, aperte ac simpliciter: " Ut haec quae scripta sunt, non negamus, ita ea quae non sunt scripta, renuimus. Natum Deum esse de Virgine credimus, quia legimus. Mariam

cujus auctoritate, tanquam firmissimo argumento, omnem errorem confutandum censet.

(1) Tract. de Ps. 88.
(2) In Matth. 13, 44; tract. de Ps. 77.
(3) In Matth. 13, 45 ss.
(4) Quaest. in Gen., Praef.
(5) In Agg. 2, 1 ss.; cf. in Gal. 2, 10 etc.

nupsisse post partum, non credimus, quia non legimus „ (1). Iisdem vero armis contra Iovinianum pro doctrina catholica de statu virginali, de perseverantia, de abstinentia deque bonorum operum merito se spondet acerrime propugnaturum: “ Adversus singulas propositiones eius, Scripturarum vel maxime uitar testimoniis, ne querulus garriat, se eloquentia magis quam veritate superatum „ (2). Atque in libris suis contra eundem haereticum defendendis “ quasi vero „, scribit, “ rogandus fuerit ut mihi cederet, et non invitus et repugnans in veritatis vincula ducendus „ (3). De universa autem Scriptura, in Ieremiae commentario, quem morte prohibitus est absolvere: “ Nec parentum nec maiorum error sequendus est, sed auctoritas Scripturarum et Dei docentis imperium „ (4). Et viam rationemque adversus hostes dimicandi sic Fabiolam docet: “ Cum divinis Scripturis fueris eruditus et leges earum ac testimonia vincula scieris veritatis, contendes cum adversariis, ligabis eos et vinctos duces in captivitatem et de hostibus quondam atque captivis liberos Dei facies „ (5).

Docet pariter S. S. *immunitatem ab errore,*

Porro cum divina sacrorum Librorum inspiratione summaque eorundem auctoritate docet Hieronymus immunitatem et omni ab errore et fallacia vacuitatem necessario cohaerere: quod, uti a Patribus traditum communiterque receptum, in celeberrimis Occidentis Orientisque scholis didicerat. Et sane, cum, post inceptam, Damasi Pontificis mandato, Novi Testamenti recognitionem, quidam “ homunculi „ ipsum studiose obiurgarent quod “ adversus auctoritatem veterum et totius mundi opinionem aliqua in Evangeliis emendare „ tentasset, paucis respondit, non adeo se hebetis fuisse cordis et tam crassae rusticitatis, ut aliquid de Dominicis verbis aut corrigendum putasset aut non divinitus inspiratum (6). Primam vero Ezechielis visionem de quattuor Evangeliis exponens “ totum autem corpus „, animadvertit, “ et dorsa plena oculis adprobabit, qui viderit nihil esse in Evangeliis quod non luceat et splendore suo mundum illuminet: ut etiam quae parva putantur et vilia, Spiritus Sancti fulgeant maiestate „ (7). Iam quae de Evangeliis inibi affirmat, eadem de omnibus aliis

quam omni occasione inculcat.

(1) Adv. Helv. 19.
(2) Adv. Iovin, 1, 4.
(3) Ep. 49, al. 48, 14, 1.
(4) In Ier. 9, 12 ss.
(5) Ep. 78, 30, al. 28. mansio.
(6) Ep. 27, 1, 1 s.
(7) In Ex. 1, 15 ss.

" Dominicis verbis „ in singulis commentariis profitetur, ut catholicae interpretationis legem ac fundamentum ; et hac ipsa veritatis nota germanus propheta, Hieronymo auctore, a falso internoscitur (1). Nam " Domini verba sunt vera, et eius dixisse, fecisse est „ (2). Itaque " Scriptura mentiri non potest „ (3), et nefas est dicere Scripturam mentiri (4 , immo solum errorem nominis in eius verbis admittere (5). Addit praeterea Sanctus Doctor, se " aliter habere Apostolos, aliter reliquos tractatores „ idest profanos ; " illos semper vera dicere, istos in quibusdam, ut homines, aberrare „ (6); et licet multa in Scripturis dicantur, quae videntur incredibilia, tamen vera esse (7 ; in hoc " verbo veritatis „ nullas res sententiasque inter se pugnantes inveniri posse, " nihil dissonum, nihil diversum „ (8); quare " cum videatur Scriptura inter se esse contraria, utrumque verum „ esse, " cum diversum sit „ (9). Cui cum fortiter principio adhaeresceret, si qua in sacris libris inter se discrepare viderentur, eo curas omnes cogitationesque Hieronymus convertere, ut quaestionem enodaret ; quodsi rem nondum apte diremptam putaret, de eadem, data occasione, iterato libenterque inquirere, haud ita felici interdum exitu. Scriptores tamen sacros nunquam de fallacia arguit vel levissima — " hoc quippe impiorum est, Celsi, Porphyrii, Iuliani „ (10). — In quo quidem cum Augustino plane consentit, qui, ad ipsum Hieronymum scribens, se solis libris sacris hunc timorem honoremque ait deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo errasse aliquid, firmissime credat, ideoque, si quid in eis offendat litteris, quod videatur contrarium veritati, non id opinari, sed vel mendosum esse codicem vel interpretem errasse vel seipsum minime intellexisse ; quibus haec subiicit : " Nec te, mi frater, sentire aliud existimo : prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle tamquam prophetarum et Apostolorum, de quorum scriptis quod omni errore careant, dubitare nefarium est „ (11). Hac agitur Hieronymi doctrina egregie confirmantur atque

In hac doctrina S. Augustino plane consentit,

uti testimonio s. doctoris Hipponensis clareconstat.

(1) In Mich. 2, 11 s. ; 3, 5 ss.
(2) In Mich. 4, 1 ss.
(3) In Ier. 31, 35 ss.
(4) In Nah. 1, 9.
(5) Ep. 57, 7, 4.
(6) Ep. 82, 7, 2.
(7) Ep. 72, 2, 2.
(8) Ep. 18, 7, 4 ; cf. Ep. 46, 6, 2.
(9) Ep. 36, 11, 2.
(10) Ep. 57, 9, 1.
(11) S. Aug. ad S. Hieron. inter epist. S. Hier. 116, 3.

II. — Hac autem doctrina s. Hieronymi omnino *confirmantur* quae Leo XIII de S. S. immunitate ab errore solemniter declaravit.

illustrantur ea quibus fel. rec. decessor Noster Leo XIII antiquam et constantem Ecclesiae fidem sollemniter declaravit de absoluta Scripturarum a quibusvis erroribus immunitate: " Tantum abest ut divinae inspirationi error ullus subesse possit, ut ea per se ipsa non modo errorem excludat omnem, sed tam necessario excludat et respuat, quam necessarium est, Deum, summam veritatem nullius omnino erroris auctorem esse ". Atque allatis definitionibus Conciliorum Florentini et Tridentini in synodo Vaticana confirmatis, haec praeterea habet: " Quare nihil admodum refert, Spiritum Sanctum assumpisse homines tamquam instrumenta ad scribendum, quasi non quidem primario auctori, sed scriptoribus inspiratis quidpiam falsi elabi potuerit. Nam supernaturali ipse virtute ita eos ad scribendum excitavit et movit, ita scribentibus adstitit, ut ea omnia eaque sola quae ipse iuberet, et recte mente conciperent, et fideliter conscribere vellent, et apte infallibili veritate exprimerent: secus non ipse esset auctor sacrae Scripturae universae " (1). Quae decessoris Nostri verba quamquam nullum relinquunt ambigendi vel tergiversandi locum, dolendum tamen est, Venerabiles Fratres, non modo ex iis qui foris sunt, sed etiam e catholicae Ecclesiae filiis, immo vero, quod animum Nostrum vehementius excruciat, ex ipsis clericis sacrarumque disciplinarum magistris non defuisse qui, iudicio suo superbe subnixi, Ecclesiae magisterium in hoc capite vel aperte reiecerint vel occulte oppugnarint. Equidem illorum comprobamus consilium, qui ut semet ipsos aliosque ex difficultatibus sacri codicis expediant, ad eas diluendas, omnibus studiorum et artis criticae freti subsidiis, novas vias atque rationes inquirunt; at misere a proposito aberrabunt, si decessoris Nostri praescripta neglexerint et certos fines terminosque a Patribus constitutos praeterierint. Quibus sane praeceptis et finibus nequaquam recentiorum illorum continetur opinio, qui, inducto inter elementum Scripturae primarium seu religiosum et secundarium seu profanum discrimine, inspirationem quidem ipsam ad omnes sententias, immo etiam ad singula Bibliorum verba pertinere volunt, sed eius effectus, atque in primis erroris immunitatem absolutamque veritatem, ad elementum primarium seu religiosum contrahunt et coangustant. Eorum enim sententia est, id unum, quod ad religionem spectet, a Deo in Scripturis intendi ac doceri; reliqua vero, quae ad profanas

Haec praescripta, quae quidam aperte rejecerunt vel occulte oppugnaverunt, omnino tenenda sunt;

itaque errant qui distinguentes inter elementum *primarium*, seu religiosum, et *secundarium*, hanc immunitatem ad prius elementum coangustant.

(1) Litt. Enc. *Providentissimus Deus.*

disciplinas pertineant et doctrinae revelatae, quasi quaedam externa divinae veritatis vestis, inserviant, permitti tantummodo et scriptoris imbecillitati relinqui. Nihil igitur mirum, si in rebus physicis et historicis aliisque similibus satis multa in Bibliis occurrant quae cum hujus aetatis bonarum artium progressionibus componi omnino non possint. Haec opinionum commenta, sunt qui nihil repugnare contendant decessoris Nostri praescriptionibus, cum is hagiographum in naturalibus rebus secundum externam speciem, utique fallacem, loqui declaverit. Id vero quam temere, quam falso affirmetur, ex ipsis Pontificis verbis manifesto apparet. Neque enim ab externa rerum specie, cuius rationem esse habendam, Leo XIII. praeeuntibus Augustino et Thoma Aquinate, sapientissime edixit, ulla falsi labes divinis Litteris aspergitur, quandoquidem sensus in iis rebus proxime cognoscendis, quarum sit propria ipsorum cognitio, minime decipi dogma est sanae philosophiae. Praeterea decessor Noster, quovis inter elementum primarium et secundarium, uti vocant, remoto discrimine omnique ambiguitate sublata, luculenter ostendit, longissime a vero abesse illorum opinionem, qui arbitrantur " de veritate sententiarum cum agitur, non adeo exquirendum quaenam dixerit Deus, ut non magis perpendatur quam ob causam ea dixerit „; idemque docet divinum afflatum ad omnes Bibliorum partes, sine ullo delectu ac discrimine, proferri, nullumque in textum inspiratum errorem incidere posse: " At nefas omnino fuerit, aut inspirationem ad aliquas tantum Sacrae Scripturae partes coangustare, aut concedere sacrum ipsum errasse auctorem „.

Errant pariter quando suam opinionem his praeceptis nihil repugnare contendunt.

uti verbis Leonis XIII constat.

Neque minus ab Ecclesiae doctrina, Hieronymi testimonio ceterorumque Patrum comprobata, ii dissentiunt, qui partes Scripturarum historicas non factorum *absoluta* innitiveritate arbitrantur, sed tantummodo *relativa*, quam vocant, et concordi vulgi opinione: idque non verentur ex ipsis Leonis Pontificis verbis inferre, propterea quod principia de rebus naturalibus statuta ad disciplinas historicas transferri posse dixerit. Itaque contendunt, hagiographos, uti in physicis secundum ea quae apparerent locuti sint, ita eventa ignaros rettulisse prouti haec e communi vulgi sententia vel falsis aliorum testimoniis constare viderentur, neque fontes scientiae suae indicasse, neque aliorum enarrationes fecisse suas. Rem in decessorem Nostrum plane iniuriosam et falsam plenamque erroris cur multis refellamus? Quae est enim rerum naturalium cum historica similitudo, quando physica in iis versantur quae

Non minus a vera doctrina Ecclesiae dissentiunt, qui *veritatem relativam* appellant.

" sensibiliter apparent „ ideoque cum phaenomenis concordare debent, cum, contra, lex historiae praecipua haec sit, scripta cum rebus gestis, uti gestae reapse sunt congruere oportere? Recepta semel istorum opinione, quo pacto incolumis consistat veritas illa, ab omni falso immunis, narrationis sacrae, quam decessor Noster in toto Litterarum contextu retinendam esse declarat? Quodsi affirmat, ad historiam cognatasque disciplinas eadem principia transferri utiliter posse quae in physicis locum habent, id quidem non universe statuit, sed auctor tantummodo est ut haud dissimili ratione utamur ad refellendas adversariorum fallacias et ad historicam Sacrae Scripturae fidem ab eorum impugnationibus tuendam. Atque utinam novarum rerum fautores hic sisterent; siquidem eo procedunt ut Doctorem Stridonensem ad sententiam suam defendendam invocent, utpote qui historiae fidem et ordinem in Bibliis servari " non iuxta id quod erat, sed iuxta id quod illo tempore putabatur „ et hanc quidam propriam esse historiae legem asseveraverit (1). In quo mirum quantum ad sua commenta detorquent verba Hieronymi. Nam quis est qui non videat, hoc Hieronymum dicere, hagiographum non in rebus gestis enarrandis, veritatis ignarum, ad falsam se vulgi opinionem accommodare, sed in nomine personis et rebus imponendo communem sequi loquendi modum? Ut cum Sanctum Iosephum patrem Iesu appellat, de quo quidem patris nomine quid sentiat, ipse in toto narrationis cursu haud obscure significat. Atque haec ad Hieronymi mentem " vera historiae lex „ est, ut scriptor, cum de eiusmodi appellationibus agitur, remoto omni erroris periculo, usitatam loquendi rationem teneat, propterea quia penes usum est arbitrium et norma loquendi. Quid, quod res quas Biblia gestas enarrant, hic noster non secus ac doctrinas fide ad salutem necessaria credendas proponit? Et sane in commentario Epistulae ad Philemonem haec habet: " Quod autem dico, tale est: Credit quispiam in Conditorem Deum: non potest credere nisi prius crediderit de sanctis eius vera esse quae scripta sunt „. Exemplis deinceps quam plurimis ex Veteris Testamenti codice allatis, sic concludit: " Haec et cetera quae de sanctis scripta sunt, nisi quis universa crediderit, in Deum sanctorum credere non valebit „ (2). Hieronymus igitur idem omnino profitetur, quod Augustinus, communem totius antiquitatis christianae sensum complexus, scribebat: " Quidquid de Henoch et de Elia et de Moyse Scrip-

et immerito rursus verba Leonis XIII in suum sensum detorquent;

vel imo s. Hieronymum in suam sententiam injuriose detrahunt.

(1) In Ier. 23, 15 ss.; in Matth. 14, 8; Adv. Helv. 4.

tura sancta, certis et magnis fidei suae documentis in summo culmine auctoritatis locata, testatur, hoc credimus... Non ergo ideo credimus natum ex Virgine Maria, quod aliter in vera carne exsistere et hominibus apparere non posset (uti voluit Faustus), sed quia sic scriptum est in ea Scriptura cui nisi crediderimus, nec christiani nec salvi esse poterimus „ (1). — Neque aliis Scriptura sancta obtrectatoribus caret; eos intellegimus, qui rectis quidem, si intra certos quosdam fines contineantur, principiis sic abutuntur, ut fundamenta veritatis Bibliorum labefactent et doctrinam catholicam communiter a Patribus traditam subruant. In quos Hieronymus, si adhuc viveret, utique acerrima illa sermonis sui tela coniiceret, quod, sensu et iudicio Ecclesiae posthabito, nimis facile ad citationes quas vocant implicitas vel ad narrationes specie tenus historicas confugiunt; aut genera quaedam litterarum in libris sacris inveniri contendunt, quibuscum integra ac perfecta verbi divini veritas componi nequeat; aut de Bibliorum origine ita opinantur, ut eorundem labet vel prorsus pereat auctoritas. Iam quid de iis sentiendum, qui, in ipsis Evangeliis exponendis, fidem illis debitam humanam minuunt, divinam evertunt? Quae enim Dominus Noster Iesus Christus dixit, quae egit, non ea censent ad nos integra atque immutata pervenisse, iis testibus, qui quae ipsi vidissent atque audivissent, religiose perscripserint; sed — praesertim ad quartum Evangelium quod attinet — partim ex Evangelistis prodiisse, qui multa ipsimet excogitarint atque addiderint, partim e narratione fidelium alterius aetatis esse congesta; ob eamque causam aquas e duobus fontibus manantes uno eodemque alveo sic hodie contineri, ut nullâ iam certâ notâ distingui inter se possint. Haud ita Hieronymus, Augustinus et ceteri Ecclesiae Doctores historicam Evangeliorum fidem intellexerunt, de qua " qui vidit, testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius. Et ille scit, quia vera dicit, ut et vos credatis „ (2). Ac Hieronymus quidem, postquam haereticos, qui apocrypha evangelia confecerant, in eo reprehendit quod " conati sunt magis ordinare narrationem quam historiae texere veritatem „ (3), de Scripturis canonicis, contra, scribit: " nulli dubium sit, facta esse quae scripta sunt „ (4), iterum iterumque cum Augustino consen-

Alii quidam ad *citationes*, quas vocant *implicitas*, et ad *narrationes specie tenus historicas* nimis facile confugiunt.

vel indebite provocant ad *genera litterarum*, quibuscum perfecta verbi divini veritas componi nequit,

aut de *origine* Bibliorum, speciatim quod quartum Evangelium spectat, perperam omnino opinantur.

(1) S. Aug., Contra Faustum 26, 3 s. 6 s.
(2) Ioh. 19, 35.
(3) In Matth. Prol.
(4) Ep. 78, 1, 1 ; cf. in Marc. 1, 13-31.

III. — Exhortationes.

tiens, qui de Evangeliis praeclare : " vera haec „, inquit, " et de illo fideliter veraciterque conscripta sunt, ut quisquis Evangelio eius crediderit, veritate instruatur, non mendaciis illudatur „ (1).

Haec doctrina S. Hieronymi est doctrina Christi, —

Iam videtis, Venerabiles Fratres, quanto opere sit vobis adnitendum, ut quam Patres diligentissime defugerint insanam opinandi libertatem, eamdem Ecclesiae filii non minus diligenter devitent. Quod quidem eo facilius assequemini, si et clericis et laicis, quos Spiritus Sanctus vobis credidit regundos, persuaseritis, Hieronymum ceterosque Ecclesiae Patres hanc de sacris Libris doctrinam nusquam alibi nisi in schola ipsius divini Magistri Iesu Christi didicisse. Num quid aliud legimus de Scriptura sensisse Dominum? Cuius ex verbis " scriptum est „ et " oportet impleri Scripturam „ iam argumentum omni exceptione maius exsistit, quod omnibus controversiis finem imponat. Sed, ut in re paulisper commoremur, cuiusnam scientiam aut memoriam fugiat, Dominum Iesum in sermonibus quos ad populum habuit, cum in monte prope lacum Genesareth, tum in synagoga Nazareth et in civitate sua Capharnaum, capita doctrinae et argumenta ad eam probandam ex codice sacro assumpsisse? Nonne ad disceptandum cum pharisaeis et sadducaeis invicta arma indidem cepit? Sive enim doceat, sive disputet, ex qualibet Scripturae parte sententias affert et exempla, et uti talia affert, quibus sit necessario credendum; quo in genere ad Ionam et Ninivitas, ad reginam Saba et Salomonem, ad Eliam et Elisaeum, ad David, ad Noe, ad Lot et Sodomitas et ipsam uxorem Lot, sine ullo discrimine, provocat (2). Veritatem autem sacrorum Librorum sic testatur, ut sollemniter edicat: " Iota unum aut unus apex non praeteribit a lege donec omnia fiant „ (3), et: " Non potest solvi Scriptura „ (4): quamobrem qui solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum „ (5). Quam ut doctrinam Apostoli, quos brevi in terris erat relicturus, plene imbiberent, ante quam ad Patrem in caelum adscendit, " aperuit illis sensum, ut intellegerent Scripturas, et dixit eis: Quoniam sic scriptum est et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die „ (6). Doctrina igitur Hieronymi de prae-

quod factis et verbis Salvatoris constat.

(1) S. Aug., C. Faustum 26, 8.
(2) Cf. Matth. 12, 3. 39-42; Luc. 17, 26-29. 32 etc.
(3) Matth. 5, 18.
(4) Ioh. 10, 35.
(5) Matth. 5, 19.
(6) Luc. 24, 45 s.

stantia et veritate Scripturae, ut uno verbo dicamus, doctrina Christi est. Quare omnes Ecclesiae filios, eosque praecipue, qui sacrorum alumnos ad hanc excolunt disciplinam, vehementer hortamur, ut Stridonensis Doctoris vestigia constanti animo persequantur: ex quo, sine dubio, futurum est, ut hunc Scripturarum thesaurum, quanti ille habuit, tanti ipsimet faciant, et ex eius possessione suavissimos capiant beatitatis fructus.

Persequamur itaque vestigia S. Hieronymi.

Etenim quod Doctore Maximo utamur duce ac magistro, id utilitates non modo quas supra memoravimus, sed alias etiam nec paucas nec mediocres habet, quas, Venerabiles Fratres, placet vobiscum paucis recolere. Quod quidem ut aggrediamur, ille in primis ante oculos mentis Nostrae obversatur ardentissimus Bibliorum amor, quem omni vitae suae exemplo et verbis Spiritu Dei plenis Hieronymus demonstravit atque in fidelium animis cotidie magis excitare studuit. “ Ama Scripturas sanctas „ ita in virgine Demetriade hortari omnes videtur, “ et amabit te sapientia; dilige eam et servabit te; honora illam et amplexabitur te. Haec monilia in pectore et in auribus tuis haereant „ (1). Continua sane Scripturae lectio atque accuratissima singulorum librorum et vel sententiarum vocumque pervestigatio id effecit, ut tantum sacri codicis usum haberet, quantum nullus alius scriptor ecclesiasticae antiquitatis. Cui Bibliorum scientiae cum subtilitate iudicii coniunctae tribuendum est, quod versio Vulgata a Doctore nostro confecta, omnium integrorum iudicum consensu, reliquis longe praestat antiquis versionibus, cum accuratius atque elegantius archetypon reddere videatur. Vulgatam vero ipsam, quam “ longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probatam „ Concilium Tridentinum uti authenticam habendam et in docendo et orando usurpandam esse constituit, praegestimus animo, si quidem benignissimus Deus huius lucis Nobis usuram protulerit, ad codicum fidem, emendatam restitutamque videre: quo ex arduo laboriosoque opere, a fel. rec. decessore Nostro Pio X sodalibus Benedictinis providenter commisso, minime dubitamus quin nova ad Scripturarum intellegentiam praesidia accedant. Quarum amor e Hieronymi praesertim epistulis adeo eminet, ut eae velut ipsis divinis verbis contextae videantur; et, quemadmodum Bernardo nihil ea sapiebant unde dulcissimum Iesu nomen abesset, sic noster nullis iam litteris delectabatur quae luminibus carerent Scripturarum. Quare ad sanctum Paulinum, virum senatoria olim et consulari dignitate conspicuum, eumque non multo ante ad Christi fidem

1. — *Quomodo* S. S. studendum? Ad exemplum S. Hieronymi primum excolamus *Bibliorum amorem*, cujus amore ductus, ipse S. S. constanter studens, hanc praeclaram versionem Vulgatam conficere potuit,

quam ad fidem codicum nunc emendant atque restituunt.

(1) Ep. 130, 20.

conversum, haec candide scribebat: "Si haberes hoc fundamentum (id est scientiam Scripturarum), immo, quasi extrema manus in tuo opere duceretur, nihil pulchrius, nihil doctius nihilque latinius tuis haberemus voluminibus... Huic prudentiae et eloquentiae si accederet vel studium vel intellegentia Scripturarum, viderem te brevi arcem tenere nostrorum „ (1).

Exemplo S. Hieronymi etiam admonemur ut ad tale studium et *diligentem praeparationem* et *bene affectam voluntatem* afferamus;

Sed qua via ac ratione magnus hic thesaurus, a Patre caelesti in solacium peregrinantium filiorum conlatus, sit cum laeta boni exitus spe quaerendus, Hieronymus suo ipse exemplo indicat. Atque in primis monet, praeparationem diligentem affectamque bene voluntatem ad eiusmodi studia afferamus. Ipse enim, postquam baptismo ablutus est, omnia ut removeret externa impedimenta, quae a sancto eum proposito remorari poterant, hominem illum imitatus, qui, thesauro invento, " prae gaudio illius vadit et vendit universa quae habet et emit agrum illum „ (2), fluxas inanesque huius mundi delicias missas facere, solitudinem percupere, et severum vitae institutum eo studiosius amplecti, quo magis in vitiorum illecebris antea salutem periclitari perspexerat. At certe, iis sublatis impedimentis, reliquum erat, ut animum quoque ad Iesu Christi scientiam compararet, Eumque indueret qui " mitis „ est " et humilis corde „; siquidem in se id expertus erat, quod Augustinus sibi sacrarum Litterarum studia ineunti contigisse testatus est. Qui postquam se in scripta Ciceronis aliorumque adulescens immerserat, cum animum ad Scripturam sanctam intenderet, " visa est mihi „, ait, " indigna quam Tullianae dignitati compararem. Tumor enim meus refugiebat modum eius, et acies mea non penetrabat interiora eius. Verumtamen illa erat quae cresceret cum parvulis: sed ego dedignabar esse parvulus, et turgidus fastu mihi grandis videbar „ (3). Haud aliter Hieronymus, etsi in solitudinem secesserat, profanis litteris adeo delectabatur, ut humilem Christum nondum in humilitate Scripturae cognosceret. " Itaque miser ego „, inquit, " lecturus Tullium ieiunabam. Post noctium crebras vigilias, post lacrimas quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memetipsum reversus, prophetas legere coepissem, sermo horrebat incultus, et quia lumen caecis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse sed solis „ (4). Sed brevi Crucis

(1) Ep. 58, 9; 11, 2.
(2) Matth. 13, 44.
(3) S. Aug., Conf. 3, 5; cf. 8. 12.
(4) Ep. 22, 30, 2.

stultitiam sic adamavit, ut sit documento quantum humilis piusque animi habitus ad Bibliorum intellegentiam conferat. Itaque cum sibi ipse conscius esset " semper in exponendis Scripturis sanctis Spiritus Dei indigere nos adventu „ (1) et non aliter Scripturam esse legendam et intellegendam " quam sensus Spiritus Sancti flagitat quo conscripta est „ (2), sanctissimus vir Dei opem et Paracliti lumina, amicis quoque deprecatoribus usus, suppliciter implorat: eumque legimus divino auxilio fratrumque precibus et explanationes librorum sacrorum, quas inchoaret, commendantem, et quas feliciter absolvisset, referentem acceptas. Praeterea, quemadmodum Dei gratiae, sic maiorum auctoritati se permittit, ut affirmare queat, se " quod didicerat, non a seipso, id est a praesumptionis pessimo praeceptore, sed ab illustribus Ecclesiae viris „ (3) didicisse; fatetur enim, se " nunquam in divinis voluminibus propriis viribus credidisse „ (4), et cum Theophilo, episcopo Alexandrino, legem, ad quam vitam suam et studia sacra composuerat, hisce verbis communicat: " Sed tamen scito, nobis esse nihil antiquius quam Christiani iura servare nec patrum transferre terminos semperque meminisse Romanam fidem apostolico ore laudatam „ (5). Atque Ecclesiae, supremae per Romanos Pontifices magistrae, toto pectore obsequitur et paret; e regione igitur Syriae deserta, ubi haereticorum factionibus premebatur, ut controversiam Orientalium de Sanctissimae Trinitatis mysterio dirimendam Romanae Sedi subiiceret, ita scribit ad Damasum Pontificem: " Ideo mihi cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meae animae postulans cibum unde olim Christi vestimenta suscepi... Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini Tuae id est cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio... Decernite, obsecro: si placet, non timebo tres hypostases dicere; si iubetis, condatur nova post Nicaenam fides, et similibus verbis cum Arianis confiteamur orthodoxi „ (6). Tandem hanc fidei suae praeclaram confessionem in proxima epistula repetit: " Ego interim clamito: Si quis cathedrae Petri iungitur, meus est „ (7).

ut *illuminationem Spiritus sancti* ad legendam et intellegendam Scripturam imploremus;

ut *majorum auctoritatem* sedulo servemus,

atque *Ecclesiam, supremam magistram,* semper sequamur.

(1) In Mich. 1. 10, 15.
(2) In Gal. 5, 19 ss.
(3) Ep. 108, 26, 2.
(4) Ad Domnionem et Rogatianum in 1. Par. Praef.
(5) Ep. 63, 2.
(6) Ep. 15, 1. 2, 4.
(7) Ep. 16, 2, 2.

Quam quidem fidei regulam in Scripturarum studio continenter secutus, falsam quandam sacri codicis interpretationem hoc uno argumento refutat: " Sed haec non recipit Ecclesia Dei „ (1), et librum apocryphum, quem Vigilantius haereticus ipsi opposuerat, paucis hisce reiicit: " Quem ego librum nunquam legi. Quid enim necesse est in manus sumere quod Ecclesia non recipit? „ (2). Ergo cum in fidei integritate retinenda tam esset diligens, acerrime cum iis depugnabat qui ab Ecclesia descivissent, eosque adversarios veluti suos proprios habebat: " Breviter respondebo, nunquam me haereticis pepercisse et omni egisse studio, ut hostes Ecclesiae mei quoque hostes fierent „ (3); et ad Rufinum cum scriberet: " In uno tibi „ ait " consentire non potero, ut parcam haereticis, ut me catholicum non probem „ (4). Eorum tamen defectionem complorans, rogabat, vellent ad lugentem Matrem, unicam salutis causam, reverti (5), et pro iis " qui de Ecclesia egressi erant et dimittentes doctrinam Spiritus Sancti suum sensum sequebantur „, precabatur, ut toto animo ad Deum converterentur (6). Quodsi unquam alias, Venerabiles Fratres, at hac nostra praesertim aetate, cum Dei revelantis Ecclesiaeque docentis auctoritatem atque imperium non pauci contumaciter detractant, spiritu Doctoris Maximi omnes e clero populoque christiano imbuantur oportet. Nostis enim — quod iam Leo XIII praemonuerat — " quale adversetur et instet hominum genus, quibus vel artibus vel armis confidant „. Omnino igitur quam plurimos quamque maxime idoneos excitetis oportet sanctissimae causae defensores, qui non modo adversus eos dimicent quibus, ordinem supernaturalem universum negantibus, nulla est Dei revelatio et afflatus, sed etiam cum iis congrediantur qui, profanarum novitatum cupidi, sacras Litteras quasi librum prorsus humanum interpretari audent, aut a sententiis discedunt in Ecclesia a prisca antiquitate receptis, aut magisterium eius sic neglegunt, ut Apostolicae Sedis Constitutiones et Pontificii Consilii de Re Biblica decreta parvi pendant vel silentio praetereant vel etiam ad placita sua subdole petulanterve detorqueant. Utinam catholici omnes aurea sancti Doctoris regulam sequantur, et, Matris dicto audientes, intra terminos antiquos

Hac praesertim aetate, cum non pauci Ecclesiae docentis auctoritatem contumaciter detractant, spiritu S. Hieronymi omnes imbuantur oportet;

excitentur igitur idonei S. S. defensores.

(1) In Dan. 3, 37.
(2) Adv. Vigil. 6.
(3) Dial. c. Pelag., Prolog. 2.
(4) Contra Ruf. 3, 43.
(5) In Mich. 1, 10 ss.
(6) In Is. l. 6 cap. 16, 1-5.

a Patribus positos et ab Ecclesia ratos se modeste contineant.

Sed ad propositum redeamus. Animos igitur iam pietate ac demissione comparatos, ad Bibliorum studium invitat Hieronymus. Ac primum omnibus iterum iterumque cotidianam verbi divini lectionem commendat: " Modo non sit corpus nostrum subditum peccatis, et ingredietur in nos sapientia: exerceatur sensus, mens cotidie divina lectione pascatur „ (1). Et in Epistulam ad Ephesios: " Unde omni studio legendae nobis Scripturae sunt et in lege Domini meditandum die ac nocte, ut probati trapezitae sciamus quis nummus probus sit, quis adulter „ (2). Neque ab hac communi lege matronas virginesque eximit. Laetae, matri Romanae, haec de filia instituenda, inter alia, tradit praecepta: " Reddat tibi pensum cotidie Scripturarum certum... Pro gemmis aut serico divinos codices amet... Discat primum psalterium, his se canticis avocet, et in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat calcare quae mundi sunt. In Iob virtutis et patientiae exempla sectetur. Ad Evangelia transeat, numquam ea positura de manibus. Apostolorum Acta et Epistulas tota cordis imbibat voluntate. Cumque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriae prophetas et Heptateuchum et Regum ac Paralipomenon libros, Esdraeque et Esther volumina, ut ultimum sine periculo discat Canticum Canticorum „ (3). Neque aliter Eustochium virginem hortatur: " Crebrius lege et disce quam plurima. Tenenti codicem somnus obrepat et cadentem faciem pagina sancta suscipiat „ (4). Cui cum epitaphium mitteret Paulae matris, sanctissimam feminam eo quoque nomine dilaudat, quod una cum filia sic se Scripturarum studiis excoluisset, ut eas et penitus nosset et memoriae mandasset. Addit praeterea: " Loquar et aliud quod forsan aemulis videatur incredulum: hebraeam linguam, quam ego ab adulescentia multo labore ac sudore ex parte didici, et infatigabili meditatione non desero, ne ipse ab ea deserar, discere voluit et consecuta est ita ut psalmos hebraice caneret et sermonem absque ulla latinae linguae proprietate resonaret. Quod quidem usque hodie in sancta filia eius Eustochio cernimus „ (5). Neque sanctam praeterit Marcellam, quae item Scripturas calleret

2. — *Quinam* S. S. legere debent?

a). S. Hieronymus ad cotidianam lectionem *omnes* excitabat, et neminem ab hac lege eximebat;

(1) In Tit. 3, 9.
(2) In Eph. 4, 31.
(3) Ep. 107, 9, 12.
(4) Ep. 22, 17, 2; cf. ib. 29, 2.
(5) Ep. 108, 26.

et revera in S. S. panem caelestem omnes invenient.

optime (1). Quem vero lateat, ex pia sacrorum librorum lectione quantum utilitatis ac suavitatis in animos rite compositos defluat? Ad Biblia enim quisquis pia mente, firma fide, humili animo et cum proficiendi voluntate accesserit, is eum ibi inveniet et comedet panem qui de caelo descendit, et Davidicum illud in se ipse experietur: " Incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi „ (2), cum haec verbi divini mensa sit vere " continens doctrinam sanctam, erudiens fidem rectam, et firmiter usque ad interiora velaminis, ubi sunt Sancta Sanctorum, perducens „ (3). Quod autem in Nobis est, Venerabiles Fratres,

Christifideles itaque omnes cotidianam lectionem instituant,

Christifideles omnes auctore Hieronymo cohortari numquam desinemus, ut sacrosancta praesertim Domini Nostri Evangelia, itemque Acta Apostolorum et Epistulas cotidiana lectione pervolutare et in sucum et sanguinem convertere studeant. Itaque in his saecularibus sollemnibus ad Societatem, quae Sancti Hieronymi nomine nuncupatur, libenter provolat cogitatio Nostra; eoque libentius quod Nosmet ipsi rei inchoandae perficiendaeque participes fuimus, cuius quidem incrementa cum praeterita iucunde perspeximus, tum praecipimus laeto animo futura. Huic enim Societati non ignoratis, Venerabiles Fratres, id esse propositum, quattuor Evangelia et Acta Apostolorum

et ut hoc fieri possit, libri sacri in omnes familias spargantur.

quam latissime pervulgare ita, ut nulla iam sit christiana familia quae iis careat, omnesque cotidiana eorum lectione et meditatione assuescant. Quod opus Nobis ob exploratas eius utilitates carissimum, vehementer cupimus, societatibus eiusdem nominis et instituti ubique conditis, et iis ad Romanam aggregatis, in dioeceses vestras propagari atque diffundi. Eodem in genere optime de re catholica merentur illi e variis regionibus viri, qui omnes Novi Testamenti et selectos e Vetere libros commoda ac nitida forma edendos et evulgandos perdiligenter curarunt et in praesenti curant: unde constat haud exiguam fructuum copiam in Ecclesiam Dei permanasse, cum multo iam plures ad hanc caelestis doctrinae mensam accedant, quam Dominus Noster per suos prophetas, Apostolos et Doctores christiano orbi ministravit (4).

b). Hoc studium S. S. ad *sacerdotes* praesertim pertinet,

Iam vero, cum sacri codicis studium ab omnibus fidelibus requirit Hieronymus, tum maxime ab iis qui " iugum Christi collo suo imposuerunt „ et ad divinum verbum praedicandum

(1) Ep. 127, 7.
(2) Ps. 50, 8.
(3) Imit. Chr. 4, 11, 4.
(4) Ibidem.

divinitus vocati sunt. Sic enim in monacho Rustico clericos omnes affatur: " Quamdiu in patria tua es, habeto cellulam pro paradiso, varia Scripturarum poma decerpe, his utere deliciis, harum fruere complexu... Numquam de manu et oculis tuis recedat liber, Psalterium discatur ad verbum, oratio sine intermissione, vigil sensus nec vanis cogitationibus patens „ (1). Nepotianum vero presbyterum sic monet: " Divinas Scripturas saepius lege, immo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod doceas. Obtine eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut possis exhortari in doctrina sancta et contradicentes revincere „ (2). Cum autem in Sancti Paulini memoriam praecepta a Paulo discipulis Timotheo ac Tito de scientia Scripturarum impertita redegisset, haec addit: " Sancta quippe rusticitas sibi soli prodest, et quantum aedificat ex vitae merito Ecclesiam Christi, tantum nocet si contradicentibus non resistit. Malachias propheta, immo per Malachiam Dominus: Interroga, ait, sacerdotes legem. In tantum sacerdotis officium est interrogatum respondere de lege. Et in Deuteronomio legimus: Interroga patrem tuum et annuntiabit tibi, presbyteros tuos et dicent tibi... Daniel in fine sacratissimae visionis iustos ait fulgere quasi stellas, et intellegentes id est doctos quasi firmamentum. Vides quantum distent inter se iusta rusticitas et docta iustitia? Alii stellis, alii caelo comparantur „ (3). Aliorum quoque clericorum " iustam rusticitatem „ in epistula ad Marcellam per ironiam carpit: " quam (rusticitatem) illi solam pro sanctitate habent, piscatorum se discipulos asserentes, quasi idcirco iusti sint, si nihil scierint „ (4). At non eiusmodi tantummodo rusticos, verum etiam clericos litteratos Scripturarum ignorantia peccare animadvertit, et gravissimis verbis assiduam in sacris voluminibus exercitationem sacerdotibus inculcat. Quae quidem exegetae sanctissimi documenta, Venerabiles Fratres, studiose efficite ut animis clericorum et sacerdotum vestrorum altius insideant; nam vestrum in primis est diligenter revocare eos ad considerandum quid ab ipsis divini muneris, quo aucti sunt, ratio postulet, si eo non indignos se praestare velint: " Labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est „ (5). Sciant igitur, sibi nec studium Scripturarum

qui sunt ad praedicandum verbum Dei divinitus vocati.

Hanc scientiam sacram igitur acquirant, ut munere suo se dignos praebeant.

(1) Ep. 125, 7, 3; 11, 1.
(2) Ep. 52, 7, 1.
(3) Ep. 53, 3 ss.
(4) Ep. 27, 1, 2.
(5) Mal. 2, 7.

esse neglegendum, nec illud alia via aggrediendum, ac Leo XIII Encyclicis Litteris " Providentissimus Deus „ data opera praescripsit. Iidem profecto perfectius aliquid attingent, si Institutum Biblicum celebrarint, quod secundum Leonis XIII optata, proximus decessor Noster condidit permagna quidem cum Ecclesiae sanctae utilitate, ut est horum decem annorum experimento testatissimum. Sed quoniam plerique hoc nequeunt, optabile est ut selecti ex utroque clero viri, vobis, Venerabiles Fratres, auctoribus atque auspicibus, undique in Urbem conveniant operam rei biblicae in Instituto Nostro daturi. Qui autem alumni convenerint, iis non una de causa Institutum frequentare licebit. Alii enim, secundum praecipuum huius Lycei magni finem, studia biblica ita pertractabunt, ut ea " postmodum tam privatim quam publice, tum scribentes cum docentes, profiteri valeant, sive in munere magistrorum penes catholicas scholas, sive in officio scriptorum pro catholica veritate vindicanda, eorum dignitatem tueri possint „ (1); alii vero, qui iam ministerio sacro initiati sint, ampliorem, quam in theologiae curriculo, cognitionem Scripturae sacrae, itemque magnorum eius interpretum et temporum locorumque biblicorum, sibi comparare poterunt, quae cognitio ad usum praecipue pertineat, ad id nempe, ut perfecti evadant verbi divini administri, ad omne opus bonum instructi (2).

Utilitas et necessitas *Instituti Biblici.*

3). — *Scopus* studii S. S. ad mentem S. Hieronymi.

Habetis, Venerabiles Fratres, ex Hieronymi exemplo et auctoritate quibus virtutibus oporteat instructum esse, quisquis se ad lectionem studiumve Bibliorum conferat: nunc ipsum audiamus docentem quorsum sacrarum litterarum cognitio spectare quidque debeat intendere. Primum in iis paginis cibus quaerendus est, unde vita spiritus ad perfectionem alatur: quam ob causam Hieronymus in lege Domini meditari die ac nocte et in sanctis Scripturis panem de caelo ac manna caeleste, omnes in se delicias habens, consuevit comedere (3). Quo quidem cibo animus noster carere qui possit? Et quomodo ecclesiasticus vir viam salutis alios doceat, quando, neglecta Scripturae meditatione, se ipse non docet? Aut quo pacto, sacra administrando, confidat se " esse ducem caecorum, lumen eorum qui in tenebris sunt, eruditorem insipientium, magistrum infantium, habentem formam scientiae et veritatis in lege „ (4), si

Primum quaeratur in verbo Dei cibus, unde vita spiritus ad perfectionem alatur,

(1) Pius X in Litt. Ap. *Vinea electa,* 7 Maii 1909.
(2) Cf. 2 Tim. 3, 17.
(3) Tract. de Ps. 147.
(4) Rom. 2, 19 s.

hanc legis doctrinam commentari nolit et superno lumini aditum prohibeat? Heu quot sacrorum administri, posthabita Bibliorum lectione, fame ipsi pereunt et alios nimis multos interire sinunt, cum scriptum sit: " Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis „ (1). " Desolata est omnis terra quia nullus est qui recogitet corde „ (2). Deinde, ut res postulaverit, argumenta ex Scripturis petenda sunt quibus fidei dogmata illustremus, confirmemus, tueamur. Quod ille mirifice praestitit, adversus sui temporis haereticos dimicans: quos ad refellendos, quam acuta, quam solida e locis Scripturae arma desumpserit, omnia eius opera luculenter ostendunt. In quo si eum imitati erunt nostri Scripturarum interpretes, id profecto consecuturum est — quod decessor Noster in Encyclicis Litteris " Providentissimus Deus „ " maxime optabile et necessarium „ dixit —, ut " eiusdem Scripturae usus in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima „. Praecipuus denique Scripturae usus ad divini verbi ministerium pertinet, sancte fructuoseque exercendum. Atque hoc loco, gratissimum est Doctoris Maximi verbis roborari praecepta, quae Nos Litteris Encyclicis " Humani generis " de verbi divini praedicatione tradidimus. Ac profecto insignis interpres tam graviter, tam frequenter continuam sacrarum Litterarum lectionem ad id potissimum sacerdotibus commendat, ut munere docendi et contionandi digne perfungantur. Neque enim eorum sermo habeat aliquid, cum momenti et ponderis, tum ad effingendos animos efficacitatis, nisi a sacra Scriptura informetur ab eaque vim suam ac robur mutuetur. " Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit " 3). Nam " quidquid in Scripturis sanctis dicitur, tuba comminans est et grandi voce credentium aures penetrans " (4). " Nihil enim ita percutit, ut exemplum de Scripturis sanctis „ (5).

quem cibum sacerdotes aliis communicent.

Deinde ex S. S. argumenta desumantur ad dogmata illustranda atque tuenda, ita ut S S. fiat prope anima theologiae.

Praesertim, in munere concionand., S. S. sedulo adhibeatur.

Quae autem sanctus Doctor habet de legibus in usu Bibliorum servandis, ea, quamquam ad interpretes quoque, maximam partem, pertinent, sacerdotes in verbi divini praedicatione ante oculos habento. Ac primo quidem monet, ipsa Scripturae verba perdiligenter consideremus, ut certo constet quidnam sacer scriptor dixerit. Neque enim quisquam ignorat, Hieronymum,

4). — *Quomodo utendum* S. S.? S. Hieronymus primo monet ut diligenter consideretur *quidnam* auctor sacer dixerit;

(1) Thren. 4, 4.
(2) Ier. 12, 11.
(3) Ep. 52, 8, 1.
(4) In Amos 3, 3 ss.
(5) In Zach 9, 15 s.

si quando opus esset, consuevisse ad codicem primigenium adire, aliam interpretationem cum alia comparare, vim verborum excutere et, si qui incidisset error, causas erroris aperire ut de ipsa lectione omnis tolleretur dubitatio. Tum vero, quae in verbis insit significatio et sententia, docet esse inquirendum, quia, " de Scripturis sanctis disputanti non tam necessaria sunt verba quam sensus „ (1). Atque in eiusmodi significatione perscrutanda minime diffitemur Hieronymum, doctores latinos nonnullosque ex graecis superiorum temporum imitatum, fortasse plus aequo allegoricis interpretationibus initio concessisse. Verum fecit ipse sacrorum Librorum amor, fecit perpetuus labor in eos recognoscendos ac penitus percipiendos impensus, ut cotidie magis in recta sensus litteralis aestimatione proficeret, et sana hoc in genere principia proponeret; quae, cum nunc quoque tutam omnibus viam muniant ad plenum ex sacris libris sensum eruendum, breviter exponemus. Ad litteralem igitur seu historicam explicationem in primis animum intendere debemus: " Prudentem semper admoneo lectorem, ut non superstitiosis acquiescat interpretationibus et quae commatice pro fingentium dicuntur arbitrio, sed consideret priora, media et sequentia, et nectat sibi universa quae scripta sunt „ (2). Addit, reliquum omne interpretationis genus, tamquam fundamento, sensu litterali inniti (3), qui neque tum abesse putandus est, cum aliquid translate effertur; nam " frequenter historia ipsa metaphorice texitur et sub imagine... praedicatur „ (4). Qui vero opinantur, Doctorem nostrum id nonnullis Scripturae locis tribuisse quod sensu historico carerent, eos ipsemet refellit: " Non historiam denegamus, sed spiritalem intellegentiam praeferimus „ (5). Litterali autem seu historica significatione in tuto collocata, interiores altioresque rimatur sensus, ut exquisitiore epulo spiritum pascat: docet enim de libro Proverbiorum, idemque de reliquis Scripturae partibus saepe monet, sistendum non esse in solo litterali sensu, " sed, quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castaneorum operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis divinum sensum altius perscrutandum „ (6). Quamobrem, cum Sanctum Paulinum

tum vero docet esse inquirendum *quaenam significatio* in verbis insit.

Verum ipse cotidie magis in recta *sensus litteralis* aestimatione profecit, et *sana principia* in hoc genere proposuit, quae breviter recolere juvat.

(1) Ep. 29, 1, 3.

(2) In Matth. 25, 13.

(3) Cf. in Ez. 38, 1 ss.; 41, 23 ss.; 42, 13 s.; in Marc. 1, 13-31; Ep. 129, 6, 1 etc.

(4) In Hab. 3, 14 ss.

(5) In Marc. 9, 1-7; cf. in Ez. 40, 24-27.

(6) In Eccle. 12, 9 s.

edoceret, " quo in Scripturis sanctis calle gradiatur „, " totum „, ait, " quod legimus in divinis libris, nitet quidem et fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est. Qui esse vult nucleum, frangit nucem „ (1). Monet tamen, cum de quaerendo agitur eiusmodi interiore sensu, quemdam modum esse adhibendum, " ne, dum spiritales divitias sequimur, historiae contemnere paupertatem videamur „ (2). Itaque haud paucas improbat antiquorum scriptorum mysticas interpretationes ob eam praecipue causam quod in litterali sensu minime inniterentur: " ut omnes illius repromissiones quas sancti prophetae suo ore cecinerunt, non inanem sonum habeant et crassa solius tropologiae nomina, sed fundentur in terra et cum historiae habuerint fundamenta, tunc spiritalis intelligentiae culmen accipiant „ (3). Qua in re sapienter animadvertit, non esse a Christi et Apostolorum vestigiis discedendum, qui, quamquam Vetus Testamentum uti Novi Foederis praeparationem et obumbrationem considerant propterea que locos complures typice interpretantur, non omnia tamen ad typicam significationem trahunt. Atque, ut rem confirmet, saepe ad Paulum Apostolum appellat, qui, exempli gratia, " exponens sacramenta Adae et Evae, non negavit plasmationem eorum, sed super fundamentum historiae spiritalem intellegentiam aedificans ait: Propter hoc relinquet homo etc. „ (4). Quodsi sacrarum Litterarum interpretes et divini verbi praecones, Christi et Apostolorum exemplum secuti monitisque Leonis XIII obtemperantes, ea non neglexerint " quae ab eisdem Patribus ad allegoricam similemve sententiam translata sunt, maxime cum ex litterali descendant, et multorum auctoritate fulciantur „, et modeste temperateque e litterali sententia ad altiora exsurgant atque se erigant, cum Hieronymo experientur quam verum illud Pauli: " Omnis Scriptura divinitus inspirata est utilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia „ (5), et larga ex infinito Scripturarum thesauro habituri sunt rerum sententiarumque subsidia, quibus fortiter suaviterque vitam moresque fidelium ad sanctitatem conforment.

Quod vero attinet ad exponendi et dicendi rationem, quoniam inter dispensatores mysteriorum Dei quaeritur ut fidelis

Quod attinet *exponendi* et *dicendi* rationem.

(1) Ep. 58, 9, 1.
(2) In Eccle. 2, 24 ss.
(3) In Amos, 9, 6.
(4) In Is. 6, 1-7.
(5) 2 Tim. 3, 16.

potissimum *veritas interpretationis* retinenda est.

quis inveniatur, statuit Hieronymus, potissimum " veritatem interpretationis „ retinendam esse et " commentatoris officium esse, non quid ipsi velit, sed quid sentiat ille quem interpretatur, exponere „ (1); adiicit autem, " grande periculum esse in Ecclesia loqui, ne forte interpretatione perversa de Evangelio Christi hominis fiat Evangelium „ (2). Deinde " in explanatione sanctarum Scripturarum non verba composita et oratoriis flosculis adornata, sed eruditio et simplicitas quaeritur veritatis „ (3). Quam quidem ad normam cum scripta sua exararet, in commentariis profitetur hoc sibi habere propositum, non ut verba " laudentur, sed ut quae ab alio bene dicta sunt, ita intellegantur ut dicta sunt „ (4); in expositione vero divini verbi eam requiri orationem, quae " nullam lucubrationem redolens... rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quae verborum compositione frondescat „ (5). Atque hic placet plures Hieronymi locos subiicere, e quibus liquet, quam vehementur ab eloquentia illa abhorreret declamatorum propria, quae vacuo verborum strepitu et celeritate loquendi inanes plausus intendit. " Nolo te „, monet Nepotianum presbyterum, " declamatorem esse et rabulam garrulumque, sed mysterii peritum et sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba volvere et celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est „ (6). " Ex litteratis quicumque hodie ordinantur, id habent curae, non quomodo Scripturarum medullas ebibant, sed quomodo aures populi declamatorum flosculis mulceant „ (7). " Taceo de mei similibus, qui si forte ad Scripturas sanctas post saeculares litteras venerint, et sermone composito aurem populi mulserint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant, nec scire dignantur quid prophetae, quid Apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia : quasi grande sit et non vitiosissimum dicendi genus, depravare sententias et ad voluntatem suam Scripturam trahere repugnantem „ (8). " Nam sine Scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem, nisi videren-

ut deinde in explananda S. S. eruditio et simplicitas veritatis quaeratur.

Haec monita variis testimoniis s. Hieronymi illustrantur.

(1) Ep. 49 al. 48, 17, 7.
(2) In Gal. 1, 11 ss.
(3) In Amos. Praef. in l. 3.
(4) In Gal., Praef. in l. 3.
(5) Ep. 36, 14, 2; cf. Ep. 140, 1, 2.
(6) Ep. 52, 8, 1.
(7) Dial. c. Lucif. 11.
(8) Ep. 53, 7, 2.

tur perversam doctrinam etiam divinis testimoniis roborare „(1). Verum haec garrula eloquentia et verbosa rusticitas " nihil mordax, nihil vividum, nihil vitale demonstrat, sed totum flaccidum marcidumque et mollitum ebullit in olera et in herbas, quae cito arescunt et corruunt „ ; simplex, contra, Evangelii doctrina, similis minimo grano sinapis, " non exsurgit in olera, sed creseit in arborem, ita ut volucres caeli... veniant et habitent in ramis eius „ (2). Quare hanc sanctam dicendi simplicitatem, cum perspicuitate et venustate minime quaesitas coniunctam, ipse in omnibus sectabatur : " Sint alii diserti, laudentur ut volunt, et inflatis buccis spumantia verba trutinentur : mihi sufficit sic loqui ut intellegar et ut de Scripturis disputans Scripturarum imiter simplicitatem „ (3). Etenim " ecclesiastica interpretatio etiamsi habet eloquii venustatem, dissimulare eam debet et fugere, ut non otiosis philosophorum scholis paucisque discipulis, sed universo loquatur hominum generi „ (4). Quae profecto consilia et praecepta si iuniores sacerdotes ad effectum deduxerint et seniores continenter prae oculis habuerint, confidimus eos fore Christifidelium animis per ministerium sacrum summopere profuturos.

5). — *Fructus*, ad exempium s. Hieronymi, e studio S. S. decerpendi.

Reliquum est, Venerabiles Fratres, ut " dulces fructus „ commemoremus, quos Hieronymus " de amaro semine litterarum „ decerpsit, in eam erecti spem, futurum, ut eius exemplo ad cognoscendam percipiendamque sacri codicis virtutem sacerdotes et fideles vestris curis concrediti incendantur. Sed tantas tamque suaves spiritus delicias, quibus pius anachoreta affluebat, malumus ex eius veluti ore quam ex Nostris verbis complectamini. Audiatis igitur quomodo de sacra hac disciplina Paulinum " symmystam, sodalem et amicum „ alloquatur : " Oro te, frater carissime, inter haec vivere, ista meditari, nihil aliud nosse, nihil quaerere, nonne tibi videtur iam hic in terris regni caelestis habitaculum ? „ (5). Alumnam vero suam, Paulam ita interrogat : " Oro te, quid hoc sacratius sacramento ? quid hac voluptate iucundius ? Qui cibi, quae mella sunt dulciora quam Dei scire prudentiam, in adyta eius intrare, sensum Creatoris inspicere et sermones Domini tui, qui ab huius mundi sapientibus deridentur, plenos docere sapientia spiritali ? Habeant sibi ceteri suas opes, gemma bibant, serico niteant,

(1) In Tit. 1, 10 s.
(2) In Matth. 13, 32.
(3) Ep. 36, 14, 2.
(4) Ep. 48 al. 49, 4, 3.
(5) Ep. 53, 10, 1.

plausu populi delectentur et per varias voluptates divitas suas vincere nequeant : nostrae deliciae sint, in lege Domini meditari die ac nocte, pulsare ianuam non patentem, panes Trinitatis accipere et saeculi fluctus, Domino praeeunte, calcare „ (1). Ad eandem Paulam et filiam eius Eustochium in commentario Epistulae ad Ephesios : " Si quidquam est, Paula et Eustochium, quod in hac vita sapientem teneat et inter pressuras et turbines mundi aequo animo manere persuadeat, id esse vel primum reor meditationem et scientiam Scripturarum „ (2). Qua cum ipse uteretur, gravibus animi maeroribus corporisque aegrotationibus affectus, tamen pacis et interioris gaudii solacio fruebatur : quod quidem gaudium non erat in vana atque otiosa delectatione positum, sed, a caritate profectum, in caritatem actuosam erga Ecclesiam Dei convertebatur, cui divini verbi custodia a Domino commissa est.

a — Pacis ac interioris gaudii solatium.

Etenim in sacris utriusque Foederis Litteris Ecclesiae Dei laudes legebat passim praedicatas. Singulae fere illustres sanctaeque mulieres, quae in Veteri Testamento honorificum obtinent locum, nonne huius Christi Sponsae figuram praeferebant? Nonne sacerdotium et sacrificia, instituta et sollemnia, universae paene Veteris Testamenti res gestae ad eam adumbrandam pertinebant ? Quid, quod tot Psalmorum et prophetarum vaticinationes in Ecclesia divinitus impletas intuebatur ? Non ipsi denique audita erant, a Christo Domino et ab Apostolis enuntiata, maxima eiusdem Ecclesiae privilegia ? Quidni igitur in animo Hieronymi amorem erga Christi Sponsam cotidie magis excitaverit scientia Scripturarum ? Iam vidimus, Venerabiles Fratres, quanta reverentia et quam flagranti caritate is Ecclesiam Romanam et Petri Cathedram prosequeretur ; vidimus quam acriter Ecclesiae adversarios impugnaret. Cum autem iuniori commilitoni Augustino, idem proelium proelianti, plauderet, et se una cum eo haereticorum invidiam in se suscepisse laetaretur : " Macte virtute „, ita eum alloquitur, " in orbe celebraris. Catholici te conditorem antiquae rursum fidei venerantur atque suscipiunt, et, quod signum maioris gloriae est, omnes haeretici detestantur, et me pari persequuntur odio, ut quos gladiis nequeant, voto interficiant „ (3). Quae egregie confirmat Postumianus, apud Sulpicium Severum de Hieronymo testatus: " Cui iugis adversum malos pugna perpetuumque certamen

b. — Amor erga Christi sponsam, Ecclesiam.

(1) Ep. 30, 13.
(2) In Eph., Prol.
(3) Ep. 141, 2 ; cf. Ep. 134, 1.

concivit odia perditorum. Oderunt eum haeretici, quia eos impugnare non desinit; oderunt clerici, quia vitam eorum insectatur et crimina. Sed plane eum omnes boni admirantur et diligunt „ (1). Quo ex haereticorum perditorumque hominum odio multa perpessu aspera Hieronymus oppetiit, tum maxime cum Pelagiani coenobium Bethlehemiticum tumultuose adorti vastarunt; at omnes indignitates contumeliasque libenter pertulit, neque animo concidit, utpote qui pro tuenda Christi fide mori non dubitaret: " Hoc meum gaudium est „, ad Apronium scribit, " quando in Christo audio filios meos dimicare, et istum zelum in nos ipse confirmet, cui credimus, ut pro fide eius sanguinem voluntarie fundamus... Nostra autem domus secundum carnales opes haereticorum persecutionibus penitus eversa, Christo propitio spiritalibus divitiis plena est. Melius est enim panem manducare quam fidem perdere „ (2). Quodsi errores nusquam impune serpere passus est, haud minore sane studio in perditos mores vehementi illo suo dicendi genere usus est, ut, quantum in se erat, Christo " exhiberet... gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid eiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata „ (3). Quam graviter eos increpat, qui sacerdotalem dignitatem pravo vitae instituto violarent! Quam eloquenter ethnicos vituperat mores, qui ipsam Urbem magna ex parte inficerent! Hanc vero vitiorum scelerumque omnium colluviem ut quoquo pacto cohiberet, opponere ipse virtutum christianarum praestantiam atque pulchritudinem, verissime ratus nihil tam ad malum aversandum valere quam rerum optimarum amorem; instare ut adulescentes pie ac recte instituerentur; gravibus consiliis coniuges ad vitae integritatem sanctitatemque hortari; studium virginitatis purioribus instillare animis; arduam quidem sed suavem interioris vitae severitatem omnibus laudibus extollere; primam illam christianae religionis legem, caritatis scilicet cum labore coniunctae, qua servata, e perturbationibus ad tranquillitatem ordinis se hominum societas feliciter reciperet, omni contentione urgere. De caritate autem ita praeclare ad Sanctum Paulinum: " Verum Christi templum anima credentis est: illam exorna, illam vesti, illi offer donaria, in illa Christum suscipe. Quae utilitas, parietes fulgere gemmis et Christum in pauperé fame mori? „ (4). Laboris vero legem non scriptis

c. — Zelus animarum.

(1) Postumianus apud Sulp. Sev., Dial. 1, 9.
(2) Ep. 139.
(3) Eph. 5, 27.
(4) Ep. 58, 7, 1.

modo, sed totius quoque vitae exemplis tam impense omnibus suadebat, ut Postumianus, qui sex menses cum Hieronymo in urbe Bethlehem commoratus erat, apud Sulpicium Severum testatus sit : " Totus semper in lectione, totus in libris est : non die, non nocte requiescit ; aut legit aliquid semper aut scribit ,, (1). Ceterum, quantum Ecclesiam adamaret, liquet etiam ex commentariis, in quibus nullam dilaudandae Christi Sponsae opportunitatem praeterit. Ita, exempli causa, in explanatione Aggaei prophetae legimus : " Venerunt electa omnium gentium et repleta est gloria domus Domini, quae est Ecclesia Dei viventis, columna et firmamentum veritatis... His metallis illustrior fit Ecclesia Salvatoris quam quondam synagoga fuerat : his lapidibus vivis aedificatur domus Christi et pax ei praebetur aeterna „ (2). Et in Michaeam : " Venite, ascendamus in montem Domini : ascensione opus est ut quis ad Christum valeat pervenire et domum Dei Iacob, Ecclesiam, quae est domus Dei, columna et firmamentum veritatis „ (3). In prooemio commentarii in Matthaeum : " Ecclesia... supra petram Domini voce fundata est, quam introduxit Rex in cubiculum suum et ad quam per foramen descensionis occultae misit manum suam „ (4).

d. — Christi amor, praecipuus atque dulcissimus omnium fructus.

Quemadmodum in postremis, quos attulimus, locis, sic plerumque Dominum Iesum intime cum Ecclesia coniunctum Doctor noster concelebrat. Caput enim cum a corpore mystico separari nequeat, necessario coniungitur cum Ecclesiae studio Christi amor, qui scientiae Scripturarum praecipuus atque dulcissimus omnium fructus habendus est. Hanc profecto sacri codicis scientiam adeo Hieronymus persuasum habebat usitatam esse viam qua ad cognitionem et amorem Christi Domini pervenitur, ut asseverare minime dubitaverit : " Ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est „ (5). Idem ad sanctam Paulam scribit : " Quae enim alia potest esse vita sine scientia Scripturarum per quas etiam ipse Christus agnoscitur, qui est vita credentium ? „ (6). In Christum enim veluti centrum omnes utriusque Testamenti paginae vergunt ; et Hieronymus, cum verba Apocalypsis explanat quae sunt de fluvio et ligno vitae, inter alia, haec habet : " Unus fluvius egreditur de throno

(1) Postumianus apud Sulp. Sev., Dial. 1, 9.
(2) In Agg. 2, 1 ss,
(3) In Mich. 4, 1 ss.
(4) In Matth.. Prol.
(5) In Is., Prol. ; cf. tract. de Ps. 77.
(6) Ep. 30, 7.

IV. LAUDES s. Hieronymi.

Dei, hoc est gratia Spiritus Sancti, et ista gratia Spiritus Sancti in sanctis Scripturis est, hoc est in isto fluvio Scripturarum. Tamen iste fluvius duas ripas habet, et Vetus et Novum Testamentum, et in utraque parte arbor plantata Christus est „(1). Nihil igitur mirum si, quaecumque in sacro codice leguntur, ea, pia meditatione, ad Christum referre consueverat : " Ego quando lego Evangelium et video ibi testimonia de lege, testimonia de prophetis, solum Christum considero : sic vidi Moysen, sic vidi prophetas, ut de Christo intellegerem loquentes. Denique quando venero ad splendorem Christi et quasi splendidissimum lumen clari solis adspexero, lucernae lumen non possum videre. Numquid lucernam si incendas in die, lucere potest ? Si sol luxerit, lux lucernae non paret : sic et Christo praesente comparata lex et prophetae non apparent. Non detraho legi et prophetis, quin potius laudo, quia Christum praedicant. Sed sic lego legem et prophetas ut non permaneam in lege et prophetis, sed per legem et prophetas ad Christum perveniam „ (2). Ita, qui Christum ubique pie quaereret, eum Scripturarum commentatione ad amorem et scientiam Domini Iesu mirifice efferri cernimus, in qua margaritam illam Evangelii pretiosam invenit : " Unum autem est pretiosissimum margaritum, scientia Salvatoris et sacramentum passionis illius et resurrectionis arcanum „ (3). Qua Christi caritate cum flagraret, nimirum fiebat ut, pauper et humilis cum Christo, animo ab omnibus terrenis curis libero ac soluto, unice Christum quaereret, eius spiritu ageretur, cum eo coniunctissime viveret, cum patientem in se, imitando, effingeret, nihil haberet antiquius quam ut cum Christo et pro Christo pateretur. Quare, cum, iniuriis odiisque improborum hominum lacessitus, Damaso vita functo, Roma discessisset, in eoque esset ut navem conscenderet, haec scribebat : " Et licet me sceleratum quidam putent et omnibus flagitiis obrutum, et pro peccatis meis etiam haec parva sint, tamen tu bene facis, quod ex tua mente etiam malos bonos putas... Gratias ago Deo meo quod dignus sum quem mundus oderit... Quotam partem angustiarum perpessus sum qui cruci milito ? Infamiam falsi criminis importarunt : sed scio per malam et bonam famam perveniri ad regna caelorum „ (4). Et sanctam virginem

Omnia, quae in S. S. Leguntur, ad Christum referebat S. Hieronymus,

et inde mirifice ad amorem Christi efferebatur ;

qua caritate cum flagraret, pauper et humilis cum Christo,

cum Christo et pro Christo pati anhelabat.

(1) Tract. de Ps. 1.
(2) Tract. in Marc. 9, 1-7.
(3) In Matth. 13, 45 s.
(4) Ep. 45, 1. 6.

Eustochium ad eiusmodi vitae labores pro Christo fortiter ferendos sic hortabatur: " Grandis labor, sed grande praemium, esse quod Martyres, esse quod Apostolos, esse quod Christus est... Haec omnia, quae digessimus, dura videbuntur ei qui non amat Christum. Qui autem omnem saeculi pompam pro purgamento habuerit et vana duxerit universa sub sole, ut Christum lucrifaciat, qui commortuus est Domino suo et conresurrexit et crucifixit carnem cum vitiis et concupiscentiis, libere proclamabit: Quis nos separabit a caritate Christi? „ (1). Fructus igitur e sacrorum voluminum lectione Hieronymus capiebat uberrimos: inde interiora illa lumina, quibus ad Christum magis magisque cognoscendum adamandumque trahebatur; inde spiritum illum orationis, de quo tam pulchra conscripsit; inde mirabilem illam cum Christo consuetudinem, cuius incitatus deliciis, per arduam crucis semitam, ad adipiscendam victoriae palmam sine intermissione procurrit. Idem continuo animi ardore in Sanctissimam Eucharistiam ferebatur, cum " nihil illo ditius qui Corpus Domini canistro vimineo, sanguinem portat vitro „ (2); nec minore reverentia et pietate Deiparam colebat cuius perpetuam virginitatem pro viribus defendit; eandemque Dei Matrem, nobilissimum virtutum omnium exemplar, Christi sponsis proponere ad imitandum consueverat (3). Quamobrem nemo mirabitur, tam vehementer Hieronymum allectum atque attractum esse iis Palaestinae locis quae Redemptor Noster et Sanctissima eius Mater consecravissent; ipsius profecto sententiam in iis licet agnoscere, quae Paula et Eustochium, eius discipulae, ex urbe Bethlehem ad Marcellam conscripserunt: " Quo sermone, qua voce speluncam tibi possumus Salvatoris exponere? Et illud praesepe, in quo infantulus vagiit, silentio magis quam infirmo sermone honorandum est... Ergone erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare, in sepulcro Domini flere cum sorore, flere cum matre? Crucis deinde lignum lambere et in Oliveti monte cum ascendente Domino, voto et animo sublevari? „ (4). Has igitur recolens sacras memorias, Hieronymus, Roma procul, corpori quidem duriorem sed tam suavem animo vitam agebat, ut exclamaret: " Habeat Roma, quod angustior Urbe Romana possidet Bethlehem „ (5).

inde lumina illa interiora; spiritus orationis et mirabilis S. Hieronymi cum Christo consuetudo.

Inde continuus ejus ardor in S. Eucharistiam; nec minor pietas erga Deiparam.

Hac de causa tantum dilexit Palaestinae loca, quae S. Redemptor noster et S. Mater ejus consecraverunt.

(1) Ep. 22, 38 s.
(2) Ep. 125, 20, 4.
(3) Cf. Ep. 22, 38, 3.
(4) Ep. 46, 11, 13.
(5) Ep. 54, 13, 6.

Sanctissimi viri optatum, alia ratione atque ipse intellegebat, perfectum esse, est cur Nos gaudeamus et Romani cives. Nobiscum gaudeant; quas enim Doctoris Maximi reliquias, in illo ipso specu conditas, quem tamdiu incoluerat, Davidica nobilissima civitas se olim possidere gloriabatur, eas iam felix Roma habet, in maiore Deiparae Basilica depositas, apud ipsum Praesepe Domini. Silet quidem vox illa, cuius sonum e solitudine olim prodeuntem totus audivit catholicus orbis; sed scriptis suis, quae " per universum mundum quasi divinae lampades rutilant „ (1), Hieronymus adhuc clamat. Clamat, quae sit Scripturarum praestantia, quae integritas et historica fides, quam dulces fructus earum lectio pariat ac meditatio. Clamat, ut ad institutum vitae christiano nomine dignum omnes Ecclesiae filii redeant, et ab ethnicorum moribus, qui hac nostra aetate paene revixisse videntur, se immunes atque incolumes servent. Clamat, ut Petri Cathedra, Italorum praesertim pietate et studio, quorum in finibus divinitus constituta est, eo sit in honore, ea fruatur libertate, quam apostolici muneris dignitas atque ipsa perfunctio omnino postulant. Clamat, ut christianae illae gentes, quae ab Ecclesia Matre misere desciverunt, ad eam denuo confugiant, in qua spes omnis posita est salutis aeternae. Atque utinam his monitis obsequantur orientales in primis Ecclesiae, quae iam nimium diu a Petri Cathedra averso sunt animo. Hieronymus enim, cum in iis regionibus viveret et Gregorio Nazianzeno Didymoque Alexandrino usus esset magistris, orientalium aetatis suae populorum doctrinam ea complexus est pervulgata sententia: " Si quis in Noe arca non fuerit, periet regnante diluvio „ (2). Cuius diluvii fluctus nonne hodie impendent ad omnia, nisi eos Deus avertat, hominum instituta destruenda? Ecquid enim, sublato, universarum rerum auctore et conservatore, Deo, non corruat? Ecquid non pereat, quod ab se Christum, qui vita est, segregarit? Sed qui olim, discipulis comprecantibus, mare turbatum tranquillavit, potest idem pulcherrima pacis munera exagitatae hominum consortioni restituere. In quo opituletur Hieronymus Ecclesiae Dei, quam cum peramanter coluit, tum a quavis adversariorum oppugnatione strenue defendit; idque patrocinio suo impetret, ut, discidiis secundum Iesu Christi optata compositis, " fiat unum ovile et unus pastor „.

Nunc autem sacras ejus reliquias possidere gaudet Urbs Romana;

silet vox ejus, sed scripta ejus adhuc clamant quae sit S. S. praestantia, integritas et fides historica; quam dulces fructus ejus lectio ac meditatio pariant.

Clamant ut omnes Ecclesiae filii ad vitam christianam redeant; ut Cathedra, Petri ea fruatur libertate quam ejus dignitas postulat;

ut gentes omnes, quae ab Ecclesia desciverunt, imprimis orientales, ad Matrem denuo confugiant.

Quae omnia bona S. Hieronymus suo patrocinio impetret.

Iam quae, Venerabiles Fratres, quinto decimo a Doctoris

(1) Cassian., De incarn. 7, 26.
(2) Ep. 15, 2, 1.

Apprecatio finalis.

Maximi obitu exeunte sacculo, vobiscum communicavimus, ea vos ad clerum populumque vestrum perferre ne cunctemini, ut omnes, Hieronymo duce ac patrono, non modo catholicam de divina Scripturarum inspiratione doctrinam retineant ac tueantur, sed etiam principiis studiosissime inhaereant, quae Litteris Encyclicis " Providentissimus Deus „ et hisce Nostris praescripta sunt. Universis interea Ecclesiae filiis optamus, ut, sacrarum Litterarum dulcedine perfusi et roborati, supereminentem Iesu Christi scientiam assequantur: cujus auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, cunctoque clero et populo vobis concredito, apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XV mensis Septembris anno MDCCCCXX, Pontificatus Nostri septimo.

BENEDICTUS PP. XV

ANALECTA ASCETICA ET MYSTICA.

Quae in praecedentibus theoretice proposita sunt monita atque consilia de pio sacrae scientiae studio et speciatim de lectione, invenimus practice ac facto expressa, non absque jucundo profectus spiritualis fructu legenda, in vita viri non tantum doctrinae eximiae sed et sanctitatis laude celebris, utpote quem et sodales ejus et alii beatum et sanctum nominant, nempe Henrici de Vrimaria seu Frimaria, quod est oppidulum in Thuringia. Renuntiatus est Doctor in universitate Parisiensi, in qua et cathedram obtinuit et per plures annos docuit; postea in patria, praecipue in studio Pragensi claruit. Plura edidit opera. Floruit autem saeculo XIV°, ante medium; de anno vero mortis ejus non conveniunt, quae accidit ante finem anni 1357, post vero annum 1353; quae quidem omnia videre est in ejus Vita, e qua desumimus infra recitata, nempe *Vita B. P. Henrici de Vrimaria, S. Theol. Doctoris extatici, Ord. FF. Eremitarum S. Augustini, ex diversis, opera ac studio R. P. Cornelii Dielman, ejusdem Ord. Iubilarii Gandensis (1).*

En jam quaedam praeclara documenta ex illa Vita excerpta:

« Quae orationibus, aut humanae vitae necessitatibus horae supererant, nullo apud eum ocio terebantur; sed eas omnes is impendebat continuo volutationi librorum. Nihil enim ei antiquius, quam dicto et facto contra *ocium matrem nugarum, noyercam virtutum, universaeque malitiae radicem*, dimicare: hoc publicis agebat concionibus, hoc privatis exequebatur colloquiis.

Cujuslibet etiam exigui temporis jacturam ita magnifaciebat, ut cum nihil in eo unquam a mentis vel corporis labore vacaret, ipsas quoque temporis partes, somno vitaeque alimento sumendo necessarias, velut sibi ociosas, surripere sit conatus; priorem, ad paucarum tantum horarum somni spatium; posteriorem, ad quotidianum fere jejunium contrahens.

(1) Quae quidem Vita praeponitur operi, cui titulus: *De spiritibus eorumque discretione libri duo. Prior B. Henrici a Vrimaria* [De quatuor instinctibus]. *Posterior Ven. Henrici ab Hassia, dicti de Langhensteyn* [De discretione spirituum] etc. Antverpiae, 1652.

Frequens ei in ore illud Senecae erat (lib. 9 *epist.*) : *quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt.* Eripi autem ac veluti vi quadam iis auferri asserebat, qui licet omne tempus avare colligant ac servent, ab eis tamen somnus, cibus ac potus nonnihil quasi violenter extorqueant; illis vero subduci et clam quasi insidiose surripi, qui id sibiipsis vel ab amicorum colloquiis, vel ab inutilibus rapi patiuntur operibus; ipsis tandem effluere, quibus cum ocio ignaviaque torpeant, omne tempus absque fructu elabitur. Hocce tamen inter praefatas temporis jacturas statuebat discriminis, quod primam, quae naturae necessariis eripitur operibus, quodammodo venialem astrueret; secundam vero, qua qui inutiles sibi occupationes atque sollicitudines accersit, ita esse culpabilem, ut et bonis melioribusque negotiis tempus surripiat, ac vitam magna labore, nulloque fructu consumat; tertiam denique, qua quammulto vel ocio, vel inertia marcescunt, vel quod deplorandum magis, totam vitae periodum in flagitiis sceleribusque transigunt, turpissimam esse. Cum enim hi nullum tempori pretium ponant, diemque nihili aestiment : sed ventri somnoque dediti, improbe ac sine pietate vivant, omne illis tempus, quo nullus sumptus est pretiosior, turpissime elabitur. Quis horum vivendi tempus, vitam existimet? Turpitudinis potius quam vitae cursum appellaveris, cui nihil vitae in morte supersit.

Henricus noster cum tempus ab omni vel levi jactura vindicare veliet, omnes sic horas complectebatur, ut nullam perire, nullam elabi, nullam sibi subduci pateretur. Quod si aliquas sibi vel a somno, vel calefactione eripi necessitas ipsa compulisset, has veluti deperditas lugebat, nisi illas divinae charitatis auro prius inaurasset, adeoque meritorias, Deoque gratas et acceptas reddidisset. Quamobrem somnum, cibi et potus sumptionem, aliaque opera naturalia, et ad vitae sustentationem necessaria, actuali vel virtuali intentione in Deum ipsum referebat.

Quantae vero accurationis fuerit in suis lucubrationibus dignosci potest ex eo, quod faciebat in alienis. Quippe nullum unquam legebat librum, in quo si quem, scribarum forsan incuria, errorem animadvertisset, non diligenter

corrigeret; si quid memoria dignum, non in margine annotaret; si quid distinctione aut declaratione dignum glossis quibusdam non declararet, aut distingueret. Mirum videbatur hisce, qui profundiorem litterarum dulcedinem non ita gustaverant, quî fieri posset, ut is firmo validoque corpore atque indefesso semper animo tot subiret lectitando ac studendo labores. Nae *B. Jordanus a Saxonia* (lib. 2 *Vitasfrat.*, c. 22) fatetur sese ex illius ore saepius audivisse, nunquam se studiis fuisse defatigatum, aut ullo capitis, dorsi, humerorum, vel aliorum quorumcunque dolore membrorum adfectum. Imo ipsum jam septuagenarium in Theologiae palaestram, quasi sitientem, et scientiarum (quarum nulla est satietas) avidum tanto docendi discendique desiderio descendisse, ut sacras Scripturas, antiquos Patres, Scholasticosque Doctores pene nunquam cessaret

Nocturna versare manu, versare diurna.

Quippe perdius et pernox ita incumbebat libris, ut vix Lector quispiam recens reperiretur promotus, qui tam pertinacem studiis, Scholasticisque exercitiis laborem impenderet, atque *Henricus*. Quamobrem cum semel illi quibus major cum eo intercedebat consuetudo, comiter ei dixissent: *Reverende Pater Magister, ita studes in Germania, ac si Lutetiae Parisiorum nunquam studuisses; si Lutetiae sat studuisses, haud opus esset hic tam continuis te studiis macerare;* sapienter illud Solonis respondit: *Etsi alterum pedem haberem in sepulchro, adhuc discere vellem.* Et illud ejusdem: *Senesco semper plurima discens: et mihi quidem videtur, semper sic oportere aliquid discere eum hominem, qui Philosophus futurus sit, sive junior, sive senior sit, ut in vita quam plurima discat.* (Apud Platonem, *dialogo de Philosophia*, lib. 2). Veram autem sapientiam non tam diligenti studii acquisivit conamine, quam humili devotaque oratione cui semper potiores temporis tribuit partes, non ignarus spiritum hac detersum calefactumque scientiarum arcana et citius capere et clarius faciliusque penetrare.

Et quidem tantum negotii *Henricus* in ocio ponebat litterarum, exploratum habens, ut ab aere rubigo lima, sic scientiarum exercitatione inertiam ab animo amoliri; ut corpus escis, ita mentem litteris ali; et Regium Vatem psallere: *Meditabor in justificationibus tuis semper.* Si assiduis orationum jaculis sive animo, sive etiam voce ictis, feriat Religiosus coelorum arces, habet sane officia, quibus quotidie, quibus semper exercetur; sin autem, quid faciet? feriatus, iis saepe animum implicat, quae nihil ad religiosum. Laudo opera Religiosorum, sed quae Religiosos decent et ea in primis quibus animus excolitur. Si quando Monachum solitudinis taedet, habet domi, penes se habet, quibuscum ineat sodalitatem; excitet libros, cum eis sedeat: et plus eos sub silentio loquentes audiet, quam mille homines in foro garientes atque vociferantes. Varia hic habet colloquia, et mutabilia ad nutum. Si quis fastidio esse coeperit, illico absque injuria dimittetur. Nulla hic odia, nullae irae, dicacitas nulla. Assentimur, argumentamur, negamus, ad libitum; hunc ponimus, illum tollimus; probamus hos, illos minime: quis conqueritur? Nulla hac societate tutior; nulla, si sapimus, delectabilior. Congredimur hac via cum Regibus ac nobilissimis viris absque cunctatione, aut internuncio; Summos adimus Pontifices absque secretis Cubiculariis; sanctissimos pariter atque eruditissimos de rebus maxime arcanis, quas natura complectitur vel veneratur, statim alloquimur, et quid ii sentiant aperta fusaque oratione percipimus. Percepit et gustavit abunde *Henricus* consuetudinem hanc, at satiatus est nunquam. Verum de litterarum ejus studio, haec sufficerint.

10. Ad sanctius ipsius studium, orationem transeo, qua animam virtutibus impinguavit, Deoque tanta cura ac sedulitate conjunxit, ut nunquam ab ea recedere videretur, sed animo semper in Deum suspensus, cunctis appareret extaticus. Ne minimam quidem temporis particulam naturae, obedientiae, charitatisque operibus necessariam, absque ea elabi permisit. Haec diu noctuque individua ei comes erat. Non loca, non tempora, ad orandum praestolabatur idonea; quilibet ei locus oratorium erat; in

cubiculo, in claustris, per urbem, in ipso itinere, nunquam ab orationibus desistebat. Continuus quippe et sedulus animae in Deum ascensus, jugisque mentis recollectio, quaevis loca et tempora orationi apta reddebat, ad puras ad Deum manus levandas. Siquidem tam recollecto per vias incedebat animo, ut credi posset Novitius jam primum in Ordinem admissus, semperque fere in silentio, nisi B. Mariae Virginis horas recitaret, vel de rebus spiritualibus conferret. Quippe nunquam os ejus benedictum a colloquiis divinis, et precibus cessabat. *Quando orabat, Deo loquebatur ; quando litterarum studio intendebat Deus ipsi loquebatur ; quando consilium alicui vel doctrinam impendebat, de Deo propter Deum loquebatur ;* ut merito ei illud S. Paulini Nolani Praesulis ad S. Augustinum, accomodaveris : *Os tuum fistulam aquae viventis dixerim.* (Epist. 31). » Etc.

RESPONSA

ad quaestiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I.

Duo systemata justificationis de quibus apud s. Paulum.

Q. *Interpretare Philip., III, 9* (1).

R. Hoc loco ep. ad Philip. brevi formula reperimus, mutuo opposita duo illa systemata justificationis de quibus tam frequenter in omnibus epistolis suis et signanter quam fuse in epistolis ad Gal. et ad Rom. agit s. Paulus. Unum est ipsius Pauli, et vocatur justificationis per fidem, alterum a Paulo tribuitur adversariis ipsius, Judaeis npe et Judaizantibus, et vocatur justificationis per legem.

Breviter utrumque systema exponamus, habita ratione reliquae doctrinae s. Pauli cum hac quaestione connexae (2).

I. **Systema justificationis ab ipso Paulo propugnatum.**

Ad quaestionem illam summi momenti quanam via homo ad justitiam coram Deo et sic tandem ad salutem pervenire possit, responsum a s. Paulo praestitum ad haec duo capita reduci potest (3):

1° *Non ipse homo est* qui viribus suis propriis justum se facit, sed Deus est qui dono gratuito et ex mera bonitate justitiam illam ipsi confert. — Et revera:

---

(1) *Omnia reliqua abjeci ut Christum lucrifaciam, " et inveniar in illo non habens meam justitiam quae ex lege est, sed illam, quae ex fide est Christi Jesu : quae ex Deo est justitia in fide „.*

(2) Cfr. Tobac, *Le problème de la justification dans saint Paul*, Lovanii, 1908. — Prat, *La théologie de saint Paul*, t. I, pp. 228 ss. ; t. II, pp. 335 ss.. — Lagrange, *Saint Paul, Epître aux Romains*, Paris, 1916.

(3) Animadvertes s. Paulum etiam in hac doctrina speciali applicare principium illud generale quod enuntiat in ep. I ad Cor., xv, 10 : " *Non ego* autem, sed *gratia Dei-mecum* „.

a) Consequenter ad peccatum inobedientiae, ab Adamo, capite generis humani, commissum, non ipse tantum Adam, sed omnes homines, eo ipso quod naturali generatione ab ipso originem ducunt, vero et proprio sensu « peccatores constituti sunt », « inimici » Deo effecti sunt (1). — Jamvero, nedum homo lapsus, ex propriis et naturalibus viribus suis exire valeat de illo statu peccati originalis, contra, consequenter ad idem peccatum, ita subjacet concupiscentiae pravae ut, nisi speciali auxilio Dei adjuvetur, ipsi moraliter impossibile sit eidem concupiscentiae resistere seu peccata actualia, peccato originali supervenientia, vitare (2).

b) Praeterea ipsa illa justitia quae a s. Paulo tamquam necessaria ad salutem proponitur, tali modò describitur ut manifeste sit indolis supernaturalis (3); adeoque iterum laborat homo, si suis viribus relinquitur, impotentia — eaque physica — justitiam illam adipiscendi.

Quapropter munus Dei in universo negotio justificationis minime restringitur ad hoc quod ipse *agnoscat* justitiam quam homo ex seipso sibi acquisivisset, sed ipse Deus est *auctor* illius justitiae: Deus est qui hominem *justum facit* (4), sicut etiam Deus est qui homini praestat unde nova peccata actualia devitet et sic justitiam conservet.

Unde intelligitur dictum Pauli h. l. ep. ad Philip.: Justitia **quae ex Deo est.**

2° Ast non cuilibet Deus illo dono gratuito largitur justitiam illam supernaturalem; neque cuilibet confert auxilium illud speciale necessarium ad vitanda peccata actualia, sed *solis credentibus in Christum*. Medium enim quo utitur Deus ad justificandum hominem est Evangelium,

(1) Lege cap. v ep. ad Rom.

(2) Lege cap. vii ep. ad Rom.

(3) Describitur enim tamquam donum aliquod divinum et internum, quo homo vivit vita nova et spirituali, quo est nova creatura, quo est filius Dei adoptivus; — existit in homine tamquam principium actuum supernaturalium, producitque in eo omnigenas virtutes, fructus suos; — hominem facit heredem Dei et gloriae coelestis quoad animam; imo quoad ipsum corpus existit germen resurrectionis futurae gloriosae.

(4) Et videtur indubium vocabulum δικαιοῦν, sub calamo Pauli, frequentius saltem hoc sensu: *justum facere* intelligi. Cfr. Lagrange, *Epître aux Romains*, pp. 122 ss.

utique ab homine admissum, adeoque fides (1); partes hominis in negotio justificationis non sunt mere passivae: justitiam illam supernaturalem non mere accipere, sed sumere sibi debet, sumitque sibi credendo in Christum (2). — Qui enim credit in Christum, Christo inscritur, membrum fit illius corporis mystici cujus Christus est caput, et a Christo capite accipit justitiam illam supernaturalem de qua supra, sicut etiam accipit quidquid ipsi necessarium est ad resistendum concupiscentiae. Unde intelligitur dictum Pauli cupientis « **inveniri in Christo** ».

Quod autem *notionem hujus fidei* spectat, putamus fide ista qua juxta Apostolum obtinetur justitia et salus, intelligendam esse fidem christianam sensu integrali et perfecto, seu eam in eo esse quod homo fiat christianus, Christi discipulus, Christo se tradat in servum et sequacem. Complectitur nempe fides christiana elementum intellectuale, quatenus homo speculative adhaereat doctrinis a Christo propositis; complectitur humilem agnitionem nostrae impotentiae propriae et fiduciam in Deum ejusque bonitatem et misericordiam; complectitur voluntatem vitandi peccatum, implendi legem Christi, est talis fides quae sit operosa per caritatem; nam homo perfecto sensu Christi discipulus non est, nec per Christum justitiam et salutem a Deo obtinebit nisi ista omnia paratus sit praestare et de facto praestet (3).

II. **Systema justificationis a Paulo impugnatum.**

Acriter impugnat Paulus systema aliquod justificationis,

(1) Rom., I, 16 s.

(2) Ne inde reputes jam destrui *gratuitatem* justificationis nostrae. Ipsa enim illa fides nostra a s. Paulo ita describitur ut etiam ipsa donum sit Dei gratuitum : homo non credit nisi quia a Deo praedestinatus fuit et vocatus ad istam fidem.

(3) Optima haec legitur descriptio fidei apud Vigouroux-Bacuez-Brassac, *Manuel biblique* (éd. 13), t. IV, n. 1070 : " La foi dont parle l'Apôtre n'est pas une simple idée, une croyance spéculative ; c'est une foi agissante qui commande à la volonté, qui domine l'âme entière, exerce sur la conduite une influence souveraine, se manifeste par des actes de charité, par la pratique des commandements et de toute la loi chrétienne. En d'autres termes, c'est un acte vivant d'adhésion de tout l'être à J.-C. „ — Eodem modo describenda esset fides illa qua sub Vetere Testamento homines, puta Abraham, ad justitiam pervenerunt : est adhaesio totius hominis ad Deum.

quod adversariis suis, signanter Judaeis et Judaizantibus tribuit, et quod ad haec duo capita reduci potest:

1° *Ipse homo esset* qui suis viribus propriis justum se faceret, quatenus ipse propriis suis viribus, absque speciali Dei auxilio, adimpleret omnem Dei voluntatem lege divina expressam: agnosceret Deum, crederet quaecumque credenda, faceret quaecumque facienda, vitaret quaecumque vitanda; sed haec omnia praestaret viribus suis propriis. Justitia quam sic viribus meis ego ipse mihi peperissem merito vocarem, ut dicit Paulus, aliquam (1) justitiam **meam,** esset justitia de qua ego gloriari possem coram Deo judice (2); et in hac hypothesi, si verificaretur, munus Dei restringeretur ad hoc ut justitiam hominis *agnosceret,* non autem conferret: non esset justitia haec ex Deo, sed ex homine.

Utrum adversarii Pauli hanc theoriam explicite docuerint non liquet; ast nil refert: juremerito Paulus et logice eam ipsis adscribit. Manifeste enim Paulus *unam* tantum justitiam novit, justitiam illam quam supra descripsimus, et quae unice datur a Deo illis qui credunt in Christum. Jamvero hanc fidem plane rejiciunt Judaei; hanc fidem, quamvis nomine Christiani, facto destruunt Judaizantes, utpote qui juxta Christianismum, pergunt retinere Mosaismum, sive integrum sive partialem, quasi non fuisset a Christo abrogatus. Sic ergo se separant a Christo, jam non sunt membra corporis mystici Christi proindeque jam non ex Christo capite hauriunt justitiam et auxilium supernaturale (3). Unde vere, aequivalenter saltem, se ponunt quasi ipsi possent suis propriis et naturalibus viribus aliquam justitiam sibi acquirere coram Deo.

Nota. Eodem sensu Paulus alibi justitiam hanc vocat justitiam *ex operibus* (4), utpote quam homo viribus suis propriis operando sibi acquireret (5).

---

(1) Graece enim deest articulus.

(2) Cfr. Rom., IV, 2.

(3) Cfr. Gal., IV, 30 s.; V, 4.

(4) Tit., III, 5, etc.

(5) Hinc intelliges quid respondisset Paulus quaerenti: " Sed nonne etiam illa justitia quam credendo in Christum mihi acquiro, nonne etiam illa dici debet: ex operibus meis? Etenim etiam illud credere

2° Quia autem illa voluntas Dei quam adimplendo homo vellet justus fieri et ut justus apparere coram Deo, expressa jacebat in lege Dei, signanter pro concretis Pauli adversariis, in lege mosaica, — ideo haec justitia a Paulo vocatur: justitia **quae ex lege est.** — Tali justitiae, quae esset justitia hominis, Paulus nullam realitatem nullamque possibilitatem agnoscit: nullam realitatem; *una* enim pro Paulo est, ea justitia divina quam ipse tuetur, quam qui non habet adhuc sub peccato est; — nullam quoque possibilitatem; etenim nonnisi credentibus in Christum et hac fide justificatis datur auxilium istud divinum sine quo impossibile est homini servare legem divinam vitareque peccata actualia.

Quapropter laetabundus proclamat Paulus h. l. ep. ad Philip. se valedixisse mosaismo omnibusque praerogativis suis judaicis, ut inveniretur habens non talem justitiam vanam et impossibilem, aliquam justitiam hominis, ex lege oriundam, sed justitiam illam solam veram quae a Deo communicatur credentibus in Christum.

A. Vander Heeren.

II.

De mundo creato cum tempore, juxta revelationem.

Q. Proba ex revelatione mundum non fuisse creatum ab aeterno.

R. Argumentum ex revelatione, sive argumentum proprie theologicum desumitur *ex sacra Scriptura* et *Traditione*, quae sunt fontes sive loci proprii ac primarii revelationis.

---

est sane *opus meum* „. — Respondisset: Sane ego sum qui credo in Christum, ego qui me totum trado Christo, et hac via ad justitiam pertingo; sed haec omnia quae sub vocabulo *credere* comprehenduntur, non possum praestare *meis viribus*, propriis et naturalibus, sed tantummodo per auxilium gratiae divinae: non solus ego sum qui credo, sed gratia Dei mecum. Contra Judaei et Judaizantes et quotquot a Christo, solo fonte gratiae, se separant, suis viribus tantum, suis, pleno sensu *suis* operibus, justitiam acquirere vellent.

Atqui, tum ex sacris Litteris, seu ex verbo Dei scripto, quum ex testimonio Patrum, quorum consensus unanimis in aliquam doctrinam ut revelatam praebet argumentum certum divinae Traditionis, invicte constat mundum fuisse creatum cum tempore; hanc propositionem igitur magisterium ecclesiasticum merito definivit.

I. — **Ex sacra Scriptura.** — Primum argumentum scripturisticum depromitur rursus ex Gen., I, 1: « *In principio* Deus creavit coelum et terram »; in hoc testimonio, uti pronuntiat s. Thomas, « novitas mundi traditur » (1).

Et revera « in principio » ponitur absolute, uti in praecedenti responsione jam animadvertimus, adeoque *significat initium aliquod absolute sumptum, ita ut antea nihil fuerit* earum omnium rerum, quarum productio ex non ente, in eodem versiculo, describitur, et quarum ulterior ordinatio et expolitio, indicato nunc singula vice distincto temporis spatio, in versiculis sequentibus delineatur (2).

Nemo non videt quemadmodum hac ratione, in capite totius Scripturae sacrae, clare doceatur *mundum* non semper fuisse, sed *aliquando incepisse*, quod alioquin denuo signatim proponitur in Gen., II, 4: « Istae sunt generationes coeli et terrae, *quando creata sunt, in die quo* fecit Dominus Deus coelum et terram ».

Hoc initium respexerit Psalmista, quando scripsit: « *Initio* tu Domine terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli » (3); ita pariter Christus, quando discipulos suos de ultima desolatione monuit: « Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit *ab initio mundi* » (4). Inde tandem intelligitur oratio Domini, qui ut Verbum Dei « erat in principio apud Deum », quando Patrem suum rogavit: « Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum,

---

(1) *Sum. Theol.*, I, q. 46, a. 2, *sed contra*.

(2) Cf. ILL. AC REV. WAFFELAERT, *Medit. Theol.*, apud *Coll. Brug.*, VIII, p. 462 s. et responsum de antiquitate mundi, *Coll. Brug.*, XIX, p. 165.

(3) *Ps.* CI, 26; vide adhuc *Ps.* LXXXIX, 2.

(4) *Matth.*, XXIV, 21 coll. *Mc.*, XIII, 19; cf. etiam *Matth.*, XIX, 4 et 8.

claritate, quam habui *prius, quam mundus esset,* apud te » (1).

II. — **Ex Traditione.** — Eadem veritas, mundum scilicet non fuisse creatum ab aeterno, primum innuitur in testimoniis quorumdam Patrum, qui contra Platonem, juxta quem materia fuerit ingenita et aeterna, hanc materiam creatam fuisse profitentur (2).

Deinde haud pauci Patres declarant *aeternitatem esse proprietatem solius Dei* (3), et praesertim adversus Arianos, qui Filium Dei creatum fuisse cum tempore volebant, hac ratione arguunt. Adversus istos haereticos itaque generationem aeternam Verbi, simul ac divinitatem ipsius, disertis verbis propugnant, sed saepius in eodem contextu *mundum non semper fuisse* explicite affirmant.

Sic puta s. Athanasius: « Ne autem, vel levem invenientes rationem, sileamus, audiant illi res factas aeternas esse non potuisse,.... *nec erant antequam fierent* » (4). Ita rursus s. Cyrillus, episcopus alexandrinus: « Si quidquid creatum est, ex nihilo ad esse translatum est, Christus vero, cum sit sapientia ac potentia Dei et Patris, si creatae naturae est, ut quidam volunt, necessarium fuerit fateri Deum aliquando sapientia et potentia caruisse, successu vero temporis id factum fuisse, Filio nimirum ad esse producto. Talis enim est creatorum natura... Quomodo

---

(1) *Jo.*, XVII, 5; lege pariter quae de Sapientia dicuntur apud *Prov.*, VIII, 22 s. vel *Eccli.*, XXIV, 5, 14 et quae Apostolus de Verbo Dei scribit in *Coloss.*, I, 16 s., coll. *Ephes.*, I, 4 et *Hebr.*, I, 6.

(2) Ita TATIANUS, *Adv. graecos oratio*, cap. 5 (*Patrol. Graeca*, VI, 817); videsis etiam *Cohort. ad graecos*, cap. 23 (PG., VI, 284), quae diu fuit attributa s. Justino. — Eadem ratione arguunt s. THEOPHILUS ANTIOCH., *Ad Autolycum*, II, 4 (PG., VI, 1052) et s. AMBROSIUS, *Hexaemeron*, II, I, 2 (*Patr. lat.*, XIV, 145).

(3) S. IRENAEUS, *Adv. haer.*, II, XXXIV, 2 et 3 (PG., VII, 835 s.); TERTULLIANUS, *Adv. Hermog.*, 4 et 17 (PL., II, 201, 212): cf. adhuc opus sub nomine s. HIPPOLYTI, *Philosophumena*, X, 32 (PG., XVI, 3, 3446); s. METHODIUS, *De lib. arbitr.*, II, 9 (PG., XVIII, 244); s. AMBROSIUS, *o. c.*, I, XV, 19 (PL., XIV, 131); s. AUGUSTINUS, *De Genesi ad litt. liber imperf.*, cap. 1 (PL., XXXIV. 221) et *De Civ. Dei*, XII, 17 (PL., XLI, 365); s. FULGENTIUS, *De fide, ad Petrum*, III, 25 (PL., LXV, 683).

(4) S. ATHANASIUS, *Adv. Arianos oratio* I, 29 coll. III, 61 (PG., XXVI, 72 et 452).

igitur creaturis annumerabitur (Filius), qui natura sua est Deus?.... Et si per ipsum fecit saecula, certe non erit creatus qui existit ante saecula; siquidem *nulla creatura ante saecula existit, sed in tempore* creata est » (1).

Jure ergo pronuntiat Origenes: « Est praeterea et illud in ecclesiastica praedicatione, quod *mundus* iste factus sit et *a certo tempore coeperit* » (2).

Attamen apertius adhuc hanc eamdem veritatem docent ss. Patres, ubi ipsum versiculum primum Geneseos interpretantur (3).

Ita v. g. s. Epiphanius: « Illud evidenter sermo Dei declarat.... (et) est immutabilis et certa illa sententia: ante coelum et terram nihil omnino conditarum rerum exstitisse, quoniam in principio creavit Deus coelum et terram, ut illud sit creandi *principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit* » (4).

Similiter loquitur s. Cyrillus modo laudatus: « In principio, ait (Moyses), creavit Deus coelum et terram. Non igitur, sicut quidam (opinati sunt), sinit intellegi materiam simul cum Deo absque principio, et aeternam et increatam esse.... sed *per tempus* et in principio » (5).

Distinctius tandem s. Augustinus: « Si litterae sacrae maximeque veraces ita dicunt, in principio fecisse Deum coelum et terram, ut nihil antea fecisse intellegatur, quia

---

(1) S. Cyrillus, *Thesaurus de sancta et consubst. Trinitate*, 32 (PG., LXXV, 484, 492).

(2) Origenes, *De Principiis*, I, Praef., 7 (PG., XI, 119).

(3) Alii quidam ss. Patres, ita v. g. s. Theoph. Antioch., *o. c.*, II, 10 (PG., VI, 1064) et s. Athanasius, *Oratio de Incarn. Verbi*, 2 PG., XXV, 100 audierunt: " in principio „, id est, " in Verbo „; cf. etiam s. Thomas, *Sum. Theol.*, I, q. 46, a. 3, c. — Respicit Jo., I, 1 ipsum initium totius s. Paginae, uti in praec. resp. adnotavimus, et inde haec interpretatio probabilius ortum habuerit.

(4) S. Epiphanius, *Adv. haer. panar.*, LXV, 5 (PG., XLII, 20). — Ex contextu magis adhuc apparet s. auctorem potius inclinari in sententiam, quae audit: " in principio „, id est, " ante omnia „, ut excludatur " corporalia esse creata a Deo mediantibus creaturis spiritualibus „, uti advertit s. Thomas, *Sum. Theol.*, I, q. 46, a. 3, c., qui hanc explicationem rursus proponit in q. 65, a. 3. c.; verum ita minime negatur initium temporale sed potius includitur; cf. etiam Ecclesiae definitio, quam infra transscribimus.

(5) S. Cyrillus, *Contra Julianum imper.*, 2 (PG., LXXVI, 584).

hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cetera cuncta quae fecit; procul dubio non *mundus factus est* in tempore, sed *cum tempore* » (1).

Conclusio. Ex sacra Scriptura igitur simul ac ex Traditione liquido patescit *mundum* non semper fuisse sed *cum tempore creatum esse*, et accurate loquitur s. Augustinus, cujus verba s. Thomas resumit, ubi docet: « Non dicuntur in principio temporis res esse creatae, quasi principium temporis sit creationis mensura » (2), ad modum quo « particulares effectus producuntur.... in loco vel tempore » (3), sed « simul cum tempore coelum et terra creata sunt » (4).

Haec est fides catholica, quam primum definivit Conc. Lateran. IV : « Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus solus est verus Deus, aeternus..... creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium: qui sua omnipotenti virtute *simul ab initio temporis* utramque de nihilo condidit creaturam » (5).

H. Lamiroy.

III-IV.

Q. Explica can. 1077

§ 1. « *Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu ; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive* ».

§ 2. « *Affinitatis impedimentum multiplicatur :*

1° *Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit.*

2°, *Iterato successive matrimonio cum consanguineo conjugis defuncti* ».

---

(1) S. Augustinus, *De Civ. Dei*, xi, 6 (PL., XLI, 321).
(2) *Sum. Theol.*, I, q. 46, a. 3, c.
(3) *Quaest. Quodlib.*, V, q. 1, a. 1, c.
(4) *Sum. Theol.*, I, q. 46, a. 3, c.
(5) *Conc. Later.* IV, oec. xii (1215), *De Trin.*, cap. 1 (*Enchir. Symb.*, n. 428); eandem formulam pariter definivit *Conc. Vatic.*, oec. xx (1869-70), sess. iii, *Const. dogm. de fide cath.*, cap. 1 (*Enchir.*, n. 1783).

Praenotanda. Ut can. 1077 rite intelligamus oportet prius explicare :

I. *quid sit affinitas*,

II. *quomodo computanda veniat*.

I. — Sub nova disciplina canonica, *affinitas* est propinquitas, quae a) fundatur in *matrimonio valido* et *rato* et b) viget inter unam *personam conjugatam* et *consanguineos* compartis.

Etenim. A. — juxta can. 97 § 1 : « Affinitas oritur ex matrimonio valido sive rato tantum, sive rato et consummato ».

Explicatur : 1. Fundamentum affinitatis, sub novo jure, est solum *matrimonium*. Itaque maxima datur in hac materia mutatio disciplinae : a) Sub antiqua enim œconomia fundamentum affinitatis erat copula. Inde b) cum copula possit esse matrimonialis vel extramatrimonialis, distinguebatur inter affinitatem legitimam et illegitimam. Haec distinctio olim magni momenti erat (1); sub praesenti vero disciplina, jam nulla est ratio ut retineatur. Igitur, fundamenti causa, non amplius distinguitur inter affinitatem legitimam et illegitimam (2).

2. Fundamentum affinitatis reponitur in matrimonio *valido*. Inde sequitur : a) distingui hoc vinculum a publica honestate quae, sub novo jure, ex matrimonio *invalido* contrahitur ; b) sequitur adhuc, tolli *affinitatem supervenientem*, quae olim contrahebatur a viro uxorato, copulam instituente cum consanguinea compartis. Propter novum enim affinitatis conceptum, ut contraheret quis affinitatem supervenientem, postularetur ut novum et validum matrimonium superveniret priori matrimonio perseveranti ; quod fieri nequit.

---

(1) Affinitas illegitima, ratione fundamenti, ad forum internum spectabat et ad 2^{m} tantum gradum lineae obliquae extendebatur. Legitima vero affinitas, eadem ratione, ad forum externum pertinebat et ad 4^{m} lineae collateralis gradum pertingebat.

(2) Quamvis, sub nova disciplina, de illegitime affinibus quaestio non amplius moveatur, tamen erronee putaret quis jam non dari affines qui sint illegitime *nati*. Ecclesia enim, olim ut distingueret inter affines legitimos et illegitimos, non inquirebat num affines *nati* fuerint legitime seu ex matrimonio sed, inspecto ipsius affinitatis fundamento, inquirebat utrum copula, qua constituebantur affines, matrimonialis fuerit.

3. Fundamentum affinitatis est matrimonium validum, *sive ratum tantum sive ratum et consummatum*. Requiritur ergo et sufficit ut matrimonium, ex quo oritur affinitas, ratum sit. Bene nota unice ratum esse matrimonium *baptizatorum* validum (1). Itaque, non oritur affinitas ex matrimonio legitimo, inter non baptizatos valide celebrato (2), nec, practice saltem, ex matrimonio valido inter baptizatum et infidelem (3), dummodo haec pars absque baptismo remaneat. Si autem postea tale matrimonium, ratione baptismi utriusque partis, certo fit ratum : tunc tantum *incipit* contrahi affinitas qualis ab Ecclesia determinatur, ita ut nunquam postea ex eo affinitas oriri potuisset si pars aliqua, ante compartis baptisma mortua esset. In tali casu viduus infidelis, qui post mortem compartis catholice baptizatur, potest absque dispensatione novas nuptias inire cum sorore, imo cum matre catholica, defunctae uxoris.

B. — Juxta can. 97 § 2, affinitas « viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos ».

Explicatur : 1. Affinitatis vinculum existit inter *solum* virum et consanguineos uxoris, itemque inter *solam* mulierem et viri consanguineos. Itaque non existit affinitas inter consanguineos viri et consanguineos uxoris ejus. Sic, mater quaedam non est affinis cum socero (schoonvader) filiae suae, nec cum fratre generi sui (schoonzoon), neque frater mariti est affinis cum hujus uxoris sorore. Duo fratres igitur ducere possunt duas sorores et, si viduus ducit viduam, illius filius ducere potest hujus

(1) Cf. can. 1015 § 1.

(2) Cf. can. 1015 § 3.

(3) Matrimonium cum dispensatione celebratum inter partem fidelem et infidelem, licet non sit sacramentum, inducit nihilominus vinculum ratum seu firmum. Attamen, in can. 1015, matrimonium ratum dicitur, sine ulla restrictione, matrimonium *baptizatorum*. Dubitari itaque potest num matrimonium inter hujusmodi personas celebratum adhuc ratum sit dicendum et, consequenter, num utriusque partis baptisma non requiratur ut ex eorum nuptiis impedimentum affinitatis exsurgat. Dicendum est impedimentum, in hoc casu, evadere dubium, dubio juris idque proinde non esse attendendum, cum in dubio juris Ecclesia non urgeat suas leges, etiam si sint irritantes (can. 15).

filiam, imo, si viduus pater ducit viduae filiam, vidui filius ducere potest viduam matrem.

2) Affinis est pars conjugata cum omnibus et *solis* consanguineis compartis.

Dicitur a) cum *omnibus* consanguineis compartis, i. e. cum consanguineis utriusque sexus (1), sive sint perfecte sive imperfecte, legitime vel illegitime consanguinei, baptizati vel infideles.

Itaque α) uxor quaedam est affinis etiam cum consanguineis adulterinis vel naturalibus non legitimatis sui mariti, v. g. cum ejus patre naturali et filio adulterino; cum fratre ejus consanguineo vel uterino (halve broeder van vaderlijke of moederlijke zijde); cum consobrino ejus germano, patruo aut avunculo (oom van vaders- of van moederszijde), ab avo mariti ex adulterio descendente, etc.

β) Affinitatis vinculum (non dico impedimentum) sese extendit quousque sese extendit consanguinitas, h. e. usque ad 3^{m} gradum in linea collaterali, in linea vero recta in indefinitum (2). *Impedimenti* vero ambitus infra determinabitur.

Dicitur b) cum *solis* consanguineis compartis. Itaque, uxor quaedam non est affinis cum affinibus mariti sui, puta cum vitrico (stiefvader), vel sororio (zustersman) illius, juxta adagium bene notum: affinitas non parit affinitatem.

II. — Quod attinet *modum computandi*, haec habet can. 97 § 3 : « Ita computatur (affinitas) ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa ».

Explicatur: Cum affinitas non existat nisi inter personam conjugatam et consanguineos compartis, tunc tantum obstabit matrimonio contrahendo quando persona quaedam, cujus dissolutum est matrimonium, novas nuptias cum con-

(1) In exemplis allatis semper fuit quaestio de affinibus diversi sexus et ita factum est ex industria, quia in sequentibus considerabimus affinitatem unice pro sua relatione quam habet ad matrimonium.

(2) In hoc differt consanguinitas ab affinitate: ambitus enim consanguinitatis coram Ecclesia practice determinatur ab ipsius impedimenti limitibus.

sanguineo compartis (1) contrahere cupit. Sequenti igitur modo circa affinitatem indagandum est: Consideretur pars quae *iterum* nuptias inire intendit (v. g. viduus quidam), et examinetur qua linea et gradu defuncta istius vidui uxor fuerit consanguinea cum futura conjuge: eadem linea et gradu (2) vir iste est affinis futurae suae comparti.

Hisce praenotatis, quod attinet quaestionem,

I. Explica can. 1077 § 1: « *Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive* ».

R. 1. Secundum novam hanc disciplinam, vir in linea recta est obnoxius impedimento affinitatis respectu privignae (stiefdochter) suae, necnon respectu prolis ex ea natae, et ita proceditur in indefinitum. Item, respectu socri (schoonmoeder) suae, et omnium ascendentium ejus. In linea vero obliqua, affinis est vir respectu sororis et consobrinae germanae uxoris suae; in linea vero inaequali, respectu amitae (moei van vaderszijde), materterae (moei van moederszijde) et neptis uxoris suae, et non ultra.

2. Quodsi rogaret quis quonam jure affinitas constituat impedimentum : id solo jure ecclesiastico induci respondendum censemus.

Nostris diebus, de sola linea recta movetur quaestio, cum in propatulo sit in nullo gradu lineae obliquae dari impedimentum juris naturae, siquidem in omni gradu *soleat* Ecclesia dispensare. Nec ullum remanet dubium circa propinquitatem surgentem ex copula extramatrimoniali vigentemque inter virum et consanguineos quosvis per-

(1) Sive haec compars sit defuncta sive, dissoluto matrimonio non consummato, a vinculo liberata existat.

(2) Regula computandi consanguinitatis gradum sequenti can. 96 determinatur: " Consanguinitas computatur per lineas et gradus. In linea recta, tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto. In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae: si duo tractus sint inaequales, tot gradus quot generationes in tractu longiore „. Notemus 1. in his applicari principium: gradus remotior trahit ad se proximiorem et 2. modum hunc computandi differre ab eo, qui in usu est in Ecclesia orientali et in societate civili, apud quas tot gradus computantur quot sunt generationes in *utroque* tractu lineae.

sonae ab ipso cognitae, quia ex hoc capite jam nullum oritur impedimentum.

Quod spectat affinitatem lineae rectae, ortam ex matrimonio sive rato tantum sive rato et consummato: etsi in rei natura detur fundamentum, quo nitatur lex Ecclesiae dirimens, auctores nihilominus communiter agnoscunt deficere rationem tam urgentem ut, in casu, nuptiae irritentur (1). Imo, non est inauditum Ecclesiam in his adjunctis dispensare (2). Caeterum, huic sententiae, uti notat cl. De Smet (3), « gravissima favent argumenta, desumpta imprimis ex decretis C. S. O., 4 Sept. 1743 (4), 26 Aug. 1891 (5) necnon ex tenore indulti 20 Febr. 1888 et can. 1043-1045, in quibus, data facultate dispensandi super omnibus impedimentis *jure ecclesiastico* dirimentibus, *excipitur* affinitas in linea recta ».

Ex his statim eruitur: infideles huic impedimento obnoxios esse ratione subjectionis solius partis fidelis et non aliter. Casus obtinet quando persona aliqua catholica, vidua ex matrimonio rato, vult novas nuptias inire cum infideli, infra determinatos gradus consanguineo defuncti conjugis catholici.

---

(1) Ecclesia non solet dispensare in affinitate lineae rectae; imo, si affinitas lineae rectae oritur ex consummato matrimonio jam nunquam dispensat; hanc tamen affinitatem in can. 1043 inter impedimenta *jure ecclesiastico* dirimentia computat. Concedendum etiam est ex consummatione matrimonii non tantum conjuges sed et ipsos affines arctiore ligari vinculo. Verumtamen, non demonstratur in rei natura dari fundamentum tale et tantum ut matrimonium inter hujusmodi affines ipso jure naturae irritetur.

(2) Cf. *Coll. Brug.*, XVII, p. 674 s., ubi 1° juxta Rigantium citantur duo exempla dispensationis in affinitate vigente inter novercam et privignum; 2° citatur rescriptum 2 dec. 1911, quo conceditur facultas dispensandi inter vitricum et privignam; 3° attestatur factum similis dispensationis viva voce concessae.

(3) De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, II p. 125 s., Brugis, 1920.

(4) " Non esse dubitandum de potestate Pontificis concedendi dispensationem in primo gradu affinitatis in linea recta, etiam ex copula licita, inter vitricum et privignam „. Cui responso concordat consultatio Card. De Lugo, anni 1797, quam refert Gasparri, *Tract. canonicus de Matrimonio*, I, n. 697.

(5) *Collectan.*, n. 1247: " Affinitatem quae in infidelitate naturaliter contrahitur ex copula tum licita, tum illicita non esse impedimentum pro matrimoniis quae in infidelitate ineuntur „.

Notanda. a) Affinitatis impedimentum non secus ac affinitatis vinculum sese extendit ad omnes, qui cum comparte in eodem sanguine communicant, non exceptis illegitime et imperfecte consanguineis, hac tamen restrictione quod *impedimentum* affinitatis sese extendit in linea obliqua ad 2^{m} gradum tantum, *vinculum* autem affinitatis etiam ad 3^{m} gradum pertingit.

b) Affinitas in linea obliqua inaequali excedit limites impedimenti statim ac tractus longior attingit 3^{m} gradum. Itaque, affines lineae collateralis in 3° gradu mixto cum 1° vel 2° non cadunt sub impedimento.

c) Discrepat jus antiquum a disciplina praesenti. Hactenus affinitas legitima extendebatur in linea obliqua ad 4^{m} gradum et solius affinitatis illegitimae ambitus ad 2^{m} gradum coarctabatur. Nunc vero, sublato omni discrimine, impedimentum, in linea collaterali, ad 2^{m} gradum uniformiter reducitur.

Ad alteram quod spectat quaestionem,

II. Explica can. 1077 § 2: « *Affinitatis impedimentum multiplicatur :*

1° *Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit.*

2° *Iterato successive matrimonio cum consanguineo conjugis defuncti* ».

R. 1. Quod attinet priorem multiplicitatis causam:

Ut ex praemissis apparet, toties adest affinitatis impedimentum, quoties consanguinitas in 1° vel 2° gradu multiplicatur (1). Aliquos casus exempli gratia referre juvat: Vir est dupliciter affinis cum sorore suae compartis, quando ambae sorores natae sunt *vel* ex communibus parentibus, qui sunt consanguinei in 1° gradu, *vel* ex eodem patre et ex matribus quae sunt et ipsae ad invicem sorores. Casus etiam obtinet quando v. g. defuncta viri conjux erat simul matertera et amita, vel matertera et neptis ejusdem futurae uxoris. Hoc ultimum exemplum schemate illustramus:

(1) Toties multiplicatur consanguinitas quoties communis inter duas personas stipes multiplicatur (can. 1076 § 2), quod triplici ex capite accidere potest. Cf. De Smet, *o. c.*, II, n. 595-602.



Bertha, vidua Titii, matrimonium contraxit cum Carolo. Fredericus, viduus Elisabeth, est dupliciter affinis (in 2° gradu tangente 1^{m}) cum Sempronia, quacum novas nuptias inire cupit.

2. Alteram multiplicitatis causam quod spectat:

Haec causa toties obtinet quoties mulier quaedam est consanguinea (1) tum prioris tum alterius uxoris ejusdem viri et vice versa. In tali casu, haec mulier ex capite prioris et alterius hujus viri matrimonii, facta est affinis cum illo. Itaque vir, secunda vice uxoratus, est dupliciter affinis respectu mulieris quae est consobrina germana tum compartis viventis tum compartis defunctae.

Attamen, ut haec altera multiplicitatis causa obtineat, non postulatur ut ambae uxores istius viri sint inter se consanguineae. Quod sequenti exemplo patet:



In casu allato, Fredericus, viduus Annae et maritus Berthae, est bis affinis cum Maria, quin Anna et Bertha sint inter se consanguineae (2).

(1) Scil. in linea recta in indefinitum; in linea autem obliqua in 1° aut 2° gradu.

(2) Idem clarius elucet in casu vidui, qui v. g. successive matrimonium iuivit cum amita et matertera ejusdem Titiae quacum novas nuptias inire intendit.

3. Possunt ambae multiplicitatis causae in eodem casu simul adesse. Quod rursus illustramus exemplo :



Fredericus, viduus Annae et maritus Marthae, est quater affinis cum Maria, matertera et amita Annae et Marthae, in 2° gradu tangente 1m.

Nota. Has multiplicitatis causas *limitative* (1) describi censemus. Olim, quadruplici ex capite affinitas multiplicabatur, np. non tantum ob duplicem causam modo allatam, sed etiam: 3° ex eo quod una pars copulam habuerit tum illicitam tum licitam cum consanguinea compartis; quae causa, sublato impedimento affinitatis illicitae, jam non existit. Deinde 4° ex eo quod utraque pars copulam habuerit cum persona alteri parti respective consanguinea, v. g. ex eo quod vir cognoverit sororem futurae compartis haecque futura compars fuerit cognita a fratre viri.

Si haec ultima multiplicitatis causa in novo jure conservata fuisset, casus, spectato novo affinitatis conceptu, obtinuisset quotiescumque v. g. duo fratres respective duxissent duas sorores. In hoc casu, maritus unius constituitur duplici ex capite affinis fratriae (broedersvrouw) suae et sub antiquo jure duplex vigebat inter eos affinitatis impedimentum. Atqui, istius causae multiplicitatis suppressio nata est, in praxi, gignere aliquam difficultatem. Etenim, *simplex* in casu existit impedimentum sed *duplex* datur affinitatis fundamentum. Sed, ratione *diversi* fundamenti, affinitas in *diverso* gradu et linea existere potest. Quod sequenti exemplo elucet :

(1) Censemus scilicet alias causas affinitatis multiplicis non dari, praeter eas, quae in can. 1077 § 2 enumerantur.



Carolum inter et Mariam existit affinitas duplex. Ex parte matrimonii Caroli, constituuntur affines in 1° gradu lineae collateralis aequalis et, ratione matrimonii Mariae, in 2° gradu tangente 1m.

Surgit itaque quaestio practica utrum impedimentum existat inter illos in 1° gradu lineae collateralis aequalis an in 2° gradu mixto cum 1°. Jamvero censemus impedimentum computari, in casu, secundum gradum propinquiorem (1), ita tamen ut tota linea recta consideranda veniat ante lineam obliquam. Igitur, in exemplo allato, datur impedimentum affinitatis simplex in 1° gradu lineae collateralis aequalis.

V. Coucke.

V

De exercitiis devotionis

Q. I. *In acquirenda perfectione christiana, quodnam est munus exercitiorum devotionis ?* II. *Indica praecipuos defectus in hac materia apud « devotos » occurrentes.*

I. Munus exercitiorum devotionis

Ut nomen ipsum indicat, exercitia devotionis, quae et praxes pietatis vocantur, sunt media quibus devotio seu pietas exercetur, id est excitatur, conservatur, augetur. Quaestio autem ponitur quomodo exercitia devotionis formando devotionem conferant ad ipsam perfectionem christianam. Ideo prius explicabimus quid audiatur heic

(1) Itaque, impedimentum affinitatis ex priore matrimonio contractum cessat existere quando ex altero matrimonio exsurgit affinitas in gradu propinquiore.

nomine devotionis, dein quemnam locum haec devotio teneat in opere sanctificationis, demum qua ratione haec devotio exerceatur.

1° QUID EST DEVOTIO ?

1. « Devotio, ait s. Thomas (1), dicitur a devovendo : unde devoti dicuntur qui seipsos quodammodo Deo devovent, ut Ei se totaliter subdant... Unde devotio nihil aliud esse videtur quam *voluntas quaedam prompte tradendi se ad ea quae pertinent ad Dei famulatum* ».

Devotio igitur est in voluntate. Est autem actus voluntatis promptus et fervens ; unde et ipsa promptitudo et fervor voluntatis vocatur devotio. Ex actibus autem hujusmodi repetitis acquiritur habitus devotionis et inde facilitas quaedam ad actus ejus exercendos, quae eo major evadit, quo magis etiam removentur obstacula, videlicet praesumptio et sensualitas.

Haec prompta voluntatis traditio et oblatio ad obsequium et cultum divinum vocatur *devotio substantialis*. Haec autem tamquam connaturalem effectum causat quamdam suavitatem et consolationem, quae vocatur *devotio accidentalis* (2).

Devotio substantialis ex natura sua est actus virtutis religionis et quidem actus ejus primus ac princeps (3), influxum exercens seu promptitudinem influens proxime in omnes actus cultus, qui sunt actus eliciti religionis, et remote in totam activitatem liberam quatenus haec imperio religionis ordinatur ad Dei famulatum (4). Hanc devotionem religionis considerant moralistae duce Angelico (5) : momento tamen non caret, ut dicemus, pro scientia perfectionis.

2. Si devotio spectatur in sua relatione ad reliquas virtutes, advertendum est sedulo eam habere affinitatem

(1) *Sum. Theol.*, II-II, q. 82, a. 1.
(2) H. MAHIEU, *Het inwendig gebed*, bl. 97, v. v.
(3) *Sum. Theol.*, II-II, q. 104, a. 3, ad 1 ; q. 83, a. 15.
(4) *Ibid.*, q. 81, a. 1, ad 1.
(5) *Ibid.*, q. 82, a. 2. Cf. O. DIGNANT, *De virtute religionis*, 2a ed., n. 14 ; A. VERMEERSCH, S. J., *Quaestiones de virtutibus religionis et pietatis*, Brugis, Beyaert, 1913.

quamdam specialem cum charitate, ita ut nata sit imperari ab ea magis quam ab alia virtute.

Ex hac autem sua conjunctione cum charitate, devotio novum sortitur nomen et pietas vocatur, quatenus nempe Deum respicit non jam ut Creatorem tantum et Dominum, sed formaliter ut patrem (1), Ipsique, ex affectu filiali amoris cultum exhibet (2). *Pietas* ergo, sensu stricto considerata, definiri potest : voluntas prompte tradendi se ex affectu filiali ad cultum Dei ut patris. Sensu vero generaliori describitur a Lactantio : « Practica agnitio Dei ut parentis ».

Devotio tandem sub imperio charitatis seu amoris amicitiae erga Deum efficit ut homo se totum prompte tradat ad obsequium et famulatum Dei, ut Deo propter seipsum amato placeat. Devotionem sic considerat Salesius : « Vera et solida devotio, ait, consistit in voluntate constante, resoluta, prompta et activa faciendi quidquid Deo placere novimus » (3). Et alibi (4) : « Devotio igni charitatis nihil addit praeter flammam a qua charitas prompta, activa et diligens redditur tam ad observationem mandatorum Dei quam etiam ad exercitium consiliorum et inspirationum coelestium ». Haec est quae vocatur *devotio simpliciter* vel et *pietas simpliciter* (5) et quae facit totam vitam devotam : aliud non est nisi fervor charitatis. Consideratio hujus devotionis proprie pertinet ad scientiam perfectionis. Devotio igitur, prout spectatur in theologia ascetica, est actus elicitus a religione sub imperio charitatis, ex cujus motivo homo se tradit totum ad cultum et obsequium divinum (6).

---

(1) " *Videte qualem charitatem donavit nobis Pater ut filii Dei nominemur et simus* ". 1 *Jo.*, III, 1. " *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba, Pater* ". *Rom.*, VIII, 15-17.

(2) Ill^mus ac Rev^mus Waffelaert, *De dono pietatis*, ap. *Collat. Brug.*, 1913, p. 270.

(3) *Introduction à la vie dévote*, 4e P., ch. 13.

(4) *Ibid.*, 1e P., ch. 1. Cf. II-II, q. 82. a. 2, ad 2 et a. 3.

(5) Cf. Tissot, *La vie intérieure simplifiée*, p. 104 : " La piété... c'est la facilité, la promptitude à voir, à aimer, à rechercher Dieu en toutes choses ". Lege *ibid.*, p. 97 ss., p. 476 ss.

(6) Devotio igitur conjungit timorem reverentialem qui subest reli-

2° Quid confert devotio ad perfectionem christianam ?

1° Devotio in quantum est actus elicitus a religione et quidem, ut dictum est, actus primus ac princeps hujus virtutis, tanti est momenti in opere sanctificationis quanti est ipsa religio. Jam vero, a) religio, quatenus Deo reddit cultum debitum, supra omnes virtutes morales eminet atque ad virtutes theologicas proxime accedit (1), et habet simul virtutem purificandi animam ab omnibus quae Dei excellentiam dedecent, et simul virtutem illuminandi eam, quatenus eam proxime disponit ad exercitium virtutum theologalium. Haec autem a fortiori dicenda sunt de cultu prompte Deo exhibito ex affectu filiali seu ex pietate (2).

b) Quatenus vero religio imperium aliquod generale habet in omnem activitatem liberam hominis, veram totius vitae ejus conversionem operari potest ad Deum colendum, atque adeo devotio religionis jam aliquo sensu recte vocari potest vinculum unitatis et perfectionis, quamvis id pleno sensu de sola charitate ejusque fervore dici possit (3).

2. Devotio autem in quantum actu imperatur ab amore amicitiae Dei, seu *devotio simpliciter* supra descripta, cum ipsa perfectione christiana essentiali coïncidit, cum ea nil aliud sit quam charitas in actu (4).

3° Qua ratione exercetur devotio ?

Principium adaequatum devotionis, sicut supra de sanctitate in genere scripsimus (5), est *gratia Dei mecum*, operatio scilicet divina cum cooperatione nostra. Duplex item

gioni et pietati, cum charitate sine detrimento tamen charitatis. Servilis enim timor non est in charitate, reverentialis vero et filialis timor miro modo fovet charitatem, eam teneram delicatamque reddens. Vera amicitia nulla est sine reverentia : qua major vero fit reverentia eo quoque major crescit aestimatio amici.

(1) " In virtutibus moralibus, scribit Cajetanus, religio participat naturam theologalium virtutum ". In II-II, q. 81, a. 5.

(2) Lege *Sum. Theol.*, II-II, q. 81, a. 7.

(3) Haec vitae adunatio per virtutem religionis et devotionem ejus maximi momenti est pro perfectione sacerdotali, nec ita difficilis obtentu videtur, utpote cum sacerdos, homo Dei et dispensator Dei, continuo versetur in iis quae sunt ad Deum.

(4) *Collat. Brug.*, hoc tomo, p. 186 ss. Cf. *Gregorianum*, 1920, p. 41 ss. : O. Marchetti, *La perfezione della vita cristiana secondo S. Tommaso.*

(5) *Collat. Brug.*, hoc tomo, p. 186 ss.

est munus exercitiorum devotionis, nimirum introducendi gratiam Dei et directe formandi devotionem. In praesenti autem hoc alterum tantum munus respicimus et inquirimus quomodo quisque propria industria, cum gratia Dei, mandatum Apostoli exsequi valeat: « *Exerce te ad pietatem* » (1). Qua ratione igitur susceptio sacramentorum, oratio vocalis et exercitia cultus sive privata sive publica, oratio mentalis, pia lectio, auditio verbi divini, examen conscientiae, quae veniunt sub nomine exercitiorum devotionis seu pietatis, excitant, conservant atque augent devotionem supra descriptam ?

Id in tantum efficiunt in quantum in mente et corde hominis eas considerationes eosque affectus enutriunt quibus sponte provocatur voluntas ad promptam atque amorosam sui traditionem et addictionem servitio Dei (2). Haec autem praecipue sunt sequentia : persuasio scilicet divinae excellentiae, unde enascitur affectus reverentiae, timoris reverentialis (3) ; persuasio divini dominii absoluti in nos, unde oritur sensus contingentiae nostrae seu dependentiae totalis et obligationis cultus reddendi Deo ; conscientia filiationis nostrae adoptivae, unde excitatur sensus pietatis filialis erga Deum ; persuasio charitatis quam habet Deus erga nos, quae diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis (4), unde enascitur sensus amicitiae reciprocae erga Deum ; cogitatio eorum quae pertinent ad humanitatem Christi ut « dum visibiliter Deum cognoscimus per hunc in invisibilium amorem rapiamur » (5) ; memoria demum peccatorum, vitiorum atque defectuum nostrorum, unde exsurgit conscientia indigentiae nostrae Dei, et excluditur impedimentum devotionis, nempe praesumptio (6).

---

(1) *I Tim.*, IV, 7.

(2) Lege II-II, q. 82, a 3.

(3) In illo timore radicatur virtus religionis. De hoc scribit B. Rusbrochius, *Van den Geesteleken Tabernacule*, c. 31 : " Timor iste propria nos voluntate despoliat et efficit ut sentiamus non nostri juris sed Dei proprios nos esse ".

(4) *Rom.*, V, 5.

(5) Praefatio nativitatis. Cfr. *Sum. Theol.*, II-II, q. 82, a. 3, ad 2.

(6) Lege H. MAHIEU, *Probatio charitatis*, 2a ed., p. 397, ss. Cf. *Diction-*

II. Defectus apud « devotos » occurrentes

Breviter tantum indicamus praecipuos defectus in materia exercitiorum devotionis apud sic dictos devotos occurrentes (1).

1° Ipsa exercitia non tanquam media ad devotionem, sed, quasi essent ipsa devotio, tanquam finis concipiuntur et usurpantur. Inde multiplicitas tanta exercitiorum ut obruat devotionem omnem ; inde quoque in exercitiis persolvendis fidelitas quaedam pharisaïca vel mere mechanica, quae sterilis est, mox taedium in anima generat et despectum aliorum provocat.

2° Consolatio praeprimis sensibilis pro essentia pietatis habetur adeoque intenditur, imo et quaestus temporalis vel unice vel principaliter intenditur. Quae sua sunt quaerunt, non quae Dei sunt. Inde novae semper, extraordinariae et « infallibiles » devotiones exquiruntur et non raro superstitioso modo exercentur.

3° Devotio ad solos actus cultus restringitur nullumque in profanam vitae activitatem influxum habet. Inde defectus dicti « devotorum » ut calumniae, detractiones, neglectus officiorum status proprii.

A. Legrand.

VI.

Cumul des fonctions fabriciennes.

Q. *Est-il permis de cumuler des fonctions fabriciennes ?*

R. Les incompatibilités sont de droit étroit. Le cumul de fonctions fabriciennes n'est conséquemment prohibé, que lorsque cette interdiction découle d'un texte formel de la loi ou qu'elle résulte de l'ensemble de ses dispositions ou qu'elle est la conséquence d'une règle générale du droit commun administratif.

---

naire de théologie catholique, V° Dévotion (E. Dublanchy) ; A. Gardeil, O. P., *L'éducation personnelle et surnaturelle de soi-même par la vertu de religion*, apud *Revue Thomiste*, 1919, 1920 ; Dom O. Lottin, O. S. B., *L'âme du culte, la vertu de religion*, Louvain, 1920.

(1) Cf. Tissot, *o. c.*, p. 476 ss., Faber, *Progrès de l'âme*, p. 406 ss.

Le décret de 1809 ne défend expressément aucun cumul; mais on peut se demander s'il n'en résulte aucun de l'ensemble des dispositions légales sur les fabriques ou de l'application d'un principe général en matière d'incompatibilités.

1° Les auteurs (1) et la jurisprudence tant française (2) que belge (3) sont d'accord pour admettre que le même membre ne peut cumuler deux dignités dans le conseil de fabrique, ni deux dignités dans le bureau des marguilliers. Ainsi le président du bureau ne peut être en même temps secrétaire ou trésorier de cet organisme. Ceci résulte des articles 19, 28, 35, 50, 56 du décret de 1809. De même, pour le conseil de fabrique, le président ne peut cumuler les fonctions de secrétaire. La direction des débats, dit le *Memorial* (4), ne peut permettre au président de dresser simultanément le procès-verbal de la séance. Les pièces doivent d'ailleurs porter la double signature du président et du secrétaire.

2° L'administration (5) et la doctrine admettent également qu'en règle générale celui qui est revêtu d'une dignité dans le conseil de fabrique peut en occuper également une dans le bureau des marguilliers.

Autrefois, certains (6) ont soutenu que le même fabricien ne pouvait être simultanément président du conseil et président du bureau. Voici le motif qu'on faisait valoir en faveur de cette opinion: le bureau rend compte de ses actes au conseil — or, il y aurait un grand inconvénient à ce que le président du bureau, qui a pris la plus grande

---

(1) Voir Van Coillie-De Meester, *La sépulture et les fabriques d'églises*, p. 201, Bruges, 1916; Van Hove, *Les fabriques d'églises*, p. 621 s.; Ober, *Der Kirchenratsvorstand*, dans *Strassburger Diözesanblatt*, 1913, t. XXXII, p. 279; *Journal belge des conseils de fabriques*, t. II, p. 357 ss.

(2) Voir lettre du ministre des cultes du 8 juillet 1861, dans André, *Cours de législation civile-ecclésiastique*, 4e édit., t. III, 230, Paris, 1887.

(3) Circ. ministér. du 15 mars 1858, dans *le Mémorial*, t. II, coll. 611.

(4) T. V, col. 158; voir aussi le *Journal belge des conseils de fabriques*, l. c., p. 358.

(5) Voir Ober, *o.* et *l. c.*, p. 280.

(6) Voir *Journal belge des cons. de fabr.*, l. c., p. 358 s.; Gaudry, *Traité de la législation des cultes*, t. III, p. 268 s., 273. Voir également André, *o. c.*, t. III, 229.

part à l'administration active, fût investi de la direction des débats quand les actes de cette administration sont soumis au contrôle du conseil. On a répondu à bon droit qu'un inconvénient, fût-il réel, n'est pas un motif suffisant d'exclusion. D'ailleurs il y a plutôt utilité à ce que le président du conseil soit en même temps président du bureau : cela établit plus d'uniformité et plus de suite dans la direction des affaires fabriciennes (1).

3° A cette règle générale plusieurs auteurs (2) apportent une restriction : les fonctions de *trésorier* sont incompatibles avec toute autre dignité, même dans le conseil. En effet, le conseil est appelé à examiner et à juger non seulement les actes du trésorier comme membre du bureau, mais encore sa gestion comme comptable public. Si le trésorier était président, il se contrôlerait lui-même (3) ou bien il devrait s'abstenir de prendre part au contrôle et le conseil n'aurait plus son président. De même, le trésorier est, en sa qualité de comptable et de gestionnaire de la fabrique, trop intéressé aux délibérations du conseil pour être chargé comme secrétaire de les rédiger et de les constater. Ces arguments méritent sans conteste d'être pris en sérieuse considération. Aussi les auteurs qui n'admettent pas une incompatibilité absolue entre les fonctions de trésorier et toute autre dignité du conseil, trouvent cependant que des motifs de convenance s'opposent au cumul des fonctions de trésorier avec celles de secrétaire et surtout de président du conseil. (4)

A. De Meester.

(1) Voir Van Hove, *o. c.*, p. 621 s. ; Ober, *o. c.*, p. 280.

(2) Voir Lauwers, *Code de droit civil-ecclésiastique*, p. 97, Bruges, 1859 ; *Journal belge des cons. de fabr.*, l. c., p. 359 ; Ober, *o. c.*, p. 280.

(3) Voir la loi du 24 vendémiaire en III, tit. 2, art. 1er.

(4) Voir en ce sens Van Hove, *o. c.*, p. 622 ; Dijon, *Administration et comptabilité des fabriques d'églises*, 2e édit., p. 6, Huy, 1899.

La propriété des églises dans les régions dévastées.

Le fléau de la guerre, déchaîné sur nos régions paisibles, a causé à nos édifices religieux des ruines incalculables. Dans notre seul diocèse 84 églises, des plus belles et des plus anciennes, sont anéanties ; 67 sont partiellement détruites, d'autres sont profondément atteintes.

Une préoccupation douloureuse vient encore accroître le malheur des victimes. Le droit des catholiques à la propriété de leurs anciennes églises est en danger. La restauration de nos sanctuaires en ruines a suscité la question de leur propriété ; et une décision récente du Ministre de l'Intérieur, en date du 23 septembre dernier, vient de proclamer comme une vérité indéniable le droit de propriété des communes sur nos édifices du culte antérieurs au Concordat.

Le Gouvernement pour activer le travail de reconstruction et ne point soulever de conflits de compétence, aurait dû reconnaître aux fabriques, en leur qualité d'administrations chargées des intérêts matériels du culte, le droit exclusif d'introduire les demandes en réparation des dommages de guerre et de prendre toutes les mesures nécessaires à l'exécution des travaux. Au moins il aurait dû déclarer que ces actes n'apporteraient aucun préjudice aux droits acquis du légitime propriétaire, quelle que soit l'administration qui les ait posés.

Au lieu de s'en tenir à ces mesures qui réservaient tous les droits et que commandait la prudence, le Ministère de l'Intérieur vient d'adresser aux services de restauration une circulaire que nous n'hésitons pas à qualifier de hautement regrettable. La question de la propriété des anciennes églises y est tranchée d'office au préjudice des fabriques.

Et qu'on ne croie pas qu'il s'agit là d'une décision bien étudiée, prise après avoir dûment mûri les arguments qui lui servent de base. Nullement. Sans jamais avoir examiné

les raisons de texte et de fait, de doctrine et de jurisprudence qui militent en faveur du droit de propriété des fabriques sur les églises antérieures à la révolution française, sans montrer la moindre considération pour les travaux des juristes catholiques, les Woeste, Delcour, Moulart, Van Hove, Leclerc, Crouzil, Touzaud, des Cilleuls, Vouriot et tant d'autres, l'auteur de la circulaire ministérielle, avec une sérénité déconcertante, se contente d'alligner les lignes suivantes, copiées dans un recueil quelconque de jurisprudence :

« La question de la propriété des édifices du culte se pose fréquemment à l'occasion de la reconstruction.

Afin de prévenir tous retards que pourraient entraîner des demandes de l'espèce, adressées aux services compétents, j'ai l'honneur de porter à votre connaissance les principes (??) qui régissent la matière.

1° Les églises anciennes qui ont été mises à la disposition des Évêques par arrêtés des Préfets de département, en exécution de l'art. 75 de la loi du 18 germinal an X, sont propriétés communales, en vertu de l'avis du Conseil d'État du 2 pluviôse an XIII, approuvé par l'Empereur le 6 et qui a force de loi ».

. . . . . .

Il ne nous sera pas difficile de prouver que cette déclaration officielle, bien loin d'être un principe incontesté et incontestable, n'est qu'une affirmation gratuite dénuée de fondement juridique solide.

1° Ce n'est pas uniquement en exécution de l'art. 75 des organiques que par arrêtés des préfets les anciennes églises ont été mises à la disposition des Évêques ; c'est premièrement et fondamentalement en vertu de l'art. 12 du *Concordat*, entendu et interprété dans le sens de leurs auteurs (1).

Or les négociations du Concordat prouvent que le Saint-Siège a bien entendu qu'il s'agissait à l'art. 12 de restituer

(1) Il est vrai que le rédacteur de la circulaire a consulté les *Pandectes*, v° églises, et que cette encyclopédie ne cite pas le Concordat parmi les textes de droit, qui régissent la matière.

à leurs anciens propriétaires les églises non aliénées, mises autrefois à la disposition de la nation, c'est-à-dire, converties en biens nationaux, par la loi du 2-4 novembre 1789.

Nous renvoyons le rédacteur de la circulaire au savant livre de M. le chanoine Van Hove, professeur à l'Université de Louvain, où ces textes sont cités (1).

Le Gouvernement français n'y a jamais contredit ; la bulle de ratification du Concordat exprime formellement cette interprétation du Souverain Pontife et les décrets postérieurs à cet acte solennel confirment cette intention des contractants.

2° Quelle est la portée de l'avis du Conseil d'État des 2-6 pluviôse an XIII (22-26 janvier 1805) invoqué comme unique argument par la circulaire ?

Voici le texte de cet acte (2) :

« Le Conseil d'État, qui, depuis le renvoi fait par le Gouvernement, a entendu les rapports des sections de l'intérieur et des finances, tendant à faire décider la question de savoir si les communes sont devenues propriétaires des églises et presbytères, qui leur ont été abandonnés en exécution de la loi du 18 germinal an X (8 avril 1802).

Est d'avis que lesdites églises et presbytères doivent être considérés comme propriétés communales ».

a) Cet avis est tout abord dépourvu *de valeur légale*, parce que, non inséré au *Bulletin des lois*, il n'a pas été promulgué (3).

D'après le règlement organique du 5 nivôse an VIII, le Conseil d'État était investi du pouvoir d'expliquer et de développer le sens des lois. Interpréter une loi en y ajoutant, c'est-faire une nouvelle loi. Or, constitutionellement le Conseil d'État n'avait pas ce pouvoir. Aussi ne reconnaît-on de valeur législative aux avis du Conseil d'État, statuant sur un objet d'intérêt général, qu'à la condition d'avoir été

---

(1) *Les fabriques d'églises*, p. 231 ss.

(2) Bon, *Législation des paroisses*, p. 126. L'auteur fait remarquer en note : cet avis n'a jamais été inséré au *Bulletin des lois* ; il est rapporté dans Sirey, 5, 2, 165.

(3) Il n'a pas reçu non plus en Belgique une publication subsidiaire suffisante *per relationem* pour y avoir force de loi.

approuvés par l'Empereur, d'avoir été promulgués au Bulletin officiel comme véritables lois et de n'avoir pas été déclarés inconstitutionnels par le Sénat conservateur. Alors seulement, en vertu d'une jurisprudence du reste très contestable, on leur accorde la même autorité qu'aux décrets impériaux empiétant sur le domaine législatif.

En l'absence de l'une ou l'autre de ces conditions, ils sont de simples avis qui n'ont pour l'interprétation des lois, tout comme les arrêts des cours de justice, d'autre valeur que celle de leurs motifs.

Or tous s'accordent à dire que l'avis de pluviôse en question n'a pas été inséré au *Bulletin des lois*.

Et qu'on n'objecte pas que cet acte a fait l'objet de notifications aux préfets et aux agents du domaine et que ce mode de publication est suffisant aux termes de l'avis du Conseil d'État du 25 prairial an XIII (14 juin 1805) ; puisque, quelle que soit la portée de cet avis (1), il est postérieur de 6 mois à l'avis de pluviôse et qu'en conséquence il ne peut valider tous les avis qui lui sont antérieurs.

Mais, dit-on, cet avis de pluviôse n'avait pas besoin de promulgation, puisqu'il n'est qu'une disposition simplement interprétative.

Même s'il fallait admettre le principe que les lois véritablement interprétatives n'ont pas besoin d'être promulguées — principe qu'on rejette à juste titre (2) — on ne pourrait l'appliquer à l'avis qui nous occupe, parce que celui-ci est *en opposition* avec la loi qu'il est censé interpréter.

En effet, l'avis des 2-6 pluviôse interprète l'art. 75 des organiques. Or, cet article, qui n'est que la reproduction de l'art. 12 du Concordat, consacre le droit de propriété des fabriques sur les édifices du culte. De plus, un concordat étant un acte bilatéral, il n'appartient pas à l'un des contractants de l'interpréter authentiquement, surtout si cette interprétation est en opposition formelle avec l'intention clairement manifestée de l'autre partie.

---

(1) Voir Van Hove, *o. c.*, p. 132 s.
(2) Voir les *Pandectes*, vo Avis du Conseil d'État, nº 8.

b) C'est pourquoi nous sommes en droit de conclure que l'avis de pluviôse est sans *aucune valeur doctrinale*, ayant interprété d'une façon évidemment abusive la loi de germinal an X.

Cette attribution positive aux communes de la propriété des anciens édifices du culte, consacrée par l'avis du Conseil d'État, doit être mise en regard de la théorie ouvertement professée par cet organisme, théorie qui considérait comme communaux les établissements et les biens paroissiaux (1). Cette thèse se retrouve dans plusieurs déclarations des ministres de l'intérieur et des finances, notamment dans le rapport rédigé par ce dernier en vue de l'avis de pluviôse (2). Elle fait partie d'un système persévéramment suivi et qui tendait à subordonner le plus possible les fabriques à l'autorité municipale et départementale, pour les faire rentrer par ce moyen, sinon dans les attributions exclusives, au moins dans la sphère d'action du ministère de l'intérieur. Ce système fut combattu par les ministres du culte Portalis, l'auteur de la législation fabricienne, et Bigot de Préameneu, son successeur. Ce furent leurs idées qui prévalurent. Bigot de Préameneu disait dans son rapport au Conseil d'État sur le décret de 1809 : « L'église, le presbytère et le cimetière sont entretenus par la commune qui profite du culte ; ils ne sont nullement sa propriété » (3).

Nous rapportons ici en guise de conclusion la protestation solennelle de Pie X, dans son encyclique *Vehementer nos*, du 11 février 1906, portant condamnation de la loi française de séparation : « Il nous est, dit-il, extrêmement douloureux aussi qu'au mépris de tous les droits, la loi déclare propriété de l'État, des départements et des communes tous les édifices ecclésiastiques antérieurs au Concordat ».

Nous, catholiques de Belgique, nous protestons également

(1) Voir Van Coillie-De Meester, *La sépulture et les fabriques d'églises*, p. 10 s., Bruges, 1916.

(2) Voir Crouzil, *Du droit des catholiques à la propriété de leurs églises*, p. 22, Paris, 1905.

(3) *Le Mémorial*, 1870, t. XIV, col. 533.

de toutes nos forces contre cette tentative arbitraire de nous enlever administrativement le domaine de nos églises.

Il nous est plus douloureux d'être dépouillé par les nôtres que d'avoir à subir les dévastations et les rapines de l'ennemi.

A. De Meester.

DECRETO S. CONG. RITUUM

1. DE FESTO S. JOANNIS BERCHMANS.

Mechlinien. et aliarum dioecesium Belgii

Emus et Rmus Cardinalis Desideratus Josephus Mercier, Archiepiscopus Mechlinien., una cum ceteris Belgii Rmis Episcopis, Ssmo Dno nostro Benedicto Papae XV humiliter exposuerunt, quod Sanctus juvenis Confessor Joannes Berchmans intra fines Mechlinien. Archidioeceseos natus, fere totius vitae curriculum Mechliniae transegit, atque unus ex Sanctis Belgii Caelitibus, Beatorum ac dein Sanctorum honoribus auctus fuit ad iuris tramitem quoad beatificationem Servorum Dei et canonizationem Beatorum servandum. Insuper a Summis Pontificibus Pio IX et Leone XIII peculiaris juventutis Catholicae, praesertim Belgicae, patronus constitutus fuit. Quum vero eius festum diei 13 Augusti affixum, eo tempore occurrat quo Scholae vacant, solemnitati in honorem Sancti Joannis vix pauci juvenes interesse possent. Quare omnium est in votis ut festum Sancti Confessoris ad initium anni scholastici h. e. ad mensem Novembris transferatur, quando tum in Archidioecesi Mechlinien. tum in Domibus sive Ecclesiis Societatis Jesu ex Apostolico Indulto etiam nunc solemnitas more votivo, in ipsius Sancti honorem peragi solet.

Supplicibus ergo votis Emus Orator omnesque Belgii Sacrorum Antistites eumdem SSmum Dnum Nostrum enixe rogarunt, ut in Kalendario perpetuo uniuscuiusque Dioecesis Belgicae Festum S. Joannis Berchmans Conf. a die 13 Augusti amotum (1), diei 26 Novembris affigi valeat, Officio S. Silvestri Abbatis ad ritum simplicem redacto (2).

Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem SSmo Dno nostro tributarum, petitam

(1) Qua die agendum erit festum simplex SS. Hippolyti et Cassiani, Martyrum, saltem ex Calendario Ecclesiae Universalis.

(2) Erit igitur festum S. Joannis Berchmans cum commemoratione S. Silvestri abbatis, duplicis simplificati (in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa) et S. Petri Alexandrini. Episcopi et Martyris (in primis Vesperis, Laudibus et Missa).

variationem singulis Belgii Dioecesanis Kalendarjis inserendam concessit : servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 12 Maii 1920.

(s.) † A. Card. Vico, Ep. Portuen. Praef.
Alexander Verde, S. R. C. Secretarius.

2. **PRO AËRONAUTIS.**

A. Decr. S. Rit. Cong., 24 mart. 1920 (*Act. Ap. Sed.*, XII, 175.)

" Benedictus Papa XV... Beatissimam Mariam Virginem Lauretanam nuncupatam, omnium aëronautarum praecipuam apud Deum Patronam suprema auctoritate Sua declaravit et constituit „ (1).

B. Eadem die approbavit formulam benedictionis machinae itineri aëreo destinatae.

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit caelum et terram.
℣. Bénedic, ánima mea, Dómino.
℟. Dómine, Deus meus, magnificátus es veheménter.
℣. Qui ponis nubem ascénsum tuum.
℟. Qui ámbulas super pennas ventórum.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te věniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio.

Deus, qui ómnia propter temetípsum operátus es, et cuncta mundi huius eleménta in usum humáni géneris destinásti : béne†dic, quaésumus, hanc máchinam (has máchinas) itineri aéreo deputátam (deputátas); ut ad laudem et glóriam nóminis tui látius propagándam, et ad res humánas prómptius expediéndas, damno quovis et periculo remóto, desérviat (desérviant), et in ómnium fidélium, eámdem máchinam (eásdem máchinas) adhibéntium, ánimis caeléstia fóveat (fóveant) désidéria. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

(1) Decreto diei 12 aprilis 1916, S. Rit. Cong. decrevit ut festum Translationis Almae Domus B. M. V., sub ritu duplici majori, die 10 decembris, quotannis celebraretur per totam Italiam.

Orémus. Oratio.

Deus, qui béatae Mariae Vírginis domum per Incarnáti Verbi mystérium miséricórditer consecrásti, eámque in sinu Ecclésiae tuae mirabiliter collocásti: effúnde, quaésumus, bene✝dictiónem tuam super hanc máchinam (has máchinas); ut, qui per eam (eas) itíneri aéreo sub tutéla eiúsdem beátae Vírginis se commíserint, eo quo tendunt próspere pervéniant, et incólumes ad própria revertántur. Per eumdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus. Oratio.

Deus, in te sperántium salus, fámulis tuis iter aéreum peragéntibus ac tuam opem invocántibus, Angelum bonum de caelis cómitem benignus adiúnge: ut ab eo custodiántur in ómnibus viis, et ad propósitam sibi metam felíciter deducántur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Sacerdos aspergat aqua benedicta.

3. DE SOLEMNITATE SS. ROSARII.

Decr. S. Rit. Cong., 27 mart. 1920 (*Act. Ap. Sed.*, XII, 177).

" An privilegium, per Decretum Generale diei 28 octobris " 1913 concessum solemnitati externae Sacratissimi Rosarii, " quae Dominica I octobris celebrari poterit cum omnibus " Missis, praeter conventualem et parochialem, de SSmo " Rosario, extendi valeat ad alias quoque festivitates externas, " quae peragi solent cum magno concursu populi? ...

Respondetur: " *Negative*, quoad extensionem privilegii " solemnitatis Sacratissimi Rosarii, iuxta Decretum Generale " 28 octobris 1913 ".

4. CONSECRATIO ALTARIS EXSECRATI.

E Secretaria S. Rit. Cong., 9 sept. 1920 (*A. Ap. Sed.*, XII, 449 ss.).

A. Statuit can. 1200 § 1: « Altare immobile amitit consecrationem, si tabula seu mensa, etiam per temporis momentum, separetur, quo in casu ordinarius potest permittere ut presbyter altaris consecrationem rursus perficiat ritu formulaque breviori ».

Quem ritum et formulam nunc determinavit S. Rituum Cong. sequenti modo:

Instaurato Altari immobili et mensa, integrum Reliquiarum sepulcrum habente, cum stipite coniuncta, Consecrator sancto chrismate inungat, ad modum crucis, coniunctiones mensae cum stipite in quatuor angulis, quasi illas coniungens, ad singulas cruces dicens : In nómine Pa † tris et Fi † lii et Spiritus † Sancti, *recitatis dein orationibus* Maiestátem tuam, *et* Súpplices te deprecámur *iuxta Pontificale Romanum ; ac subinde scripto declaret ac testetur praefatum Altare a se, ordinaria vel delegata auctoritate, rite consecratum, uti tale habendum esse et sub eodem titulo quo ipsum ante execrationem gaudebat.*

B. Ulterius statuit idem canon 1200 § 2 : « Tum altare immobile tum petra sacra [h. e. altare portatile] amittunt consecrationem : 1° si frangantur enormiter sive ratione quantitatis fractionis, sive ratione loci unctionis ; 2° si amoveantur reliquiae aut frangatur vel amoveatur sepulcri operculum, excepto casu quo ipse Episcopus vel ejus delegatus operculum amoveat ad illud firmandum vel reparandum vel subrogandum, aut ad visitandas reliquias ».

Pro duplici hoc casu exsecrationis edicitur nunc a S. Rit. Cong novae consecrationis « *ritus et formula brevior* », qui totus describitur apud *Acta Apost. Sedis*, XII, 450-453.

5. **MISSALIS ROMANI EDITIO TYPICA.**

Decretum S. Cong. Rit., 25 jul. 1920 (*A. Ap. Sed.*, XII, 449).

Evulgata editione typica Breviarii Romani a fel. rec. Pio Papa X, per Decretum Sacrae Rituum Congregationis die 25 martii 1914 approbata, Commissio Pontificia ab eodem Pontifice die 2 iulii 1911 instituta, quae illam editionem, ad normam Bullae *Divino afflatu* et Motu Proprio *Abhinc duos annos* et subsequentium huius Sacrae Congregationis Decretorum, concinnandam curavit, easdem normas prae oculis habens, diligenti studio manus apposuit editioni Missalis Romani instaurandae. In qua editione, ex altera typica anni 1900 deprompta, illud tantum innovatum est, quod ex recentibus praescriptionibus liturgicis et ex additionibus et variationibus in Breviario typico inductis, consequeretur. Insuper praesenti editioni Missalis Romani adiectae sunt, ad modum Appendicis, Missae propriae pro aliquibus locis approbatae, quae in respectivis festis particularibus, vel in eorum solemnitatibus externis,

ubi ex Indulto Sanctae Sedis concessum est, commode adhiberi poterunt. Itaque has mutationes ordinate dispositas, suis locis respective adiunctas et accurate revisas, prouti in hac editione prostant, Sacra Rituum Congregatio, de mandato Sanctissimi Domini nostri Benedicti Papae XV, probari posse censuit. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali eidem Sacrae Congregationi Praefecto, hanc ipsam editionem suprema Sua auctoritate probavit, eamque uti Typicam habendam esse, cui omnes editiones in posterum conformandae erunt, declaravit atque decrevit.

Contrariis non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis.

Adnotanda. Diu jam exspectata et iterato promissa, absoluta tandem est nova Missalis recogniti editio typica. Praesenti decreto fuit authentice approbata. Mox ergo juris publici erit et, si pagellae adjectae ultimo fasciculo periodici *Acta Apostolicae Sedis* fidem habeamus, venalis prostat, a die 20 Octobris, in officio typographiae Vaticanae.

Vere substantiales non sunt inductae variationes. Ut ex decreto liquet, adjectae sunt quaedam missae pro aliquibus locis approbatae. Textus ipse missarum in Missalis corpore non fuit mutatus. Sed quaedam missae alio loco, sibi nunc convenienti, sunt insertae, signanter missae festorum quae olim alicui Dominicae erant assignata, nunc autem, ex recenti reformatione Breviarii, habent sedem fixam in die determinato mensis: v. g. missa SS. Rosarii jam non ponitur in limine mensis Octobris sed ad diem 7 Octobris, juxta normam dispositionis novi Breviarii. Antiqua ergo Missalia, multo facilius quam antiqua Breviaria adhiberi poterunt. Quod autem *rubricas* attinet, in *Ritu celebrandi* et in *De defectibus*, vix ulla verba sunt mutata. Regulae autem generales nonnihil renovatae sunt juxta recentiores praescriptiones liturgicas et regulas in reformando Breviario inductas. Intactum tamen reliquerunt correctores textum ipsum *Rubricarum generalium*, sed his adjecerunt rubricas novas sub titulo « *Additiones et Variationes in rubricis Missalis* », eodem prorsus modo qua antea factum est in recenti editione typica Breviarii. Utrum hujusmodi

methodus promulgandi rubricas novas optima sit et studio liturgiae multum faveat, merito dubitari potest. Privato enim studio nunc in unum coordinari debebunt rubricae novae cum antiquis: et multi sane exoptassent ut haec coordinatio authentice facta fuisset ab ipsis correctoribus, ita ut unus textus clarus et authenticus methodice exhibuisset omnes rubricas generales deinceps servandas. Rubricae novae jam partim notae sunt. Quae spectant missas defunctorum (*Additiones et Variationes*, c. III) jam promulgatae sunt in limine novi Missalis pro defunctis; jam in usu sunt duae novae praefationes; pluribus decretis jam statutae sunt nonnullae regulae v.g. de imperata, cujus campus ulterius restringitur, de symbolo non dicendo in die octava simplici et in omni missa ritus simplicis, etc.

Calendarium Brugense pro anno 1921 ad normam rubricarum novarum ordinabitur.

6. MEMORIALIS RITUUM EDITIO TYPICA.

Decr. S. Rit. Cong. 14 jan. 1920 (*Act. Ap. Sed.*, XII, 448).

Memoriale Rituum, quod pro aliquibus praestantioribus sacris functionibus in Ecclesiis minoribus a Summo Pontifice Benedicto XIII probatum eiusque iussu editum fuit ac pluries reproductum, nunc iuxta leges liturgicas etiam recentiores diligenti studio revisum atque opportune reformatum, Sanctissimus Dominus noster Benedictus Papa XV, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, suprema Sua auctoritate recognovit, atque hanc Memorialis Rituum editionem tamquam typicam habendam esse sancivit: simulque statuit ac declaravit, ut eidem editioni omnes ceterae in posterum conformari atque authentico testimonio comprobari debeant; servatis normis, quae pro editione librorum liturgicorum traditae sunt typographis per decretum eiusdem Sacrae Congregationis n. 4266, die 17 maii anno 1911. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Adnotanda.

Hic liber, exhibens modum peragendi functiones benedictionis candelarum, cinerum et palmarum et officia tridui sacri in minoribus ecclesiis, ubi unus est sacerdos, a Benedicto XIII primum probatus, in hac nova editione

typica vere « diligenti studio revisus atque opportune reformatus est ». Substantiales quidem mutationes non sunt inductae, sed ad singulas paginas, quamplurimae insertae sunt minores additiones, variationes et amplificationes, quibus per minuta describitur enucleate tota agendi ratio tum celebrantis tum clericorum inservientium ac cantorum.

Nec solum pro sex praefatis diebus exhibetur tractatus plenus, sed ex iis quae describuntur, vere, ut ait Praefatio, « haud difficile erit, methodum excerpere pro consimilibus: ut in omnibus custodia sacrarum caeremoniarum semper effulgeat ». Et revera ex rubricis hujus novae editionis deducere licet quamplurimas regulas generales ubique servandas quoad habitum corporis, reverentias exhibendas aliasve caeremonias peragendas.

Quod usum hujus Caeremonialis attinet, editum fuit pro minoribus ecclesiis *parochialibus* et S. R. C. de functionibus Sabbati Sancti interrogata, decreto n. 2970, respondit ecclesias parochiales omnino adigi ad has functiones juxta parvum Caeremoniale Benedicti XIII. In minoribus ecclesiis *non parochialibus*, in quibus SSm Sacramentum asservatur, potest Episcopus permittere functiones omnes Hebdomadae Sanctae, sed peragendas juxta praescriptum Missalis Romani (S. R. C. decr. 3366) h. e. cum diacono et subdiacono. Ut autem adhiberi possit Memoriale Benedicti XIII, justa et rationabili accedente causa, ad S. Rituum Congregationem recurrendum est (D. 4049, I; 3390) (1).

C. Callewaert.

(1) Cf. *Memorialis Praefatio*, p. 61.

E. S. CONG. S. OFFICII

DECRETUM

CIRCA AUTHENTIAM MOSAICAM PENTATEUCI (1).

Quaesitum est ab hac Suprema Congregatione Sancti Officii : " Utrum doctrina circa authentiam mosaicam Pentateuci, nuper " exposita in opere : *Dictionnaire apologétique de la foi catho-* " *lique*, an. 1919, fasc. XV, sub titulo : *Moïse et Josué ;* nec non " in *Revue du Clergé français,* XCIX (1° sept. 1919), pag. 321- " 343, sub titulo : *Moïse et le Pentateuque,* tuto tradi possit ".

Et in generali consessu habito feria IV, die 21 aprilis 1920, Emi Domini Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales, praehabito DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt : *Negative.*

Insequenti vero feria V, die 22 eiusdem mensis et anni, Sanctissimus D. N. Benedictus divina Providentia Papa XV, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, relatam Sibi Emorum et Rmorum Patrum resolutionem approbavit, confirmavit et evulgandam praecepit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 23 aprilis 1920.

A. Castellano, *S. C. S. Off. Notarius.*

Adnotanda. — Huic decreto S. O. plene se subjecit Auctor articulorum reprobatorum, hisce verbis (2) :

« Je suis heureux de donner une adhésion complète d'esprit et de cœur, sans aucune réserve, à la sentence prononcée contre ces travaux. Je ne puis que me réjouir de voir l'Église, que j'ai toujours voulu servir, les corriger. Mon désir est de profiter au plus tôt de ses directions pour rectifier ce qu'elle a jugé répréhensible ».

(1) *Acta Apost. Sedis,* XII, p. 158.
(2) *Revue du Clergé français,* CII (1 Juin 1920), p. 321.

LOI
SUR LES PENSIONS CIVILES ET ECCLÉSIASTIQUES (1)

Les chambres ont adopté (2) par la loi du 3 juin 1920 diverses modifications à la loi du 24 juillet 1844 (3) sur les pensions civiles et ecclésiastiques.

Nous en transcrivons les dispositions relatives aux pensions ecclésiastiques.

Article 1er . . . . . .

La disposition suivante formera le premier alinéa de l'article 10 de la loi (de 1844) :

" En cas de cumul de deux ou plusieurs fonctions, les traitements cumulés entreront en compte dans la liquidation de la pension ".

. . . . . .

Les maximum de 5,000 francs, fixé dans l'article 21 de la loi sur les pensions des membres du clergé du culte catholique romain, est porté à 10,000 francs.

La disposition suivante est ajoutée au premier alinéa de l'article 22 de la loi :

---

(1) Voir *Moniteur*, p. 4374.

(2) *Session de* 1919-1920.

CHAMBRE DES REPRÉSENTANTS.

Documents parlementaires. — Exposé des motifs et texte du projet de loi, n° 158, séance du 12 mars 1920. Rapport, n° 234, séance du 21 avril 1920. Amendements, nos 249 et 255, séances des 4 et 5 mai 1920.

Annales parlementaires. — Discussion et adoption, séances des 5 et 6 mai 1920, pp. 974-996, 1018-1022.

SÉNAT.

Documents parlementaires. — Projet de loi, n° 91. Rapport, n° 103, séance du 11 mai 1920.

Annales parlementaires. — Discussion et adoption. Séance du 1er juin 1920, pp. 350-358.

(3) Modifiée par la loi du 24 avril 1900. — Voir le texte de la loi de 1844 dans le *Bulletin officiel des lois et arrêtés royaux de la Belgique*, 1844, t. XXIX, p. 289 ss. Voir également *Collat. Brugen.*, t. III, p. 343 ss. On trouvera le texte commenté de la loi de 1900 dans les *Collat. Brugen.*, t. V, p. 449 ss., 574 ss., 629 ss. ; t. VI, p. 56 ss.

" Sera compté double le temps pendant lequel les membres du clergé retribués par le trésor public ont été emprisonnés ou déportés pour motif patriotique ou pour refus d'obéissance aux ordres de l'autorité allemande dans l'exercice ou à l'occasion de l'exercice de leurs fonctions ".

. . . . . .

Art. 3. Seront revisées, avec jouissance à partir du 1er octobre 1919, les pensions servies à cette date :

Par le trésor public aux magistrats... aux ministres des cultes...

. . . . . .

L'augmentation des pensions sera calculée sur la base du dernier traitement ou du traitement moyen des cinq dernières années admis pour le règlement de la pension initiale, fictivement majorée pour la première tranche de mille francs de 200 p. c., pour la seconde tranche de 120 p. c., pour la troisième tranche de 70 p. c., pour la quatrième tranche de 50 p. c. et de 30 p. c. pour la partie du traitement excédant 4,000 francs. En ce qui concerne les traitements des ministres des cultes, les tranches seront de 500 francs et l'augmentation sera de 30 p. c. pour la partie excédant 2,000 francs.

Seront augmentées sur les mêmes bases, les pensions qui auront pris ou prendront cours postérieurement au 1er octobre 1919 et dans la liquidation desquelles n'interviennent que les traitements antérieurs à la mise en vigueur du nouveau barème de traitements établi après le 31 décembre 1918.

Art. 4. Les pensions qui ont pris ou prendront cours postérieurement à une augmentation de traitement accordée par application d'un nouveau barème mis en vigueur après le 31 décembre 1918, seront augmentées avec jouissance au plus tôt à partir du 1er octobre 1919 à raison d'une majoration fictive des traitements anciens, calculée comme il est dit au second alinéa de l'article 3.

Les majorations fictives des traitements ne pourront entrer en compte dans la liquidation des pensions que pour le temps antérieur au 1er janvier 1921.

. . . . . .

Observations.

1° Les conditions requises pour avoir droit à une pension sont maintenues par la nouvelle législation (1).

(1) Voir *Coll. Brugen.*, t. III, p. 344 ss. ; t. V, p 574 ss.

2° L'augmentation des pensions qui ont pris cours avant l'application de la loi du 10 août 1920 (1) portant augmentation des traitements ecclésiastiques, est fixée en prenant comme base la disposition de l'art. 41, § 1 de la loi du 21 juillet 1844 : « Le montant de la pension entière est égal au taux moyen du traitement dont le démissionnaire a joui pendant les cinq dernières années sur le trésor ». Cet taux moyen est fictivement majoré pour la première tranche de cinq cents francs de 200 p. c., pour la seconde tranche de 120 p. c., pour la troisième tranche de 70 p. c., pour la quatrième tranche de 50 p. c. et de 30 p. c. pour la partie du traitement excédant 2,000 francs.

Nous empruntons à la *Revue ecclésiastique de Liége* (2) les exemples suivants :

a) Soit le pension actuelle d'un *vicaire*, calculée sur la base du traitement non-majoré : 800 francs. D'après la nouvelle loi, il faut ajouter à la première tranche de 500 francs 200 p. c., soit 500 + 1000 = 1500 fr. ; à la deuxième tranche 120 p. c., soit 300 + 360 = 660 fr. — 1500 + 660 = 2160 francs, montant de la pension.

b) Pension actuelle d'un *desservant :* 1400 francs.

1ère tranche	500	+	1000	= 1500 fr.
2e »	500	+	600	= 1100 fr.
3e »	400	+	280	= 680 fr.
Total de la pension				3280 fr.

c) Pension actuelle d'un *curé de 2e classe :* 1800 fr.

1ère tranche	500	+	1000	= 1500 fr.
2e »	500	+	600	= 1100 fr.
3e »	500	+	350	= 800 fr.
4e »	500	+	150	= 450 fr.
Total de la pension				3900 fr.

d) Pension actuelle *d'un curé de 1ère classe :* 2100 fr.

1ère tranche	500	+	1000	= 1500 fr.
2e »	500	+	600	= 1100 fr.

(1) Voir plus haut, p. 345 s.
(2) 1920-1921, t. XII, p. 125.

3e	»	500	+	350	= 850 fr.
4e	»	500	+	250	= 750 fr.
5e	»	100	+	30	130 fr.

Total de la pension 4330 fr.

3° Les pensions qui prendront cours postérieurement à l'application de la nouvelle loi sur les traitements ecclésiastiques, devront se calculer en tenant compte du nouveau barème établi par celle-ci, d'après la même règle déterminée à l'article 21 de la loi de 1844. Dans le calcul de ces pensions, les majorations fictives de traitement, fixées par l'art. 3 de la présente loi du 3 juin 1920, devront entrer en compte pour le temps antérieur à l'application du nouveau taux des traitements ecclésiastiques.

A. De Meester.

CONSULTATIO

Q. *Ante bellum existebant in paroeciis regionis vastatae multae confraternitates et piae uniones canonice erectae aut approbatae et favoribus spiritualibus ditatae. Hodie cum destructis ecclesiis omnia documenta erectionis aut approbationis perierunt. Petitur quibusnam sub conditionibus hae fidelium associationes restaurandae sint.*

R. Illae piae uniones et confraternitates, nec dirutis ecclesiis, nec defectu membrorum, nec jactura documentorum extinctae sunt. Remanent in eodem juridico statu sicuti ante bellum, cum omnibus privilegiis et gratiis spiritualibus. Admittantur ergo nova membra, erigatur consilium, instituantur comitia, observatis uniuscujusque associationis statutis. Curent moderatores ut authenticum exemplar documentorum erectionis aut approbationis, itemque statutorum approbatorum a competente auctoritate obtineant et in archivo associationis recondant.

A. D. M.

Collationes Brugenses

LITTERAE ENCYCLICAE

AD PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES, DE SANCTO EPHREM SYRO MONACO EDESSENO DOCTORE ECCLESIAE RENUNTIANDO (1).

BENEDICTUS PP. XV

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Principi Apostolorum Petro illud est a divino Ecclesiae Conditore attributum, ut, fide omnis erroris immuni (2) cum Deo cohaerens, tanquam " coriphaeus Apostolici chori " (3) et communis omnium magister ac rector (4) Illius gregem pasceret, qui Ecclesiam suam, in ipsius Petri eiusque successorum visibilis, perennis ac solidi magisterii auctoritate (5) aedificavit (6) : qua in mystica petra, idest totius ecclesiastici aedificii fundamento (7), quasi quodam in cardine et centro, non minus catholicae fidei quam christianae caritatis communio consisteret.

I. Principi Apostolorum collatus fuit *Primatus*, ut ipse et ipsius successores communem fidem catholicam et caritatem christianam usquequaque diffunderent ac tuerentur.

Id quidem esse Primatus Petro conlati singulare munus ut caritatis, item ac fidei, divitias usquequaque diffunderet atque in omnibus veluti tueretur, Ignatius Theophorus, recens ab apostolorum aetate, pulchre declaravit. In iis enim quas ex itinere misit ad Ecclesiam Romanam nobilissimas litteras, suum nuntians in Urbem adventum, martyrii pro Christo faciendi causa, praeclarum de illius Ecclesiae in ceteras omnes principatu edidit testimonium, cum eam " universo coetui

Hoc duplex munus Primatus apertis *verbis* agnovit s. Ignatius;

(1) *Acta Apost. Sedis*, XII, p. 457 s.
(2) *Luc.*, XXII, 32.
(3) S. Theod. Stud., *Ep. II ad Michaelem Imperatorem.*
(4) S. Cyr. Alex., *De Trinit.* dial. IV.
(5) S. Theod. Stud., *ibid.*
(6) *Matth.*, XVI, 18.
(7) S. Cyr. Alex., *Comm. in Luc.*, c. XXII, v. 32.

caritatis Praesidentem „ (1) nuncupavit, scilicet ut significaret non modo Ecclesiam universam esse adspectabilem divinae caritatis imaginem, sed etiam Romanae Sedi beatissimum Petrum, una cum Primatu, caritatis suae erga Christum triplici confessione affirmatae reliquisse hereditatem, ut eodem igne fidelium omnium animos incenderet.

hoc idem *factis* attestati sunt illustriores Patres Orientis, quum ad supremum R. P. judicium provocarunt.

Utramque notam ut pontificiae propriam auctoritatis antiqui Patres, praecipue qui inlustriores Orientis cathedras obtinebant, exploratissimam cum haberent, ad hanc Apostolicam Sedem, quae una salutem in extremo discrimine sponderet, confugere consueverant, quotiescumque vel haeresum fluctibus vel intestinis discidiis iactabantur. Ita egisse constat Basilium Magnum (2), ita insignem Nicaenae fidei propugnatorem Athanasium (3), ita Ioannem Chrysostomum (4), deiferos illos orthodoxae fidei Patres, cum ab episcoporum conciliis, secundum veterum ecclesiasticorum canonum praescripta (5), ad supremum Romanorum Pontificum iudicium provocarunt.

Huic porro muneri confirmandi fratres, R. P. nunquam defuerunt.

Hos vero quis dixerit ei mandato, quod a Christo haberent confirmandi fratres, aliqua ex parte defuisse? Quin immo, ne id officium desererent, alii in exsilium impavide proficisci, ut Liberius, ut Silverius, ut Martinus; alii causam orthodoxae fidei, eiusque defensorum qui Pontificem appellaverant, animose agere, ut vel eorum, qui vita functi essent, vindicarint memoriam: exemplo sit Innocentius I (6), qui episcopis Orientis imperavit, ut in liturgicis diptychis, cum orthodoxorum Patrum nominibus inter actionem sacram commemorandum, denuo Chrysostomi nomen inscriberent.

Gaudemus nonnullos Orientales populos se in libertatem vindicasse,

Nos autem, cum populos Orientales non minore sane, quam decessores Nostri, sollicitudine et caritate complectamur, equidem gaudemus nonnullos ex iis, teterrimo bello restincto, et se in libertatem vindicasse et sacra e dominatu laicorum subduxisse. Qui cum rem publicam, pro suae quisque nationis ingenio maiorumque institutis, ordinare contendant, videmur rem tempori eorumque condicionibus congruentem facturi, si exemplum sanctitatis, doctrinae patriaeque caritatis splendidissimum iis proposuerimus cum ad diligentius imitandum,

(1) S. Ign., *Epist. ad Rom.*
(2) S. Basil. Magn., *Epist.* cl. II, ep. 69.
(3) S. Felicis II *Epist. et Decr.* — *Epist. Athanas. et episcop. Aegyptior.*
(4) S. Ioan. Chrys., *Ep. ad Innocent. episc. Rom.*
(5) *Sardic. can.* 3, 4, 5.
(6) Theodoret., l. v, c. 34.

tum ad studiosius colendum. Sanctum Ephrem Syrum intellegimus, quem cum flumine Euphrate haud inepte comparat Gregorius Nyssenus, quod eius " aquis irrigata christianorum multitudo centuplum fidei fructum " efferret (1) : Ephrem dicimus, cuius laudes deiferi orthodoxique Patres et Doctores, a Basilio, Chrysostomo, Hieronymo ad Franciscum Salesium et Alphonsum de Ligorio, uno ore praedicant. Gratum quidem est vocibus adiungere horum veritatis praeconum vocem Nostram, qui etsi dissimiles inter se ingeniis ac temporum locorumque intervallis disiuncti sunt, ille tamen ex iis oritur conficiturque concentus, cuius facile " unum eundemque Spiritum " modulatorem agnoscas.

quibus s. Ephrem splendidissimum exemplum tum sanctitatis, quum doctrinae ac patriae caritatis proponimus

Quod autem illas quas dedimus ad vos Encyclicas Litteras, Venerabiles Fratres, in MD natali S. Hieronymi, hae tam brevi spatio consequantur, hoc ideo usu venit, quia duo praeclarissimi viri non una re conveniunt. Etenim fuerunt Hieronymus et Ephrem fere aequales, ambo monachi, ambo Syriae incolae, uterque sacrorum Librorum cognitione studioque excellentes ; quos iure dixeris, veluti " duo candelabra lucentia " (2), a Deo destinatos alterum proprie ad occidentales, alterum ad orientales regiones illuminandas. Quae autem eorum scriptis continentur, eiusdem bonitatis sunt eiusdemque spiritus ; ac propterea fit, ut, quemadmodum in iis concors et immutabilis latinorum atque orientalium Patrum doctrina elucet, sic eorum laudes et gloria veluti in unum coalescant et copulentur.

Sicut s. Hieronymus, ita s. Ephrem, monachus ac Syriae incola, S. S. studio ac cognitione excelluit; ille magis Occidentem, hic potius Orientem illuminavit.

II. A. — Vita s. Ephrem

Utra ex celeberrimis quondam urbibus, Nisibi et Edessa, beatum Ephrem in lucem ediderit, ambigitur : eum certo, cum postremae persecutionis martyribus sanguine coniunctum (3), christiano more parentes eduxerunt. Quos si copiosae vitae commoda defecerant, at laus illa longe maior splendidiorque ornabat, quod " in iudicio Christum professi fuerant " (4). Ineunte vero adulescentia, Ephrem, ut in opusculo Confessionum suarum conqueritur, remissius languidiusque animi restitit cupiditatibus, quibus illa aetas exagitari solet : erat enim ingenio fervens, in iram praeceps, iurgiorum cupidus, mente linguaque solutior. Sed cum in vincula esset ob falsum crimen coniectus, humanas res et inania mundi oblectamenta coepit despicere ; itaque, ubi se iudici purgavit, ilico monachi

1) Ortus ac prima adulescentia.

(1) S. Greg. Nyss., *Vita S. Ephrem*, c. I, n. 4.
(2) Cf. *Apoc.*, XI, 4.
(3) S. Greg. Nyss., *op. cit.*
(4) *S. Ephrem Confessio* n. 9.

2) Monachus factus, primum Nisibe Scripturam interpretatus est;

habitum induit, et deinceps se totum ad pietatis exercitationes sacrarumque studia Scripturarum contulit. Cum autem gratiam sibi conciliasset Iacobi Episcopi Nisibensis, unius e CCCXVIII Patribus Concilii Nicaeni, qui celeberrimam exegesis scholam in urbe episcopali condiderat, patroni sui exspectationem, assidua et peracuta commentatione Bibliorum, non tam explevit, quam superavit; quare brevi maximus omnium eius scholae interpres evasit, et "Doctor Syrorum" nuncupatus habitusque est. Is, haud ita magno spatio, sacrarum studia Litterarum, Persarum copiis urbi impendentibus, intermittere cogitur; quam calamitatem ut removeret, cives suos omnibus nervis ad resistendum incitat. Iam vero periculum, semel Iacobi episcopi precibus propulsatum, rursus, eo vita functo, ingravescit; iterumque obsessa urbs, anno CCCLXIII in potestatem dicionemque Persarum venit. At Ephrem, in exsilium pergere quam infidelibus servire praeoptans, Edessam commigravit, ibique, maximam partem, ecclesiastici doctoris munus studiosissime obivit.

deinde Edessam migravit et ibidem scholam exegeticam condidit.

Quam igitur in suburbano colle casam habitavit, ea mox, inlustris academiae instar, magna hominum celebritate floruit, divinorum Librorum studio flagrantium: atque inde profecti sunt doctissimi illi Scripturarum interpretes, qui ad eandem disciplinam suos quisque alumnos excoluerunt, Zenobius, Maraba, Sanctus Isaac Amidensis, cui quidem, ob scriptorum gravitatem et copiam, Magni nomen adhaesit (1). Itaque ex illo recessu adeo de doctrina sanctimoniaque Ephrem fama percrebruit, ut, cum Basilium Magnum de facie nosse percuperet, ob eamque causam venisset Caesaream, cognito Basilius divinitus eius adventu, singulari hominem cum reverentiae significatione acceperit, suavissimosque cum eo de divinis rebus sermones contulerit (2); quo etiam tempore idem perhibetur ipsum impositione manuum diaconum consecrasse (3).

3) Diaconus consecratus a s. Basilio magno.

in hoc inferiore gradu diaconatus sese perfectissimum Stephani imitatorem praestitit.

Edessena vero solitudine Ephrem non pedem, nisi statis diebus, efferebat ut acerrimas illas ad populum contiones haberet, quibus, adversus haereses tum gliscentes, fidei dogmata tuebatur. Qui, si pro suae humilitatis conscientia ausus non est ad sacerdotium contendere, at in inferiore diaconatus gradu perfectissimum se Stephani imitatorem praestitit. Ergo Scripturas continenter docere et divini verbi praedicationi vacare;

(1) Sozom., *Hist. eccl.*, l. III, c. XV.
(2) S. Greg. Nyss., *op. cit.*, c. IV, n. 17.
(3) *Vit. S. Basil. M.* quae attrib. S. Amphilochio.

virgines Deo devotas ad sacram psalmodiam instituere : commentarios cotidie scribere Bibliis explanandis orthodoxaeque fidei inlustrandae ; popularibus suis, praesertim egenis et calamitosis, subvenire ; quae ceteros docturus esset, ipse tam absolute cumulateque ante perficere, ut in se imaginem illam sanctitatis referret, quam Ignatius Theophorus levitis proponit, cum eos Diaconos dumtaxat appellat, idest " mandatum Christi " (1), eosque exprimere affirmat " mysterium fidei in conscientia pura " (2).

Excelluit praesertim ejus caritas in summa annonae difficultate.

Quamtam vero quamque actuosam fratribus caritatem in summa annonae difficultate, gravis licet annis confectusque laboribus, exhibuit ! Casam enim deserens, ubi tot annos caelestem potius quam humanam vitam exegerat, Edessam accurrit : gravissimis verbis, quae quidem Gregorio Nysseno " tanquam divinitus fabre facta clavis " (3) ad animos et arcas locupletium aperiendas visa sunt, obiurgat qui frumentum comprimerent, vehementerque rogat, ut saltem de superfluo fratrum inopiam sustentarent. Iis igitur non tam civium necessitate quam viri gravitate permotis, ipse ex corrogata pecunia enecti fame comparare lectulos, sternere sub Edessae porticibus, languentes reficere, peregrinis occurrere, qui undique in urbem, panem flagitantes, commeabant (4). Itaque vere hunc dixeris in patriae praesidio divinâ providentiâ collocatum ! Qui non ante in suam solitudinem rediit, quam, exacto anno, e novarum frugum perceptione alimentorum copia ingens exstiterat.

Omni commemorationedignum est ejus testamentum in quo, quum fides, tum humilitas ipsius ac patriae caritas plane eminent.

Omnino commemoratione dignum est relictum ab eo civibus suis testamentum, in quo plane hominis cum fides, tum humilitas, tum etiam patriae caritas eminet singularis. " Ego Ephrem morior. Cum timore autem autem ac reverentia adiuro vos, o incolae civitatis Edessae, ne sinatis me in domo Dei poni aut sub altari. Non enim decet vermem putredine scatentem in templo et sanctuario Dei reponi. Verum in mea me tunica et pallio deponite, quibus quotidie utebar atque induebar. Comitamini me in psalmis atque orationibus vestris, et assidue pro mea parvitate oblationes facere dignemini. Marsupium Ephrem nunquam habuit : non baculus ei fuit, non pera, neque argentum vel aurum, aut aliam aliquam possessionem super terram aliquando acquisivi vel possedi. Meis igitur praeceptis atque

(1) S. Ignat., *Ep. ad Thrall.*, n. III.
(2) *I Tim.*, c. III, 9.
(3) S. Greg. Nyss., *op. cit.*, c. VI, n. 23.
(4) Sozomen., *op. cit.*, l. III, c. XV.

doctrinae sedulo operam dantes, ut mei discipuli, a catholica ne desciscatis fide. Circa fidem maxime estote constantes, câventes vobis ab adversariis, iniquitatis, inquam, operatoribus et vaniloquis et a seductoribus. Et benedicta vestra sit civitas, in qua habitatis. Ipsa enim Sapientum est Civitas et Mater Edessa„. Sic Ephrem è vita cessit, at non eius abiit memoria, quae semper apud universam Ecclesiam in benèdictione fuit. Quare cum de eo in sacra liturgia subinde fieri coepisset commemoratio, licuit Gregorio Nysseno illud affirmare : " Eius vitae atque doctrinae splendor universo terrarum orbi illuxit ; nam in omni fere loco qui illustratur a sole, cognoscitur „.

B.— Opera ejus sunt praesertim *carmina*, quae fere omnem doctrinam ecclesiasticam complectunrur.

Iam quae hic tantus vir quamque multa scripserit, non est cur singillatim exponamus : " Dicitur porro tricies centenas miriades carminum, si omnia simul numerare velis, conscripsisse „ (1). Doctrinam ea quidem ecclesiasticam complectuntur fere omnem ; extant enim commentarii de sacris Scripturis deque mysteriis fidei, sermones de officiis deque interiore vita, de sacra liturgia lucubrationes, hymni in dies festos Domini, B. Mariae Virginis et Sanctorum, in pompas rogationum et paenitentiales, in defunctorum funera. Quibus ex omnibus candidissima prorsus eminet eius anima, quae merito lucerna evangelica dici queat " ardens et lucens „ (2), cum, verum inlustrando, efficiat ut illud amemus et sequamur. Immo Hieronymus, cum S. Ephrem scripta testatur suo tempore, haud aliter ac SS. Patrum et Doctorum orthodoxorum opera, publice in liturgicis coetibus legi consuevisse, tum etiam de graeca eorundem librorum ex archetypo syriaco conversione affirmat se " acumen sublimis ingenii etiam in translatione „ cognovisse (3).

et ex quibus patet quam merito lucerna evangelica dici queat.

Haud minorem laudem meretur s. Ephrem uti christianus musicus ac poëta ;

Iam vero si in honorem beato Diacono Edesseno verti debet, quod praedicationem divini verbi et discipulorum institutionem sacris Litteris niti voluerit, secundum quidem Ecclesiae sensum acceptis, haud minorem sane laudem idem sibi comparavit ut christianus musicus ac poëta ; utriusque enim artis adeo peritus erat, ut " Spiritus Sancti cithara „ appellaretur. A quo licet ediscere, Venerabiles Fratres, quibus artibus sacrarum rerum cognitio sit in populo provehenda. Etenim Ephrem, cum inter gentes viveret ardentioris naturae, quae quidem poëticae musicaeque dulcedinem maxime sequerentur, quoniam iisdem

verum hanc suam artem ad impugnandum errorem

(1) Sozomen., *op. cit.*, l. III, c. XV.
(2) *Ioh.*, v. 35.
(3) S. Hier., *De script. eccl.*, c. 115.

lenociniis haeretici, inde ab altero post Christum saeculo, ad errores suos disseminandos callidissime usi erant, ipse adulescentis David exemplo, Goliath gigantem proprio eius gladio interimentis, artes artibus opponit, doctrinamque catholicam carminibus modisque vestit, quae deinde virgines puerosque studiose docet, ut eadem postea populus omnis paulatim ediscat. Ita institutionem fidelium in christiana doctrina non modo integrat eorumque pietatem sacrae liturgiae spiritu fovet atque nutrit, sed etiam serpentes haereses felicissime prohibet. atque ad doctrinam catholicam spargendam adhibuit.

Haec optimarum artium invitamenta a beato Ephrem inducta, quantum dignitatis sacris peragendis conferrent, utique apud Theodoretum legimus (1); sed idem eo quoque comprobatur, quod metrica illa ratio, quam noster pervulgavit, late cum apud graecos, tum apud latinos, propagata est. Namque antiphonia ipsa liturgica cum suis canticis et pompis, quae Chrysostomi operâ Constantinopolim (2), Ambrosii autem Mediolanum (3) importata est, unde Italiam totam peragravit, num ab alio auctore profecta videatur? " Mos „ ipse " orientalium partium „, quo, in urbe Insubrium principe, Augustinus, catechumenus adhuc, tam vehementer commovebatur, quique, a Gregorio Magno expolitus, perfectius quiddam apud nos attigit, nonne, sapienti existimatorum iudicio, aliqua ratione beatissimo Ephrem debetur, cum ab antiphonia syriaca, ab eo diffusa, originem ducat? Influxus ejus in liturgiam.

Nihil igitur mirum si plurimi ab Ecclesiae Patribus fit S. Ephrem auctoritas. De eius scriptis ita Nyssenus: " Omnem et antiquam et novam Scripturam evolvens, et ut nemo alius in eius contemplationem incumbens, totam accurate ad verbum interpretatus est; atque ab ipsa mundi creatione usque ad ultimum gratiae librum quae abdita et recondita erant commentariis illustravit, Spiritus lumine usus „ (4). Ad haec Chrysostomus: " Ephrem ille magnus, obtorpescentium excitator, afflictorum consolator, iuvenum disciplina, instructor atque exhortator, monachorum speculum, dux paenitentium, framea et spiculum adversus haereticos, virtutum receptaculum et Spiritus Sancti habitaculum atque diversorium „ (5). Nihil profecto dici maius potest ad hominem dilaudandum, qui tamen suis ipse oculis Hanc magnam s Ephrem auctoritatem attestantur plurimi Patres; ita s. Gregorius nyssemus, s. Jo. Chrysostomus.

(1) Theodoret., l. iv, c. 27.
(2) Sozom., *op. cit.*, l. iii, c. viii.
(3) S. Aug., *Confess.*, l. ix, c. 7.
(4) S. Greg. Nyss., *op. cit.*
(5) S. Io. Chrys., *Orat. de consumm. saec.*

tantulus videbatur, ut se omnium minimum et peccatorem vilissimum praedicaret.

III. — Ideo nunc, cum quasi novus rerum ordo nationibus, praesertum Orientis nascitur, opportunum videtur exemplum s. Ephrem proponere

Deus igitur qui " exaltavit humiles „ beatum Ephrem summa afficit gloria, eumque huic aetati caelestis sapientiae doctorem et lectissimarum virtutum exemplum proponit. Cuius exempli opportunitas hodie dicenda est vere singularis cum, iam extincto immanissimo bello, quasi novus rerum ordo nationibus, praesertim Orientis nascitur. Grande profecto, Venerabiles Fratres, plenumque curarum opus, cum Nobis, tum unicuique vestrum et bonis omnibus imponitur, ut quicquid humani civilisque cultus superest, in Christo instauremus, deviamque hominum societatem ad Deum et ad sanctam Dei Ecclesiam revocemus; ad Ecclesiam catholicam, inquimus, quae quidem, dum labant instituta maiorum, et, perturbatis rebus publicis, humana omnia permiscentur, una non vacillat fidenterque futura prospicit, una ad immortalitatem nata, eius nimirum freta oraculo, qui beatissimo Petro edixit: " super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam et portae inferi non praevalebunt adversus eam „ (1).

ut deviam hominum societatem ad Deum et Ecclesiam revocemus.

S. Ephrem imitentur omnes qui in Ecclesia alios erudiunt;

Utinam vestigiis Sancti Ephrem insistant quotquot in Ecclesia munus administrant erudiendi ceteros, ab eoque ediscant quam sollerter, quam assidue sit in praedicanda Christi doctrina elaborandum; neque enim fidelium pietas habeat aliquid stabilitatis et emolumenti, nisi in fidei mysteriis praeceptisque penitus defixa haereat. Qui autem legitime sacras tradunt disciplinas, eos Edessenus exemplo suo monet, ne Scripturas sacras ad placita sui quisque ingenii detorqueant, neve in iis perscrutandis a perpetuo Ecclesiae sensu transversum unguem discedant; " omnis „ enim " prophetia Scripturae propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines „ (2). Atque Spiritus ille qui per prophetas est homines allocutus, idem est qui apostolis " aperuit sensum ut intelligerent Scripturas „ (3) et Ecclesiam constituit revelationis nuntiam, interpretem et custodem, ut scilicet esset " columna et firmamentum veritatis „ (4).

praecipue illi qui sacras disciplinas tradunt;

---

(1) *Matth.*, XVI, 18.
(2) *II Petr.*, I, 20-21.
(3) *Luc.*, XXIV, 45.
(4) *I Tim.*, III, 15.

Ii vero in quos ab Ephrem gloria plus redundat honoris, hoc sustineant, ut oportet, onus dignitatis: inlustrem intellegimus sobolem Instituti monastici, quod cum Antonio et Basilio in Orientis regionibus ortum, per multiplices postea surculos in occidentales terras propagatum et, tot nominibus, de christiana humanitate est praeclare promeritum. Ne igitur hi cessent evangelicae perfectionis sectatores in anachoretam Edessenum suspicere eumque imitando sequi: monachus enim eo magis erit Ecclesiae profuturus, quo melius, coram Dei et hominibus, id in se exhibeat quod habitus significat, idest si, secundum illud antiquorum Orientis Patrum, sit " filius pacti ", itemque " Angelus cuius opus misericordia est; pax et sacrificium laudis ", ut eum venuste beatus Nilus Iunior definiit " (1).

et speciali titulo quotquot Institutio monastico addicti sunt.

Denique omnes quibus praepositi estis, Venerabiles Fratres, cum e Clero tum ex populo, illud a beato Ephrem discant, patriae huius caritatem, cuius quidem officia ipsius christianae sapientiae professione nituntur, non ab amore patriae caelestis seiungi debere, nedum ei praeponi: patriae illius, inquimus, quae nihil est aliud nisi intima in animis iustorum Dei dominatio hic inchoata, in caelis perfectissima: cuius profecto speciem mystice exhibet Ecclesia catholica, quae, remoto omni nationum et linguarum discrimine, filios Domini universos, veluti familiam unam, sub communi Patre ac Pastore complectitur. Item docet sanctissimus vir, vitae interioris fontes ibi esse quaerendos ubi Christus constituit, idest in Sacramentis, in praeceptorum evangelicorum observatione et in pietatis exercitatione multiplici quam ipsa affert liturgia Ecclesiaeque proponit auctoritas. Quo in genere aliquid delibetis volumus, Venerabiles Fratres, ex iis quae de Altaris Sacrificio habet noster: " Sacerdos manibus suis Christum super altare ponit ut fiat cibus. Patrem tamquam domesticum alloquitur dicens: Da mihi Spiritum tuum, ut adveniens descendat super altare et sanctificet panem positum ut fiat Corpus Unigeniti tui. Narrat ei passionem et mortem exponitque coram eo ictus: neque Divinitatem pudet ictuum Filii sui primogeniti. Dicit invisibili Patri: en appensus in Cruce. Filius tuus est, elusque vestes sanguine sunt conspersae et latus eius lancea est perfossum. Ei commemorat passionem et mortem Dilecti sui, quasi earum oblitus sit, atque Pater audiens, eius preces exaudit " (2). Quae

Omnes tum dem fideles a S. Ephrem discant, quaenam sit vera patriae caritas;

quinam ver fontes vitae interioris.

Dicta illustrantur verbis S. Ephrem ubi loquitur de sacrificio altaris.

(1) S. Bartuol., Crypt. Abb. in *Vita S. Nili Iunioris.*

(2) Cf. Rahmani, *I Fasti della Chiesa Patriarcale Antiochena*, VIII-IX.

de justorum conditione post mortem; vero de iustorum post mortem condicione versibus persequitur, ea cum constanti Ecclesiae doctrina, postmodum in Concilio Florentino definita, sic congruunt ut nihil supra: " Mortuus a Domino abductus et iam in coelorum regno inductus est. Anima defuncti in coelo excipitur, et tamquam unio in coronam Christi inseritur. Defunctus iam nunc apud Deum et Sanctos eius commoratur „ (1).

de B. M. Virgine; At huius erga Deiparam Virginem pietatem quisnam satis dicendo explicet? " Tu, Domine et Genitrix tua „, ita in quodam carmine Nisibensi, " soli estis qui omni sub respectu perfecte decori estis; in Te namque, Domine mi, nulla est macula neque in Genitrice tua labes ulla inest „ (2). Omnino haec " Spiritus Sancti cithara „ nunquam suaviores reddit sonos, quam cum propositum est Mariae concinere laudes vel integerrimam virginitatem vel divinam maternitatem vel misericordiae plenum in homines patrocinium celebrando.

de Primatu b. Petri Neque ita minore studio rapitur, cum e longinqua Edessa Romam respicit, ad Petri Primatum laudibus extollendum: " Salvete, reges sancti, Apostoli Christi „, ita ille ad Apostolorum chorum; " salvete, lux mundi .... Lucerna Christus, candelabrum et Petrus, oleum autem subministratio Sancti Spiritus. Salve, o Petre, peccatorum porta, discipulorum lingua, praedicantium vox, Apostolorum oculus, coelorum custos, clavigerorum primogenitus „ (3). Atque alio loco: " Beatus es, o Petre, caput et lingua corporis fratrum tuorum, corporis inquam quod ex discipulis coagmentatur, in quo uterque oculus filii sunt Zebedaei. Illi quidem beati sunt, Magistri thronum qui contemplantes, et sibi thronum petiere. Auditur vera Patris revelatio favere Petro, qui lapis evadit inconcussus „ (4). Et in alio hymno sic Dominum Iesum inducit cum primo suo in terris Vicario colloquentem: " Simon, discipule mi, Ego te constitui fundamentum Ecclesiae sanctae, petram vocavi te antea ut sustineres totum meum aedificium. Tu es inspector eorum qui aedificant mihi Ecclesiam in terris. Si quid reprobum aedificare velint, te ut fundamentum posui, coërce illos. Tu es caput fontis, a quo hauritur doctrina mea, tu es caput discipulorum meorum, per te omnes gentes potabo. Tua est suavitas illa vivifica, quam largior. Te elegi ut esses in mea institutione velut primogenitus

(1) *Carm. Nisib.*, c. VI, pp. 24-28.
(2) *Carm. Nisib.*, n. 27.
(3) S. Ephr., *Encom. in Petrum et Paulum.*
(4) Cf. Rahmani, *Hymni S. Ephr. De Virginitate*, p. 45.

et haeres thesaurorum meorum. Claves regni mei dedi Tibi, et ecce principem Te constituo super omnes meos thesauros „ (1).

Haec omnia cum ipsi Nobiscum recoleremus, benignissimo Deo cum lacrimis supplices eramus, ut Orientales, quos discidium nimis diuturnum, contra veterum Patrum suorum sententiam quam memoravimus, ab hac beati Petri Sede misere distinet, tandem aliquando ad sinum complexumque reduceret Romanae Ecclesiae, quacum, Irenaeo teste, qui per magistrum suum Polycarpum traditas a Ioanne Apostolo doctrinas acceperat, “ propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles „ (2). Interea vero perlatae ad Nos sunt litterae, quibus Venerabiles Fratres Ignatius Ephrem II Rahmani, Patriarcha Syrorum Antiochenus, Elias Petrus Huayek, Patriarcha Maronitarum Antiochenus et Ioseph Emmanuel Thomas, Patriarcha Chaldaeorum Babylonensis, allatis maximi momenti rationibus, Nos impense rogabant, vellemus, Apostolica Nostra auctoritate, Sancto Ephrem Syro, Diacono Edesseno, titulum atque honores Doctoris Ecclesiae universae concedere et confirmare. Quibus quidem precibus, aliquot etiam S. R. E Cardinalium, Episcoporum, Abbatum et Praesidum religiosarum Sodalitatum graeci latinique ritus, postulatoriae litterae accesserunt. Rem profecto votis quoque Nostris consentaneam mature perpendendam duximus. Memineramus enim ab Orientalibus Patribus, quos supra diximus, beatum Ephrem semper veritatis magistrum deiferumque Ecclesiae catholicae Doctorem esse habitum; neque ignorabamus, ipsius auctoritatem inde ab initio plurimum valuisse non modo apud Syros, sed etiam apud finitimos, Chaldaeos, Armenos, Maronitas et Graecos, qui Diaconi Edesseni scripta in suum quisque sermonem transtulerunt et, cum in coetibus liturgicis, tum domi ac privatim cupide perlegere consueverant, ita, ut eius carmina, hodie etiam, inter Slavos, Coptos, Aethiopes et vel inter Iacobitas Nestorianosque inveniri contingat. Illud quoque animo reputavimus, hunc virum apud Romanam Ecclesiam magno in honore antehac fuisse. Praeterquam enim quod inde ab antiquis temporibus ea in martyrologio Calendis Februariis beatum Ephrem commemorat, nec sine peculiari sanctitatis et doctrinae eius elogio, in hac ipsa Alma Urbe, saeculo XVI vertente, in honorem Beatissimae Virginis

Cum haec omnia nobiscum recolentes Deum rogaremus ut Orientales ad Ecclesiam suam reduceret.

oblata sunt nobis vota ut s. Ephrem Syro, Diacono Edesseno, titulum ac honores Doctoris Ecclesiae Universae concederemus.

Patres Orientales semper habuerunt s. Ephrem veritatis magistrum, et nunc adhuc quam maxima ipse gaudet auctoritate.

In Ecclesia romana pariter ab antiquo tempore in honore fuit;

(1) Lamy, *S. Ephr. Hymn. et Serm.*, vol. i, pr. 411.
(2) S. Iren., *C. haer.*, l. iii, c. iii.

et sancti Ephrem templum in colle Viminali erectum est: cognita autem res perspectaque omnibus est, decessores Nostros Gregorium XIII et Benedictum XIV, qui quidem non uno nomine de catholicis Orientis bene meriti sunt, curasse, ut primo Vossius, deinde Assemanus, maiore qua tum fieri poterat diligentia, Sancti Ephrem opera colligerent atque ad inlustrandam catholicam fidem et pietatem fidelium alendam ederent et evulgarent.

recentius Pius X hunc cultum s. Ephrem approbavit et extendit.

Quod si proxime superiores respiciamus eventus, s. m. decessor Noster Pius X anno MDCCCIX Missam et Officium proprium in honorem eiusdem sancti Diaconi Edesseni, excerpta magnam partem e liturgia syriaca, approbavit et monachis Benedictinis, e Prioratu Hierosolymitano SS. Benedicti et Ephrem, concessit.

His omnibus rite perpensis, ex voto S. C. Rituum.

Quibus omnibus rite perpensis, ut id suppleremus quod ad magni anachoretae gloriam deesse videbatur, simulque Orientis christiani populis gratificaremur apostolicae caritatis, qua eorum utilitati atque honori prospicimus, novo publicoque documento, negotium de quo erant litterae, quas supra memoravimus, Sacrae Rituum Congregationi commisimus, ad sacrorum canonum et vigentis disciplinae praescripta expediendum. Res tam feliciter evenit, ut Cardinales eidem Sacrae Congregationi praepositi per Praefectum Venerabilem Fratrem Nostrum Antonium S. R. E. Card. Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, renuntiarint, se idem optare et demisse a Nobis efflagitare quod ceteri, supplicibus libellis oblatis, proposcerant.

suprema Nostra auctoritate s. Ephrem Doctorem Ecclesiae Universalis renuntiamus.

Itaque, Spiritu Paraclito invocato, suprema Nostra auctoritate sancto Ephrem Syro, Diacono Edesseno, titulum cum honoribus Doctoris Ecclesiae Universalis conferimus ratumque habemus, decernentes, eius festum diem, qui est duodevicesimus mensis Iunii, celebrandum ubique esse eadem ratione, qua dies natalis agitur ceterorum Ecclesiae Universalis Doctorum.

Adsit ipse s. Doctor universae christifidelium familiae, et ejus auspicio concidant tandem illa impedimenta, quibus tam conspicua pars christiani gregis separatur a mystica petra, super quam Christus Ecclesiam suam aedificavit.

Quare, Venerabiles Fratres, cum gaudemus hanc honoris et gloriae Sancto Doctori accessionem per Nos factam, tum confidimus simul fore, ut universae Christifidelium familiae, in tanta rerum asperitate, praesentissimus atque perstudiosus apud divinam clementiam deprecator ille adsit et patronus. Res item catholicis orientalibus novo sit argumento singularis eius curae atque studii, quo Romani Pontifices dissitas eas Ecclesias prosequuntur; quarum quidem legitimas consuetudines liturgicas canonicasque regulas, perinde ac decessores Nostri, volumus integras incolumesque perpetuo consistere. Utinam, affante Dei gratia et sancto Ephrem auspice, impedimenta illa concidant, quibus tam conspicuam christiani gregis partem

disiunctam dolemus a mystica petra, super quam Christus Ecclesiam suam aedificavit. Utinam quam primum felicissimus ille dies illucescat, quo omnium in animis erunt " sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi „ evangelicae veritatis verba " quae per magistrorum consilium data sunt a pastore uno „ [1].

Caelestium interea donorum auspicem et paternae caritatis Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et universo clero populoque unicuique vestrum concredito, apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die v mensis Octobris anno MDCCCCXX, Pontificatus Nostri septimo.

BENEDICTUS PP. XV

[1] *Ecclesiastes*, XII, 11.

ANALECTA ASCETICA ET MYSTICA.

Postquam de actibus quibusdam contemplationi praeviis aliqua documenta lectori obtulimus, nunc addimus quaedam

De ipsa contemplatione.

In memoriam revocata notione contemplationis de qua agitur (1), illico patebit hunc sermonem non esse de contemplatione sive rerum humanarum sive etiam Dei rerumque divinarum, quae fiat solius naturae viribus, sed de actu supernaturali contemplandi Deum resque divinas. Et cum haec rursum contemplatio distinguatur in *activam*, quae fit viribus quidem elevatis proprio vero conatu nostro, praemissis diversis aliis intellectus actibus ad orationem supernaturalem pertinentibus, quos supra ex S. Thoma enumeravimus (2), et quasi passivam seu strictiore sensu *infusam* a Deo (3), statim intelliges non hanc, quae a solo Deo ortum habet, directe saltem et immediate respici in adhortationibus ad exercendam contemplationem, quas in confirmationem doctrinae ea de re a nobis multis jam scriptis expositae, ex diversis Auctoribus mysticis heic proponemus. Profecto, in his respicitur contemplatio activa quam ipsi activitate propria, gratia quidem excitati et adjuti, exercemus, quaeque disponere potest ad infusam, quam Deus pro libitu et munifica gratuitaque voluntatis suae electione

(1) Vid. *Collat. Brugen.*, t. XIX, p. 5 sqq., coll. t. XVIII, p. 121 et sqq., et t. XVII, p. 496.

(2) *Collat. Brugen.*, t. XX, p. 307 et t. XVI, p. 387.

(3) Eamdem distinctionem, adhibita terminologia aliquatenus diversa, assertam invenies apud plures de re mystica scriptores, utputa Dionysium Carthus., v. g. *De fonte lucis*, art. XII et sqq.; Card. de Laurea, *De oratione christiana*, opusc. III, c. X; Massoulié, O. P., *Tr. de la véritable oraison*, praes. ch. I et II; Fulgent. Bottens, O. Min. (Cortracenum, † 1717), *Judicium pacifici Salomonis* [Apologia theologiae mysticae], praes. L. I, tr. II, c. IV; apud quos alii bene multi citantur. Addamus et S. Petrum de Alcantara, *Œuvres spirituelles* (trad. Bouix), praes. *Tr. de l'oraison*, ch. XII, 8e avis; S. Franç. de Sales, *Tr. de l'amour de Dieu*, praes. L. VI et VII; Boudon, *Du règne de Dieu dans l'oraison mentale* (Paris, 1770), praes. ch. VIII et ss.

alicui per gratiam extra ordinem forte largiatur. Et haec quidem ad vitam perfectam necessaria non est, dum illam omittere ac negligere illi non licet qui ad perfectionem contendere vult.

Haec igitur sola consideratio contemplationis activae nobis immediate practica est; quamquam sub alio respectu contemplatio stricte infusa suum quoque momentum practicum habet; scilicet, tum pro directore animarum electarum quas Deus donis extraordinariis gratificet, tum etiam pro omnibus, ut ex iis quae hujusmodi animabus et sanctis contigerunt eorumque doctrina rite intellectis fructum sanctificationis referant. Ea quoque de causa, post documenta de contemplatione activa, aliqua saltem addemus contemplationem infusam respicientia.

Primo loco ponimus excerptum aliquod ex libris *De vita contemplativa*, qui olim saepius S. Prospero adscripti fuerunt (1); sunt autem Juliani Pomerii qui exeunte saeculo quinto sanctitate vitae scriptisque claruit, de quo vide Migne, P. L., t. 59, p. 411 et sqq.

LIBRI PRIMI CAPUT XIII.

QUOD SACERDOTES SANCTI CONTEMPLATIVAE VITÆ FIERI PARTICIPES POSSINT.

1. Qui diligenter ea quae superius de vita contemplativa dicta sunt considerat, et, sufficienter instructus intelligit quando et ubi possit ejus perfectio comprehendi, non dubitabit Ecclesiarum principes vitae contemplativae posse et debere fieri sectatores: quia sive secundum

(1) Sic Grimlaicus in sua *Regula solitariorum* (id est, clericorum ac monachorum qui, speciali sub disciplina ejusdem regulae, ad vitam perfectiorem et ad sacrum ministerium efficacius obeundum sese praepararent atque exercerent), quam quidem regulam totam ex Patrum doctrina concinnavit, plura de vita contemplativa exscripsit ex Juliano sub nomine Prosperi. Ideo maluimus Julianum recitare, quamquam et Grimlaicus utiliter legi potest. Hujus *Regulam* primus edidit (Paris. 1653) Dom. Luc. d'Achery, e congregatione S. Mauri, cujus lege praefata *Lectori*. Id tamen adverte, ibidem aetatem assignari Grimlaico saeculum circiter nonum; per errorem id factum putamus: D. d'Achery non videtur attendisse Grimlaicum (cap. I) exemplum afferre S. Arnulphi Episcopi; Arnulphus vero seu Arnoldus vita functus est anno 1087, neque ulla probabilitas est non de hoc S. Arnoldo Suessionensi, sed de alio quodam eidem omnino simili esse sermonem.

opinionem quorundam nihil aliud sit vita contemplativa quam rerum latentium futurarumque notitia, sive vacatio ab omnibus occupationibus mundi, sive divinarum studium litterarum, sive, quod his probatur esse perfectius, ipsa visio Dei; non video quid impedimenti sanctis sacerdotibus possit afferri quominus ad haec quatuor quae commemoravi perveniant. Duo enim, primum et ultimum, id est, rerum latentium futurarumque notitia, et ipsa visio Dei, incomparabiliter praestantiora erunt in illa vita beata quam in ista, diversis erroribus implicata, quandoquidem tam rerum omnium notitia quam ipsa Dei substantia plene ac perfecte videbitur. Duo autem media, vacationem videlicet ab omnibus occupationibus mundi, et divinarum studium litterarum, etiam hic possunt habere pontifices; sed illi qui se ab omnibus implicamentis negotiorum saecularium removentes, non torpent otio, sed insistunt perfectionis suae negotio, et ab stultitia sapientiae saecularis aversi, verbo Dei infatigabiliter vacant, sapientes veraciter fiunt, coelestia sapiunt, terrena despiciunt, contradicentes sanae doctrinae redarguunt, obedientes instituunt, sanctis virtutibus, quibus in dies singulos fiant Deo propinquiores, incumbunt, et tam suis quam omnium qui per eos erudiuntur, profectibus clari, hic quidem velut gustum quemdam contemplativae vitae, quo ad eam ferventius provocentur, accipiunt: sed ibi jam in aeternum felices effecti, de ejus perfectione gaudebunt. Proinde non inflantur, quia hic omnium fidelium catholicorum honorantur ut capita; sed laetantur potius, quia ibi Christi, qui est sacerdotum ac fidelium omnium caput, clariora membra futuri sunt.

2. At si (quod absit) saecularibus negotiis implicati, fundorum terminos sine termino cupiditatis extendant, ac se passim exquisitis deliciis dedant, quae animum corpusque debilitant; si gloriam non Christi, sed suam, decepti vulgi adulantis honoribus quaerant, plusque de se alienae linguae quam suae conscientiae credant; si omne gaudium suum non in futurorum remuneratione, nec in sanctitate vitae, sed in sua tantum dignitate constituant, et cum tales esse quales creduntur, amant, nunquam sibi

displiceant, ac placentes sibi non sint de correctione solliciti: quis non intelligat, tales, si in talibus perseverent, nec se ante finem vitae praesentis emendent, contemplativae vitae participes esse non posse? ad quam non perveniunt, nisi qui studuerint esse quod facti sunt; nec affectant videri, sed esse quod sunt; non alienis laudibus, sed moribus suis eximii; nec solum de sua dignitate, sed potius de sacerdotalis vitae nobilitate conspicui: qui sunt non appellatione tenus, sed virtute pontifices, vitae contemplativae capaces, et gaudiorum coelestium cohaeredes.

CAPUT XIV.

UBI LOCUTOR SE EXCUSAT QUOD ECCLESIAE MAGISTROS DOCERE NON AUDEAT.

Ac ne cuipiam meus sermo praesumptuosus appareat, si quales non esse vel esse debeant omnes sacerdotes ostendat; non generaliter, sed de uno mihi video esse dicendum, et de te potissimum qui hoc mihi (pace tua dixerim) temere delegasti periculosi sermonis officium. Nec incognita vobis, sed usitata debeo comprehendere, quae solemus inter nos mutua confabulatione conferre. Quibus breviter declaratis, non puto quod relationem meam, magis quam disputationem quisquam juste possit alicujus temeritatis arguere; quasi patres meos audeam docere, a quibus normam vivendi accipere sum paratus et discere.

RESPONSA

ad quaestiones in Conferentiis mensis Octobris propositas.

I.

In Prologum Evangelii s. Joannis, I, 3-4.

Q. *Quomodo* legendum *(seu quonam modo distribuenda sunt varia incisa phraseum) et quomodo* intelligendum *est quod sic legitur in Vulgata (Ev. Jo., I, 3-4)* : « Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hominum : » ?

R. Textus modo citatus quam vario modo fuit ab antiquis et hodiedum a recentioribus distributus et intellectus. En praecipuae lectiones :

Prima : « *... et sine Ipso factum est nihil. — Quod factum est, in Ipso* (i. e. in Verbo) *vita erat* », scilicet : universa creata, antequam crearentur, jam aliquo sensu vitam habebant in Verbo, quatenus idealiter existebant in Verbo tanquam in causa sua exemplari. — Haec sententia fuit s. Augustini (1), s. Thomae (2), et Bossuet (3); eamdem suam fecit P. Calmes (4).

Secunda : « *... et sine Ipso factum est nihil. — Quod factum est, in ipso vita erat* », seu — per inversionem phraseos — in hoc ipso quod factum est, seu in mundo quem Verbum creaverat, erat vita (gr. sine articulo, quod bene verteres : *daarin was leven*) ; porro hanc vitam 1°) *alii*, ut Loisy (5), intelligunt *vitam supernaturalem*, vitam gratiae; ita : in hoc mundo, seu melius in hoc genere humano, quod Verbum creaverat, apparuit Verbum

(1) *In Jo., tract.* I, 16, 17.
(2) *Sum. Theol.*, I, q. 18, a. 4.
(3) *Elévations, 12e sermon, 10e élévation.*
(4) *L'Evangile selon saint Jean*, pp. 84 s., Paris, 1904.
(5) *Le prologue du quatrième Evangile*, in per. *Revue d'histoire et de littérature religieuse*, t. II. 1897, p. 53.

incarnatum, fons gratiae et vitae aeternae, et haec vita quae apparebat in Verbo erat pro hominibus lux salutis; 2°) *alii*, ut Van Hoonacker (1), intelligunt *vitam naturalem;* ita: hic mundus quem Verbum creaverat, erat donatus vita, et lux hominum, i. e. lux naturalis erat haec vita, seu principium et conditio hujus vitae naturalis (2).

Tertia: « *... et sine Ipso factum est nihil. — Quod factum est in Ipso, vita erat* », seu illa quae in Verbo, i. e. per Verbum ad existentiam devenerunt, vivebant. — Quae sententia fuit s. Hilarii et s. Epiphanii (3).

Hae tres sententiae in hoc conveniunt quod verba: *quod factum est* jungunt cum sequentibus. Et quantum ad hanc materialem distributionem phraseos negari nequit eam habere solidam auctoritatem apud antiquos. Etenim plerique Patres eam adoptasse leguntur (4), et hoc quamvis haeretici quoque eamdem admitterent ex eaque pro suis haeresibus fulciendis arguerent (5); multi quoque codices et versiones antiquae eodem modo textum dividebant. — Attamen quoad *interpretationem* textus, ipsi Patres discrepabant inter se, alii primae alii tertiae adstipulantes.

Quarta: « *... et sine Ipso factum est nihil quod factum est. — In Ipso vita erat* », seu Verbum erat fons vitae supernaturalis, vitae gratiae pro hominibus, et haec vita, sive melius Verbum, quod est principium vitae gratiae, erat lux hominum: Verbum erat pro hominibus principium vitae supernaturalis, quatenus eos lumine supernaturali doctrinae et gratiae suae illuminavit et sic ad vitam gratiae adduxit. — Haec lectio quae verba *quod factum est* jungit cum praecedentibus, teste s. Ambrosio,

(1) *Le prologue du quatrième Evangile*, in per. *Revue d'histoire ecclésiastique*, t. II, 1901, pp. 4 ss.

(2) Eadem distributio phraseos assumpta fuit in *De heilige Evangelien en de Handelingen der Apostelen* (*Canisius' uitgave*), sensu: " *Quod factum est, in ipso* (*Verbo*) *erat vita*, seu: Verbum erat fons vitae in mundo creato.

(3) Corluy, *Specilegium dogmatico-biblicum*, t. I, p. 151.

(4) Patroni citantur a P. Calmes, *l. c.*: Irenaeus, Clemens Alex., Theophylus, Origenes, Tatianus, Cyrillus Alex., Cyrillus Hieros., Eusebius, Epiphanius, Ephraem, Athanasius, Tertullianus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus.

(5) Ita Gnostici Valentiniani, Manichaei, Ariani, Macedonii. Cfr. Loisy, *a. c.*, pp. 49 s.

vulgata erat apud ipsi coaevos scriptores ecclesiasticos Alexandriae et Aegypti, vel, ut alibi dicit, erat admissa « a plerisque doctis et fidelibus »; admissa fuit a s. Joanne Chrysostomo et certe, elapsis primis saeculis, exinde per plura saecula usque ad ultima tempora communiter fuit retenta (1).

Quaenam ex his variis distributionibus textus sit praeferenda, editio officialis Vulgatae nostrae in incerto relinquit, siquidem, ut videre est in textu supra descripto, varia membra phraseos solis virgulis ab invicem distinguit (2).

Non ita obvium videtur litem certo discernere; ast in re difficili, en quae dicenda videntur :

1° Quod sententiam *primam*, s. Augustini, spectat : sane theologice verum est universa creata, antequam crearentur ab aeterno praeexstitisse exemplariter in Verbo divino; — ast non videtur haec sententia huc in textum s. Joannis inducenda. Etenim, aliis rationibus neglectis, a nimis violenta videtur haec interpretatio : *vita erat*, i. e. *vivebant exemplariter in mente divina ;* — b/ eo magis quod vocabulum *vita*, tam frequens in IV Evangelio, nullibi hoc sensu occurrit; — c/ imo hoc eodem vers. quarto bis occurrit idem vocabulum vita; si autem primo dictum est : creata erant *vita*, i. e. exemplariter existebant in mente divina, quomodo statim additur : haec vita, ἡ ζωή, erat lux hominum ?

2°/ Quod sententiam *secundam*, spectat : ne habeantur hujusmodi *interpretationes* tamquam traditionales ; etsi enim, ut diximus, etiam antiqui communius verba *quod factum est* ad sequentia reduxerint, nullus tamen ex antiquis has *interpretationes* proposuisse videtur. — Praeterea quod ipsas interpretationes spectat : a non arridet verba Joannis intelligi de vita et luce *naturali ;* etenim vocabulum *vita*, tam frequens in scriptis Joanneis, nullibi

---

(1) Omittimus *quintam* aliquam lectionem, quam nemo hodie tuetur, et quae tribuitur s. Epiphanio et s. Gregorio Nysseno : " ... *et sine ipso factum est nihil quod factum est in ipso. — Vita erat...* "

(2) Quod editiones hodiernas *graecas* attinet : inter catholicas, Hetzenauer, (1896) punctum ponit post ὃ γέγονεν : Vogels (1920), ante : — inter protestantes, Nestle (1906) post ; Von Soden (1913), ante.

hoc sensu occurrit, et *lux hominum* non obvie de luce naturali intelligi potest; praeterea putamus hanc interpretationem non quadrare cum processu logico idearum qualis in Prologo ponendus videtur (1); — b/ quod vero spectat alteram interpretationem : *in mundo, in genere humano quod creatum fuerat, apparuit Verbum incarnatum, fons vitae aeternae*, quamvis magis arrideat, plura tamen ei possunt opponi : satis contorta videtur constructio phraseos : *quod factum est, in ipso*, pro : *in ipso quod factum est* (2); — et nonne οὗτος in v. 4 (ἐν αὐτῷ) obvie eodem sensu intelligitur quo bis in v. 3, nempe de Verbo Incarnato (3)?

3°/ Quod sententiam *tertiam* spectat : videtur rejicienda, vel ex hoc quod admitti nequit ἐν αὐτῷ significare *per Ipsum*, dum statim antea et adhuc infra vv. 10 et 17 eadem causalitas expressa fuerit per δι' αὐτοῦ.

4°/ Quod tandem sententiam *quartam* spectat, illa quidem, inde a saec. V, per tot saecula communis, hodie non infrequenter impugnatur variis rationibus quae tamen non videntur rem plene conficere.

Ei enim opponunt :

a/ argumentum *auctoritatis* : tot enim Patres aliique scriptores antiqui (vide supra) non sic legerunt nec sic intellexerunt textum, quamvis sic potuissent facili negotio refutare omnes haereticos ex h. l. Joannis pro suis erroribus arguentes ;

b/ argumenta *intrinseca* : α/ si verba *quod factum est* jungimus cum praecedentibus, haec additio neque explicationem neque emphasim addit, sed est merus inutilis pleonasmus ; — β/ praeterea dum Prologus Joannis videtur, ad norman alicujus hymni per aequales fere stychos distincti compositus, hic contra in vv. 3-4 haberes unum stychum nimis longum : *Sine ipso factum est nihil quod factum est*, et alium nimis brevem : *in ipso vita erat* ; dum si phrasis separatur post *nihil*, duo stychi fiunt aequalis

(1) De hoc nexu logico idearum vide dicenda in fasc. *Collat. Brug.*, mense Februario 1921.

(2) Cfr. tamen satis similes constructiones I, 12 ; VI, 30 ; XVII, 2.

(3) Alia vide apud CALMES, *o. c.*, p. 85, et VAN HOONACKER, *o. c.*, pp. 8 s.

longitudinis; — γ/ item illa additione *quod factum est,* pessumdatur nitidus parallelimus inter haec duo : *omnia per ipsum facta sunt — et sine ipso factum est nihil; —* δ/ tandem expressio : *in Ipso vita erat* non est in stylo IV Evangelii, ubi potius exspectares : *Ipse, Verbum, erat Vita.*

Haec quidem varia argumenta suam vim habent, ast non videntur apodictica (1); aliunde in favorem lectionis quartae adduci potest tum auctoritas tot saeculorum inde a saec. V, — imo, teste s. Ambrosio (v. supra), jam plurium antiquiorum, — tum indoles obvia illius lectionis in se spectatae.

Conclusio. Non negamus probabilem esse lectionem *tertiam,* quae novam phrasim inchoat cum verbis : *Quod factum est...,* et quae hanc sic intelligit : In hoc quod factum est, in mundo a Verbo creato, apparuit Vita (2), et haec Vita, nimirum Verbum incarnatum, - fons vitae gratiae, erat lux pro hominibus, seu sese manifestavit hominibus, imo adhuc semper in tenebris, seu inter

---

(1) Argumento ex traditione quatuor primorum saeculorum opponi potest illud tamen non posse adduci qua argumentum criticae textualis, quasi inde demonstraretur ipsum Joannem sic conscripsisse suum textum et verba *quod factum est* junxisse cum sequentibus : Joannes enim pro more sui temporis non usus fuerit signis punctuationis, non separaverit phrases suas, imo nequidem litteris majusculis descripserit; unde antiquorum auctoritas unice allegari potest tamquam argumentum *interpretationis :* porro illorum antiquorum *interpretationem* moderni illi non admittunt, sed novam proponunt. — Ad argumenta vero *interna* responderi potest : *ad α :* non patet esse merus pleonasmus ; etenim Joannes in suo Prologo manifeste alludit ad Prologum libri Geneseos ubi refertur successiva creatio omnium rerum; quare non dixisset Joannes : sine Verbo nihil factum est ex omnibus illis quae in Genesi creari referuntur? — *ad β :* num dicta stychometria, tam stricta, vere intenta fuit a Joanne ? — *ad γ :* parallelismus satis manet etiam si secundo membro additur : *quod factum est;* — *ad δ :* tum in Evangelio tum in I epistola Jo. certe occurrit praeter expressionem: *Ego sum Vita,* expressio quoque: *in Verbo erat vita,* (cfr. v. 26 : Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam *in semetipso,* — et I Jo., v, 10 : Vitam aeternam dedit nobis Deus : et haec vita *in Filio ejus est) ;* imo expressio *in Verbo erat vita,* scil. vita divina nobis communicanda, magis propria est quam expressio : *Ego sum vita.*

(2) Vel melius forte adhuc cum *Canisius' uitgave* de qua supra : In mundo sic exorto, erat Verbum tamquam fons vitae pro hominibus.

homines malos et incredulos, lucet, et illae tenebrae lucem illam accipere noluerunt (1). — Nihilominus putamus etiam *quartae* lectioni, sensu supra exposito, solidam probabilitatem non posse denegari.

A. VANDER HEEREN.

II.

De fine proximo incarnationis.

Q. An et cur dicendum : « *Si homo non peccasset, nihilominus Deus incarnatus fuisset* » ?

Praenotanda. — Diversimode respondent theologi ad hanc quaestionem : prima quaedam sententia tenet *adaequatum et unicum finem proximum* incarnationis esse *ipsum opus redemptionis,* ita ut, si homo non peccasset, Deus incarnatus non fuisset; altera vero theoria docet *non ipsam redemptionem, sed* aliud bonum altius atque generalius, scilicet *beatitudinem supernaturalem omnis creaturae* intellectualis, *humanae* et etiam *angelicae, sub capite Christo,* fuisse a Deo *proxime intentam,* adeo ut, si homo non peccasset, nihilominus Deus incarnatus fuisset. In hac hypothesi Verbum induisset carnem impassibilem : nunc autem, quia homo lapsus est, Deus carnem passibilem assumpsit. — S. Thomas propugnat priorem sententiam; Jo. D. Scotus subtili ratione commendat alteram opinionem, quam etiam Alexander Halensis et b. Albertus Magnus jam prius defenderunt.

Advertatur sedulo controversiam coarctari ad solum finem proximum incarnationis, quoniam semper obtinuit

(1) Caeteroquin notabis quoad processum logicum idearum in prologo non oriri discrimen, sive hanc lectionem, sive aliam consuetam nobis admittas. Etenim quovis modo legas, manet quod Joannes 1°/ agit de Christo in sua praeexistentia divina : ab aeterno erat apud Deum Patrem, ipse Deus; — 2°/ agit de Christo in sua relatione ad universa creata : omnia per Ipsum ad existentiam devenerunt; — et 3°/ agit de Christo in sua relatione ad genus humanum : in mundo apparuit tamquam vita et lux pro hominibus (vel : in Ipso erat vita, et sic apparuit hominibus, lux pro illis).

et adhuc obtinet unanimis consensus circa incarnationis *finem ultimum*, quem esse gloriam Dei, creaturis manifestandam et ab eisdem agnoscendam, omnes ad unum profitentur.

Jam vero « ea quae ex sola Dei voluntate proveniunt supra omne debitum creaturae, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit » (1). Hisce verbis s. Thomas tutum ac verum principium enuntiat, quo hanc controversiam dissolvere licebit; itaque quid ex revelatione appareat, requirendum manet.

R. — Propter manifestam doctrinam; tum *sacrae Scripturae*, quum *Traditionis*, *convenientius dicendum* videtur incarnationem fuisse a Deo ordinatam in remedium contra peccatum, ita ut, *peccato non existente, incarnatio non fuisset*.

I. **S. Scriptura.** — 1. Et enim quoties, in sacris Litteris V. T., Christus venturus praesignatur, toties, *praecipue ut redemptor generis humani describitur :* ipse conteret caput serpentis antiqui (2); ipse vulneratus propter iniquitates nostras, attritus propter scelera nostra (3), medebitur contritis corde et praedicabit annum placabilem Domino (4); delebit omne peccatum et auferet iniquitatem terrae (5).

In N. T. pariter, — omissis omnibus testimoniis, in quibus clare proponitur quemadmodum Christus has omnes prophetias adimpleverit, quoniam « dedit semetipsum pro peccatis nostris » (6) et « lavit nos a peccatis

(1) S. Thomas, *Sum. Theol.*, III, q. 1, a. 3, c.
(2) *Gen.*, III, 15, juxta textum hebraicum.
(3) *Isaias*, LIII, 5.
(4) *Ibid.*, LXI, 1 s.
(5) *Dan.*, IX, 24 et *Zach.*, III, 9. — Recte advertit Card. Billot, *De Verbo Incarnato*, p. 36, Romae, 1900³ : " Et sicubi aliae rationes afferuntur, semper inveniuntur pertinere ad remedium malorum quae protoparentis peccatum invexerat, sicut cum Christus dicitur futurus doctor et praeceptor hominum, congregaturus gentes divisas, novum atque aeternum foedus initiaturus, etc. ".
(6) *Gal.*, I, 4; cf. *I Cor.*, XV, 3; *I Petr.*, III, 18; *I Jo.*, II, 2.

nostris in sanguine suo » (1), factus « peccatum pro nobis..., ut nos efficeremur justitia Dei in ipso » (2), — praeterea *diserte affirmatur ipsum apparuisse in terra* « *ut* peccata nostra tolleret » (3); ad hoc *missus* a Patre « *ut* eos, qui sub lege erant, redimeret » (4); *ut* quaereret et salvaret quod perierat (5). Et revera « impossibile (erat) sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam... In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel » (6).

Indubium ex his textibus videtur Christum *hac de causa venisse* in mundum *ut homines redimeret*, quod aliunde confirmatur vel ex ipso nomine Jesu, divinitus imposito (7), quippe quum salvatorem significet.

2. Attamen non negant fautores alterius opinionis Dominum nostrum esse de facto redemptorem generis humani, sed *aliud et altius munus* ipsi assignandum esse contendunt, quod eruere conantur ex aliis quibusdam testimoniis sacris, in quibus generaliori ratione dicitur Christum fuisse constitutum « caput supra omnem ecclesiam » (8), « ut sit in omnibus ipse primatum tenens » (9), quoniam Deus proposuit « instaurare omnia in Christo, quae in coelis, et quae terra sunt » (10). Igitur, aiunt, aliud et altius motivum fuit cur Deus incarnatus fuerit.

Jam age ut argumentum ex his locis, in favorem alterius sententiae, *peremptorie* concluderet, oporteret insuper

(1) *Apoc.*, I, 5; *I Petr.*, I, 18 s.; *I Jo.*, I, 7.
(2) *II Cor.*, V, 21.
(3) *I Jo.*, III, 5; cf. etiam *ibid.*, IV, 10; *Rom.*, VIII, 3 et 4.
(4) *Gal.*, IV, 4 et 5.
(5) *Luc.*, XIX, 10; *Mt.*, XVIII, 11; *Jo.*, III, 17; *I Tim.*, I, 15.
(6) *Hebr.*, X, 4-7, 10; vide adhuc *ibid.*, II, 14; V, 1 s.; IX, 26 et 28.
(7) Cf. *Mt.*, I, 21 s. coll. *Lc.*, I, 31.
(8) *Ephes.*, I, 22. — De hoc loco lege *Coll. Brug.*, XVI, p. 398.
(9) *Coloss.*, I, 18 et nota, quia ex contextu arguunt, in v. praec. 15 agi de ipso Verbo Dei; ita pariter *Prov.*, VIII, 22. — Ad interpretationem hujus loci epist. ad Coloss. vide Prat, *La Théologie de saint Paul*, I, p. 398, Paris, 1909 [3].
(10) *Ephes.*, I, 10. — Cf. *Coll. Brug.*, XX, p. 228 s.

demonstrare angelos gratiam et gloriam accepisse dependenter ab incarnatione Christi et merito ipsius (1), et ita quidem ut Christus constitutus fuerit *caput omnis creaturae antecedenter* (in signo rationis) ad praevisum peccatum hominis (2).

Atqui hoc non probatur, sed, *supposita incarnatione*, debitum est ut Christus, Deus-homo, habeat principatum supra omnes creaturas (3), (licet alia et alia ratione quoad angelos et quoad homines) (4), et in hac suppositione textus allati et omnes similes optime explicantur (5).

Quando postulatur igitur, cur Deus incarnatus fuerit, respondetur : juxta Scripturam, ut homines redimeret. Ad quaestionem autem : an Deus incarnatus fuisset, si homo non peccasset, replicatur cum s. Thoma : « cum in sacra Scriptura ubique incarnationis ratio ex peccato primi hominis assignetur », et nulla alia causa ubilibet in sacris Litteris reperiatur, « *convenientius dicitur* incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum; ita quod, peccato non existente, incarnatio non fuisset » (6).

---

(1) Cf. Van der Meersch, *Dissert. de gratia capitis in Christo*, apud *Coll. Brug.*, XIV, p. 239 " Angelis non influit Christus, saltem secundum probabilem sententiam, substantiam gratiae et gloriae, nec producit in ipsis essentialem sanctitatem supernaturalem.... Angeli enim, probabiliter saltem, gratiam et consequentem gloriam acceperunt, independenter ab incarnatione Christi et a merito ipsius „.

(2) Cf. Prat, *o. c.*, II, p. 255, n. 2, Paris, 1912.

(3) Cf. alioquin *Philipp.*, II, 8 s.: " Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem,... propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est supra omne nomen : ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum „.

(4) Cf. Van der Meersch, *l. c.*, p. 238 s.

(5) Hac ratione etiam intelligi possunt verba Conc. Trid., sess. VI, in decreto de justificatione, cap. 7 : " Hujus justificationis causae sunt, finalis quidem : gloria Dei et Christi ac vita aeterna „ *(Enchir. Symb.*, n. 799.)

(6) *Sum. Theol.*, III, q. 1, a. 3. c. — In *Comm. in lib. III Sent.*, dist. 1, q. 1, a. 3, s. Thomas utramque sententiam probabilem dixit; nunc pariter alteram non excludit absolute, sed notat : quantum ex revelatione constat, ad quam recurrere oportet in talibus controversiis, prior sententia magis cum hac revelatione concordat. Ita etiam s. Bonaventura, in loco, quem infra citabimus. Addit s. doctor seraphicus hanc alteram theoriam, quam ipse priorem modum vocat, " magis consonare judicio rationis „ *(Comm. in lib. III Sent.*, dist. 1, a. 2, q. 2, in edit. lugd., a. 1668, t. V, p. 11, E), quoniam *ob eminentem dignitatem* incarnationis in se spectatae, congruum esset, etiam absolute loquendo, ut Deus carnem humanam assumeret; lege François de Sales, *Traité de l'amour de Dieu*, II, ch. 4 et 5.

II. **Traditio.** — In favorem secundae sententiae tamquam argumentum traditionis, praesertim adducuntur quaedam verba s. Cyrilli, episcopi alexandrini, sed hoc testimonium nullatenus rem conficit, quoniam s. auctor, loco laudato, divinitatem Christi adversus arianos vindicat. Quando affirmat itaque generationem Dei Filii non esse factam propter utilitatem hominis, generationem *aeternam* Verbi prae oculis habet; quare ex hoc textu nihil in adjumentum alterius theoriae concludere licet.

Ad demonstrandam vero priorem opinionem ex Traditione, et in oppositione ad hoc prius testimonium, afferre fas est alteram seriem textuum, in quibus signanter enuntiatur Deum incarnatum fuisse propter salutem hominum; attamen hos omnes textus omittimus ut quaedam solummodo testimonia transcribamus, quae ad ipsam quaestionem *totidem verbis*, et quidem *in sensu s. Thomae*, respondent.

Ita s. Irenaeus : « Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset ». — Origenes : « Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri ». — S. Athanasius : « Ipsum Verbum nequaquam homo factum esset, nisi causa fuisset hominum necessitas ». — S. Augustinus : « Si homo non perisset, Filius hominis non venisset ». — Ipse s. Cyrillus ; « Nisi enim peccassemus, non factus fuisset (Unigenitus) nostri similis ». — S. Leo Magnus : « Si homo.... in suae honore naturae mansisset..., creator mundi creatura non fieret ». — Tandem s. Gregorius Magnus : « Nisi primus homo delinqueret, secundus ad passionis probra minime veniret » (1).

(1) S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, V, xiv, 1 (P. G., VII, 1161). — Origenes, *In Num. hom.* xxiv, 1 (P. G., XII, 756). — S. Athanasius, *Adv. Arianos or.* ii, 56 (P. G., XXV, I 268). — S. Augustinus, *Sermo* clxxiv, 2, 2) P. L., XXXVIII, 940) et aliis in locis, ita v. g. in *Enchir., sive De fide, spe et carit.*, 108 (P. L., XL, 280). — S. Cyrillus alex., *De sancta et consubst. Trinit.*, 5 (P. G., LXXV, 968). — S. Leo m., *Sermo* lxxvii, 2 (P. L., LIV, 412). — S. Gregorius m., *Moralia*, III, xiv, 26 (P. L., LXXV, 612). Verum contra haec testimonia objiciunt, et hanc difficultatem jam novit s. Bonaventura (*ibid.*, p. 11, D); " eas (auctoritates) intelligi secundum quod incarnatio dicitur carnis mortalis et passibilis assumptio „, et revera loquuntur sancti Patres in hypothesi lapsus; attamen non affirmant Deum incarnandum fuisse si homo non peccasset, et de hac controversia agitur.

Conclusio. — Uti s. Thomas scite animadvertit, potentia Dei ad hoc opus nostrae redemptionis certo certius non limitatur; « potuisset enim, etiam peccato non existente, incarnari » (1); exinde tamen, arguendo ex congruentia, nihil contra thesim objicere licet. Et revera, quod recte omnino notat Reverendissimus D. Episcopus : « Deum potuisse alios ordines eligere, eosque multiplices, in quibus absque peccato creaturae Verbum assumpsisset aliquam naturam creatam, non negamus : atvero nihil novimus de hujusmodi aliis ordinibus, et quis scire potest quid in his facturus fuisset Deus? Ne congruentiae quidem argumenta, ut nobis videtur, afferri possunt in favorem incarnationis Verbi extra hypothesim praesentis ordinis » (2).

Cum s. Thoma igitur eligimus *priorem sententiam*, uti *magis consentaneam* tum *Scripturae*, quum *Traditioni;* eamdem etiam commendat s. Bonaventura, quoniam, ait : « auctoritatibus sanctorum et sacrae Scripturae magis concordat... Et ideo si divina eloquia nobilissimam et praecipuam incarnationis rationem assignant, et nihil etiam a nobis dicendum est, praeter ea, quae nobis ex sacris eloquiis clarent,... magis videtur pietati fidei consonum, quod praecipua incarnationis ratio sit, liberatio generis humani, quam aliter sentire » (3).

In hac sententia etiam melius intelligitur quomodo Ecclesia canere possit : « O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere redemptorem », Filium Dei, « qui propter nos homines et propter nostram salutem, descendit de coelis. Et incarnatus est » (4).

H. Lamiroy.

(1) *Sum. Theol.*, III, q. 1, a. 3, c.
(2) *Dissertatio de origine mali*, apud *Coll. Brug.*, XIX, p. 617, n. 3.
(3) *Comm. in lib. III Sent.*, dist. 1, a. 2, q. 2 (ed. lugd., p. 11, et p. 12, A).
(4) In benedictione cerei paschalis et in symbolo nicaeno ad Missam.

III-IV.

De sollemni administratione Baptismi.

Q. I. Explica can. 755 § 1 : " *Baptismus sollemniter conferatur, salvo praescripto can. 759* ...

R. Canon 755, cum unice spectet licitam baptismi administrationem, statuit: 1) ad licitam sacramenti collationem postulari ut baptismus sollemniter conferatur : 2) excipi ab hac norma generali solos casus de quibus in can. 759 agitur.

Explicatur. I. *Quod spectat regulam generalem* : 1/ Quamvis, secundum normam datam, licita collatio postulet ut baptismus sollemniter administretur, non ideo tamen omnis sollemnis baptismi collatio ex omni parte fit licita. Etenim, can. 755 unam tantum memorat ex conditionibus multiplicibus quae requiruntur ut praedictum sacramentum licite conferatur.

2/ Juxta Codicem Juris, can. 737 § 2, baptismus : « Cum ministratur servatis omnibus ritibus et caeremoniis quae in ritualibus libris praecipiuntur, appellatur *sollemnis* ; secus, *non sollemnis* seu *privatus* ».

Itaque, a/ baptismus vocatur sollemnis unice ratione caeremoniarum quibus circumdetur oportet et quamvis speciales circumstantiae temporis et loci ad majorem sollemnitatem haud parum conferre possint (1), istae tamen

(1) Huc spectat praeprimis can. 772 : " Etiam sollemnis baptismus qualibet die administrari potest; decet tamen adultorum baptismum, secundum antiquissimum Ecclesiae ritum, conferri, si fieri commode queat, in pervigilio Paschatis et Pentecostes, praecipue in metropolitanis aut cathedralibus ecclesiis „. Sabbatum sanctum opportune eligitur in diem sollemnis administrationis sacramenti, de quo s. Paulus ad Romanos scribit : " An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem : ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus : simul et resurrectionis erimus „. Similis ratio militat in favorem pervigilii Pentecostes. In die enim Pentecostes missus est Spiritus Sanctus, omnis gratiae largitor. Praeterea hisce diebus benedicitur ab Ecclesia aqua baptismalis et speciales preces pro baptizandis funduntur.

Locum quod spectat, aedes sacrae, in quibus baptisterium datur, et praeprimis paroecialis et cathedralis ecclesia, aptius baptismi administrationi conveniunt (can. 773).

circumstantiae non ingrediuntur ipsius sollemnis baptismi definitionem.

b/ Ut baptismus vocetur sollemnis postulatur ut *omnibus* suis caeremoniis circumdetur. Quare privatus appellatur quotiescumque, ad normam can. 759, a sacerdote confertur in periculo mortis, servatis tantum caeremoniis quae collationem sacramenti sequuntur, quamvis caeteri ritus postea suppleantur.

Nota. α) Praecipitur ut in baptismo sollemni aqua ad hoc benedicta adhibeatur (can. 757). — β) Juxta can. 738, minister ordinarius baptismi sollemnis est sacerdos. Extraordinarius vero minister est diaconus (can. 741), cui in ordinatione sacra dictum est : « Diaconum oportet baptizare » (1). — γ) Expraemissis elucet cur *proprius* baptismi sollemniter administrandi locus sit baptisterium in ecclesia vel oratorio publico (can. 773), quippe quod multiplici ex capite sacramento conferendo et caeremoniis adhibendis congruit.

3/ Convenientia hujus normae generalis, ab Ecclesia praescriptae, sponte elucet cum caeremoniae de se natae sint ut ipsum sacramentum circumstent : ejus naturam et efficaciam declarent et ipsi ornamento sint et decori (2).

II. *Excipiuntur a regula generali casus duo,* qui determinantur in can. 759.

A. Canon 759 § 1 sic sonat : « *In mortis periculo baptismum privatim conferre licet; et, si conferatur a ministro qui nec sacerdos sit nec diaconus, ea tantum ponantur, quae sunt ad baptismi validitatem necessaria; si a sacerdote vel diacono, serventur quoque, si tempus adsit, caeremoniae quae baptismum sequuntur* ».

---

(1) Quamvis sacerdos sit minister ordinarius baptismi sollemnis, tamen, juxta can. 738, hujus sacramenti collatio reservatur parocho vel alii sacerdoti de ejusdem parochi vel Ordinarii loci licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur. Ita etiam, juxta can. 741, diaconus, sua potestate ne utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentia, justa de causa concedenda, quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur. Notemus tamen benedictionem salis sacerdoti reservari.

(2) *Coll. Brug.*, II, p. 356.

Explicatur. 1 Dicitur : « *In mortis periculo baptismum privatim conferre licet* ».

Ecclesia, secundum nostram sententiam, neglecta in praxi quavis distinctione inter mortem magis et minus imminentem, statuit in *omni* positivo mortis periculo baptismum privatim conferendum esse.

a/ Quo melius haec intelligamus, juvat, comparationis instituendae gratia, quaedam referre quae in Rituali Romano circa collationem extremae unctionis statuuntur. Haec np. non obstante *positivo mortis periculo* praeviis variis orationibus administratur, sed, *si tempus non patiatur* orationes istae ex parte vel in totum omittuntur(1), imo jubetur ut « si quis laboret in extremis et *periculum immineat, ne decedat antequam finiantur unctiones*, cito ungatur..... et deindé, si adhuc supervivat, dicantur orationes praetermissae, suo loco positae » (2).

b/ Praeterea, quia omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur (can. 2), rationem habeamus oportet de iis quae a Rituali Romano in praesenti materia praecipiuntur. Jamvero, titulo II, cap. 2, n. 28-30, haec statuuntur : « Si infans, vel adultus aegrotus, *adeo graviter laboret, ut periculum immineat, ne pereat antequam baptismus perficiatur*, sacerdos, omissis quae baptismum praecedunt, eum baptizet..... deinde, si habeat chrisma, lineat eum in vertice. Postea dat ei linteolum candidum... ac demum dat ei ceream candelam accensam. Si supervixerit, suppleantur alii ritus omissi ».

Si quis comparationem instituit inter terminos quibus Rituale Romanum agendo de extrema unctione et de baptismo utitur, censebit forsan non in quovis mortis periculo hoc alterum sacramentum privatim conferendum esse, sed unice quando adeo urget mors ut periculum sit ne decedat quis antequam ablutio perficiatur.

c/ Verum, inquiramus oportet quomodo ipsa Ecclesia suas leges authentice interpretetur.

---

(1) *Rit. Rom.*, tit. v, cap. 2, n. 6.
(2) *Rit. Rom.*, tit. v, cap. 1, n. 10.

Atqui α/ S. Congr. de Prop. Fide (c. p. pro Sin.), die 27 januarii 1805 statuit « posse sed *non debere* (missionarios) occasione qua infantes, in periculo mortis constitutos in privatis locis baptizant, adhibere, *si tempus ferat*, omnes caeremonias quae in Rituali Romano pro baptismo sollemni praescribuntur ». Secundum hoc decretum *licebat* neophytos, in quovis positivo mortis periculo constitutos, privatim baptizare.

β/ Paulo post, anno 1820, *decrevit* S. Rituum Congregatio ut in praedictis adjunctis sacramentum semper privatim administraretur. Nam, cum parochus aliquis in casu necessitatis periclitantem puerum, stola *violacea* indutus, domi baptizaverat, eique s. Chrisma et *oleum catechumenorum* (1) quod secum deferebat, imposuerat, s. Rituum Congregatio, circa liceitatem hujus agendi modi interrogata, respondit : « Parochum male se gessisse, baptizando cum stola *violacea*, et liniendo puerum periclitantem extra ecclesiam, oleo etiam *catechumenorum*. In casu enim necessitatis, *juxta Ritualis praescriptum, omnia sunt omittenda quae baptismum praecedunt*, quaeque postmodum supplenda sunt in ecclesia, ad quam praesentandus est puer cum convalescit » (2). Secundum hoc decretum, quod expresse interpretatur Ritualis praescriptum, in positivo mortis periculo, neglecta quavis distinctione inter mortem magis et minus imminentem, praecipitur ut baptismus privatim conferatur.

γ/ Eamdem interpretationem postea praeclare reassumpsit S. C. S. Officii, die 5 septembris 1877, in instructione ad archiep. Portus Principis, in qua haec docet : « .... Item quaesieras « an sacerdos qui domi in casu necessitatis baptismum conferre debeat, illud administrare queat cum omnibus ritibus et caeremoniis praescriptis, quando praevidet vel infantem certo esse moriturum, vel parentes infantem ad ecclesiam non esse delaturos ad supplendas caeremonias ritusque omissos. » Quo desuper

(1) Ungitur infans oleo catechumenorum ante ablutionem baptismalem.

(2) *Decr. S. C. Rituum*, 23 sept., 1820 (Calaguritana et Calceaten.). Cf. *Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide*, I, n. 750, Romae, 1907.

iidem Emi Dni casum a casu discernentes dixerunt primo ignotum minime tibi esse posse statutum Ritualis Romani in haec verba : « *Si infans vel adultus graviter laboret, ut periculum imminent ne pereat antequam baptimus perficiatur*, sacerdos, omissis quae baptismum praecedunt, cum baptizet, ter vel etiam semel infundens aquam super caput ejus in modum crucis dicens : *Ego te baptizo, etc.* Si non habeatur aqua baptismalis, et periculum impendat, sacerdos utatur aqua simplici ». Necessitati scilicet in re tanti momenti omnino parendum. *Cum vero extra mortis periculum*, una vel alia de causa debeat domi baptisma conferri, tunc fiet locus tutissimae theologorum doctrinae quae tradit quod sacerdotes in casu possint, imo teneantur uti illis caeremoniis *quibus possunt uti* ». Itaque, discernit S. C. S. Officii adjuncta in quibus adest mortis periculum ab adjunctis in quibus tale periculum abest, et quamvis in altero casu distinguat adhuc inter circumstantias in quibus caeremoniae adhiberi possint et illas in quibus hoc fieri nequeat, tenet practice in priori casu non esse ulterius distinguendum et baptismum privatim esse conferendum.

Remanet igitur ut concludamus: in periculo mortis sacramentum, ante Codicem promulgatum, domi administrabatur et juxta authenticam Ritualis Romani interpretationem practice privatim tantum conferri poterat (1).

Itaque, ad normam can. 2 et 6, censemus canonem 759 § 1 *non tantum permittere sed praecipere* ut practice, in positivo periculo mortis *imminentis vel non*, baptismus privatim administretur.

2. Dicitur : « *Et, si conferatur a ministro qui nec sacerdos sit nec diaconus, ea tantum ponantur, quae sunt ad baptismi validitatem necessaria* ».

Ne longius a scopo nostro aberremus, sufficiat, explica-

(1) Decretum S. C. S. Officii, die 10 aprilis 1861, (*Collectan.*, I, n. 1213), statuit periculose decumbentes, qui probabiliter nunquam ante mortem propter infirmitatem et periculum ad templum deferri poterunt, sollemniter domi baptizari. Sed, arbitramur agi de aegrotantibus qui nondum in positivo mortis discrimine versantur.

tionis causa, referre tenorem can. 742, juxta quem in § 1. Baptismus non sollemnis, de quo in can. 759 § 1, potest a quovis ministrari, servata debita materia, forma et intentione; quatenus vero fieri potest, adhibeantur duo testes vel saltem unus, quibus baptismi collatio probari possit. — § 2. Si tamen adsit sacerdos, diacono praeferatur, diaconus subdiacono, clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare, vel nisi femina noverit melius formam et modum baptizandi. — § 3. Patri aut matri suam prolem baptizare non licet, praeterquam in mortis periculo, quando alius praesto non est, qui baptizet.

3. Additur : « *Si a sacerdote vel diacono (administretur), serventur quoque, si tempus adsit, caeremoniae quae baptismum sequuntur* ».

a) Ritus, de quibus fit sermo, determinantur in Rituali Romano loco jam pluries citato, ubi statuitur : « Si non habeatur aqua baptismalis, et periculum impendeat, sacerdos utatur aqua simplici. Deinde, si habeat chrisma lineat eum in vertice... postea dat ei linteolum candidum... ac demum dat ei ceream candelam accensam ».

b) Caeremoniae a solis sacerdotibus et diaconis, qui ad hoc stola induantur alba, adhiberi possunt.

c) Praetermittuntur, deficiente tempore, quotiescumque baptizandus statim post ablutionem sacramentalem decedit vel quotiescumque caeremoniae unum morale cum baptismo efformare nequeunt, v. g. si nimium tempus elaberetur antequam s. chrisma, quod casu prae manibus non habetur, afferri posset. In hoc altero eventu, caeremoniae in ecclesia suppleantur.

B. *Quod attinet alterum casum exceptum*, haec fert canon 759 § 2 : « *Extra mortis periculum baptismum privatum loci Ordinarius permittere nequit, nisi agatur de haereticis qui in adulta aetate sub conditione baptizentur* ».

Explicatur. Quaestio est 1/ de iis qui in *haeresi privatim* baptizati sunt, uti ex can. 760 eruere licet ; imo 2/ de solis haereticis agitur qui *in adulta aetate* iterum baptizantur ;

infantes enim qui in haeresi dubie et absque caeremoniis baptizati sunt, sollemniter(1) baptizari debent (canon 760); denique tandem 3 supponitur sacramentum *sub conditione* iterari quia, si absolute iteratur, baptismus sollemnis conferatur oportet.

Nota. 1 Baptismus sollemnis olim in domibus haereticorum (2) conferri non poterat, quia « ecclesiastica regula cautum est ne coram haereticis in eorum domibus (sollemnitates) adhibeantur » (3). Quamvis, attento can. 755 § 1 et norma generali in can. 6 descripta, legem hanc abrogatam esse arbitremur, occurrente tamen casu, omnis communicatio in divinis sedulo vitetur oportet.

2/ Juxta can. 759 § 3, caeremoniae quae in baptismi collatione praetermissae quavis ratione fuerint, quamprimum in ecclesia suppleantur. Attamen, si agitur de haeretico adulto qui, de licentia Ordinarii, privatim et sub conditione baptizatus est, caeremoniae non amplius supplendae sunt.

3/ Si quis, privatim baptizatus, ante mortem probabilissime nunquam deferri poterit ad templum, propter infirmitatem et periculum, statuit S. C. S. Officii, die 10 aprilis 1861, hujusmodi infirmo domi caeremoniae suppleri posse et debere. Quod conforme est principiis in instructione S. C. de Prop. Fide, die 30 augusti 1775 (4) expositis et postea in instructione S. C. S. Officii, die 5 septembris 1877 confirmatis (5). Et quamvis haec disciplina in novo codice expresse non reassumatur, non auderemus negare eam implicite contineri in can. 759 § 3, quo Ecclesia adhuc eamdem ostendit voluntatem ne scil. priventur baptizati bonis spiritualibus quae ex sacris caeremoniis in animabus multipliciter derivantur.

4/ Adulto catholico, qui infans fuit privatim bap-

---

(1) *Decr. S. C. S. Officii*, 2 april., 1879 Nottingham.). Cf. *Collectan.*, II, n. 1516.

(2) Collatio baptismi in domibus *infidelium* non cadit sub hac regula, juxta decretum S. C. de Prop. Fide, 30 aug., 1775. Cf. *Collectan.*, I, n. 510.

(3) *Decr. S. C. S. Officii*, 21 jan., 1767. Cf. *Collectan.*, I, n. 465.

(4) Ad mission. Loanghi; de mandato Pie VI, in Congr. Gen. S. Off., die 27 julii. Cf. *Collectan.*, I, n. 510.

(5) ad archiep. Portus Principis Cf. *Collectan.*, II, n. 1480.

tizatus, caeremoniae supplendae eae sunt quae in Rituali Romano pro baptismo infantium assignantur (1).

5/ Loci Ordinarius potest gravi et rationabili de causa indulgere ut caeremoniae praescriptae pro baptismo infantium adhibeantur in baptismo adultorum (can. 755 § 2).

Inter fontium annotationes occurrunt, hoc loco, litterae S. C. S. Officii, 19 maii 1879, ad archiep. Parisien. (2), juxta quas « baptizari possunt, servato ordine baptismi parvulorum, ii pueri neophyti qui scholis catholicis admissi baptizantur ante primam Communionem ». Itaque, non obscure innuitur, occurrente casu in hisce litteris praeviso, a loci Ordinario debitam licentiam deinceps expostulandam esse. Caeterum, ipse Codex expresse definit (can. 745 § 2) : « cum agitur de baptismo : Parvulorum seu infantium nomine veniunt... qui nondum rationis usum adepti sunt, eisdemque accensentur amentes ab infantia, in quavis aetate constituti ». Ex quibus concludamus oportet pueros neophytos, scholis catholicis admissos, qui adepti sunt usum rationis, deinceps ritu adultorum esse baptizandos nisi loci Ordinarius indulgeat ut ritus infantium adhibeatur.

Q. II. *Expone in quonam loco baptismus sollemniter conferri possit.*

R. Baptismus, sub praesenti disciplina in aedibus sacris vel etiam domi sollemniter confertur.

Explicatur : 1. Dicitur : *in aedibus sacris vel etiam domi.*

a/ De regula generali, baptismus sollemnis in *ecclesia* administrari debet. Etenim, proprius baptismi sollemnis administrandi locus est baptisterium in ecclesia, vel oratorio publico (can. 773).

α/ Sane, nomine ecclesiae hoc loco praeprimis paroecialis ecclesia venit. Quare, cum ecclesiae quaedam cathedrales vel matres retinerent olim jus exclusivum fontium, et ecclesiae paroeciales, ab ipsis decursu tem-

(1) *Decr. S. C. Rituum*, 27 aug., 1836 (Rhedonen.). *Collectan.*, I, n. 850.
(2 Cf. *Collectan.*, II, n. 1520.

poris separatae, baptisterio privatae existerent, statuit can. 774 § 1 ut « quaelibet paroecialis ecclesia, revocato ac reprobato quovis contrario statuto vel consuetudine, baptismalem habeat fontem, salvo legitimo jure cumulativo aliis ecclesiis jam quaesito ». Itaque, si aliqua ecclesia paroecialis baptisterium non habeat, parocho incumbit officium providendi ut in ecclesia sua fons baptismalis ponatur, quin propterea alia ecclesia vel oratorium publicum, quod inter ejusdem paroeciae limites legitimo jure fontis gaudet, jure cumulativo privari possit.

β/ Subsidiarie autem : « Loci Ordinarius potest pro fidelium commoditate permittere vel jubere ut fons baptismalis ponatur etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines » (can. 774 § 2). Imo, in aliquo casu particulari, « Si ad ecclesiam quae jure fontis gaudet, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adjuncta, sine gravi incommodo aut periculo, accedere aut transferri nequeat, baptismus sollemnis a parocho conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio publico intra paroeciae fines, licet haec baptismali fonte careant » (can. 775).

b/ Ex praedictis satis superque elucet baptismum sollemnem, exceptionaliter tantum in *domibus privatis* esse administrandum.

Nimirum, juxta can. 776 § 1, exceptio non admittitur nisi hisce in adjunctis :

« 1° Si baptizandi sint filii aut nepotes eorum qui supremum actu tenent populorum principatum vel jus habent succedendi in thronum, quoties isti id rite poposcerint.

2° Si loci Ordinarius, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, justa ac rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit ».

In eodem canone § 2 statuitur : « In memoratis casibus baptismus conferendus est in sacello domus aut saltem in alio decenti loco, et aqua baptismali de more benedicta » (1).

(1) Cf. *Bil. Rom.*, tit II, cap. 1, n. 29.

Itaque, *domi sollemniter* baptizari possunt :

α) Secundum can. 776 § 1 ad 1m : Si id rite poposcerint : 1) filii aut nepotes eorum qui actu tenent populorum principatum, sive de regibus agatur sive de iis qui reipublicae praesident. 2) Filii aut nepotes eorum qui jus habent succedendi in thronum.

β) Secundum can. 776 § 1 ad 2m : Quicumque, in casu aliquo extraordinario, justa ac rationabili de causa, loci Ordinarii licentiam impetraverunt.

Dicitur : « in casu aliquo extraordinario », ne ansa praebeatur ut in posterum quaelibet familia baptismum in suis aedibus administrari praesumat. Quamobrem, loci Ordinarius expostulatam licentiam, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, justa tantum et rationabili de causa concedere potest. Nec postulatur gravis vel urgens ratio sed justa ac rationabilis causa sufficit, non dico ut parochus propria auctoritate procedat, sed ut Ordinarius licentiam tuta conscientia concedat.

Porro sufficiens ratio aderit, quotiescumque propter infirmitatem infantis baptismus in ecclesia esset differendus. Huc, in praxi, variae accedent considerationes uti asperitas temporis hiemalis, reluctatio parentum, major minorve probabilitas ne postea infans absque baptismo remaneat etc. Ratio etiam aderit in magna distantia domus paternae ab ecclesia, praesertim hiemali tempestate. Tandem qualitas personarum etiam est attendenda, si v. g. baptisma domi conferendum postulatur a praenobili viro, praesertim quando oratorium domesticum habet, etc.

2. Dicitur : « *sub praesenti disciplina* ».

Uti supra dictum est, decet ut ritus sacri in loco sacro peragantur. Aliquando tamen necessitas postulat ut baptismus statim in domo privata conferatur, quin eadem necessitas in favorem urgentis caeremoniarum administrationis invocari queat. Tunc itaque aliqua difficultas exsurgit. Nam, quamvis deceat ut ritus sacri in ecclesia peragantur, sub alio tamen respectu caeremoniae sacramentum, quod circumstare natae sunt, sequantur oportet.

Jamvero non una eademque fuit semper solutio hujus difficultatis : Olim praevaluit norma de celebrandis caere-

moniis in aedibus sacris; recentius vero regulam liturgicam de administrandis sacramentis in mediis suis caeremoniis potius sequebantur.

Antiquam disciplinam reperimus in instructione S. Congregationis de Prop. Fide, anni 1775 (1), in qua haec legimus: « Exposuistis in his partibus frequenter contingere, quod infideles non permittant quod eorum parvuli ad suscipiendum baptismum ad ecclesiam deferantur. Ne in hac re a sanctissimis institutis recedatur, omnem curam adhibere debebitis, ut parentes ipsi ab hac sua irrationabili contradictione recedant; quod si id vestris persuasionibus, et monitis non obtinebitis, tunc vobis persuadere poteritis rem esse deductam ad casum necessitatis.... Proinde tunc vobis licitum erit iis infantibus baptismum conferre extra ecclesiam et in privatis domibus, vel ubi a parentibus vobis permissum erit, omissis sacris ritibus, et caeremoniis, animo tamen retento eas supplendi in ecclesia quamprimum hoc fieri permissum erit ». Eamdem disciplinam in subsequentibus decretis applicatam invenimus (2).

Verum, jam anno 1877, docet S. C. S. Officii (3) : « Cum vero extra mortis periculum, una vel alia de causa debeat domi baptisma conferri, tunc fiet locus tutissimae theologorum doctrinae quae tradit quod sacerdotes in casu possint, imo teneantur uti illis caeremoniis quibus possunt uti ». Postea, anno 1894, S. C. Concilii docebat Episcopum posse concedere ex rationabilibus causis baptismum sollemnem domi conferre (4). Deinde, anno 1912, S. C. de Disciplina Sacramentorum statuebat « Ordinarios ex justa et rationabili causa permittere posse ut parvulis praeterquam quod instante mortis periculo vel urgente infirmitate, domi baptismatis sacramentum administretur », decretumque hoc,

(1) Ad mission. Loanghi; de mandato Pii VI in Congr. Gen. S. Off., die 27 julii. Cf. *Collectan.*, I, n. 510.

(2) *Instr. S. C. de Prop. Fide*, 11 sept. 1779 (ad episc. Scodren.). Cf. *Collectan.*, I, n. 537. *Decr. S. C. de Prop. Fide*, 28 nov. 1785 (Antibar.). Cf. *Collectan.*, I, n. 582. *Decr. S. C. de Prop. Fide*, 21 jan. 1789 (C. P. pro Sin.).

(3) *Instr. S. C. S. Officii*, 5 sept. 1877 (ad archiep. Portus Principis.). Cf. *Collectan.*, II, n. 1489.

(4) *Decr. S. C. Concilii*, die 20 jan., 1894 (Castrimaris) ; et die 14 aprilis 1894 (Augustodunen.). Cf. *Nouv. Revue Théol.*, 1894, p. 248.

attenta omnis restrictionis absentia necnon inspectis decretis supra citatis, de sollemni baptismi administratione auctores passim interpretabantur (1). Denique, anno 1914, omnem ulteriorem controversiam dirimens, S. Congregatio Rituum, audito Commissionis Liturgicae suffragio, decrevit baptismum, de licentia Ordinarii domi collatum extra mortis periculum et urgentem necessitatem, cum omnibus caeremoniis Ritualis Romani esse administrandum (2).

Recentior disciplina qua baptismus, etiam quando domi confertur, sollemniter administrari debet, in novum jus assumitur. Excipitur casus quo urget periculum mortis, necnon casus haeretici adulti qui privatim, de licentia Ordinarii, sub conditione iterum baptizatur.

V. Coucke.

V.

De Oratione vocali.

Q. Quomodo facienda est oratio vocalis ut vere sit « exercitium devotionis seu pietatis » ?

Notio. — Oratio vocalis (*stemmelijk gebed, mondgebed*) est colloquium cum Deo per locutionem externam eamque formalem (3) ad laudes, gratiarum actiones, postulationes Ipsi porrigendas.

In pluribus Ecclesiae collectis haec omnia simul attendi possunt, notat s. Thomas (4).

Contradistinguitur oratio vocalis ab oratione mentali non hoc sensu acsi oratio vocalis nullo modo esset mentalis : prolatio enim formulae labiis facta absque mente et absque corde nequa-

(1) *Coll. Brug.*, XVIII, p. 251.

(2) *Decr. S. C. Rituum*, 17 jan., 1914 (Bellunen.); et 23 jan., 1914 (Versalien). Cf. *Acta Apostolicae Sedis*, 1914, t. VI, p. 32 et 75.

(3) Oratio igitur quae fit " aliis signis externis, uti scriptura, nutibus, lacrymis, tunsione pectoris, elevatione oculorum aut manuum et similibus voces supplentibus " improprie vocalis nominatur, ut a D. Schram, O. S. B. *Institutiones theologiae mysticae*, 2 vol. Leodii, 1848, T. I, § 42. Potius *corporalis (lichamelijk gebed)* est vocanda.

(4) *Sum. Theol.*, II-II, q. 83, a. 17.

quam esset oratio (1), sed hac ratione quatenus, dum oratio mentalis " sine ullo strepitu verborum funditur et sola memoriae, intellectus et voluntatis functione comprehenditur (2), „ vocalis vero " verbis sensibilibus et corporis voce profertur „ (3).

In praesenti orationem vocalem non consideramus in quantum habet virtutem merendi et impetrandi gratiam divinam (4), nec quatenus habet efficaciam satisfactoriam ad reparanda peccata per corpus commissa, maxime peccata oris (5), nec in quantum est simpliciter actus virtutis religionis. Eam autem spectamus in quantum est medium excitandi et fovendi devotionem supra descriptam (6), seu in quantum nata est nutrire in anima charitatem et, per eam, voluntatem promptam ac ferventem reddere ad perfectum cultum et obsequium Dei.

Divisio. — Oratio vocalis dividitur in publicam et privatam.

" *Publica* est quam Ecclesia per ministros suos, vel quam ministri nomine Ecclesiae fundunt, licet non publice, sed domi aut in conclavi fiat „. Sunt nimirum preces quae in ss. sacrificio missae, in sacramentorum administratione aliisque sacris ritibus, qui sacramentalia vocantur, usurpantur, et praecipue officium divinum. " *Privata* est quam quaelibet persona privata nomine suo, pro se, aut pro aliis profert, licet in publico et apud multos eam proferat „ (7). Sunt autem reliquae preces a quovis fideli fusae, sive ipse orans pios suos affectus

---

(1) In eam cadit haec Domini increpatio : " Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me „ *Mt.*, xv, 8.

(2) Adverte tamen simultanee cum illa activitate spirituali, in phantasia excitari repraesentationes verbales harum idearum vel affectuum, in aliquo idiomate quod novimus, id saltem communiter. Cf. O. Dignant *De virtute religionis*, n. 20.

(3) Alvarez de Paz, *De inquisitione pacis sive de studio orationis*, L. I, P. II, c. 1.

(4) *Sum. Theol.*, II-II, q. 83, a. 15 et ad 3.

(5) Haec efficacia orationi competit praecipue in quantum corpore exercetur. *Sum. Theol.*, *ibid*, a. 12. Non tamen abest a mere interna. *Supplem.*, q. 15, a. 3, ad 1.

(6) *Collat. Brug.*, hoc tomo, p. 407 ss.

(7 Alvarez de Paz, *l. c.* Cfr. C. Callewaert, *De S. Liturgia universim*, p. 1 ss., p. 20. Notat s. Thomas, *Sum. Theol.* II-II, q. 83, a 12, orationem publicam necessario esse oralem et corporalem, orationem vero privatam non de necessitate esse vocalem. Addit tamen triplicem utilitatem adjungendi vocem huic orationi privatae : possunt nimirum verba internam devotionem juvare, continent etiam corporis obsequium, respondent denique naturali inclinationi ut verbis exterioribus intimos animae affectus reddamus. Cfr. A. Vermeersch, *De virtutibus religionis et pietatis*, n. 61.

verbis a se hic et nunc compositis alta vel demissa voce exprimat, sive formulam legat aut recitet a se vel ab alio scriptam, efformando voces probandoque affectus ista formula contentos (1).

Conditiones ut oratio vocalis sit exercitium devotionis.

1. *Conditiones essentiales.* — Ad *essentiam* orationis vocalis, seu ut ea sit actus elicitus virtutis religionis, tria requiruntur, prolatio scilicet verborum, intentio seu voluntas orandi, saltem implicita et virtualis, et attentio mentis saltem superficialis (i. e. ad verba debite proferenda) et remissa, quae ulterius explicant moralistae (2). Ad *perfectionem* vero orationis vocalis, seu ut ea sit pleno sensu exercitium devotionis, perfecta requiritur tum intentio tum attentio, ita ut oratio ab amore Dei incipiat, amorem Dei nutriat atque in amore Dei terminetur. « Hic namque divinus amor est omnis vitae spiritualis [adeoque omnis exercitii spiritualis] principium et finis » (3).

Intentio. — Principium igitur seu motivum orationis vocalis perfectae est charitas, adeoque initio orationis elicienda est *intentio* actualis charitatis, id est intentio ut per orationem cum Deo uniamur, eaque intentio ut toto tempore orationis actualis perseveret, quantum fieri potest, conandum est.

Hanc intentionem in voluntate excitant considerationes mentis circa Dei Majestatem et Bonitatem ex una parte, circa nostram vilitatem et indignitatem ex altera parte, et affectus inde enati, reverentiae, pietatis filialis, amicitiae reciprocae et compunctionis. Hisce ergo cogitationibus et affectibus proxime praeparatur et disponitur anima ad devote orandum.

Intentio autem charitatis in voluntate excitata mentem ad orandum applicat ejusque attentionem perfectam pro-

---

(1) Cfr. A. Vermeersch, *o. c.*, n. 46. Hanc distinctionem notat s. Augustinus scribens: " Nos orare per verba quae affectus orantis vel praecedendo format, ut clareat, vel consequendo attendit, ut crescat ". *Ep. 130 ad Probam*, c. xii, 22.

(2) O. Dignant, *o. c.*, n. 63 ss.; A. Vermeersch, *o. c.*, n. 47 ss.

(3) Alvarez de Paz, *De vita spirituali*, L. ii, P. iv, c. 31. Cfr. *Sum. Theol.*, II-II, q. 83, a. 1 ad. 2.

vocat: ipsa vero attentio ad orationem charitatem nutrit atque efficit ut intentio initialis actu perseveret.

Attentio perfecta duo complectitur: 1° ut excludatur omnis cogitatio aliena reflexa et voluntaria, ita ut attentio ad Deum sit moraliter exclusiva (1); 2° ut orans positive attendat ad sensum verborum atque judicia saltem principalia affectusque saltem dominantes in formulis orationis expressa in seipso efformet eaque Deo tamquam de proprio corde depromat (2), (attentio litteralis cum attentione spirituali conjuncta.) vel inter recitandum formulam Ipsum Deum cogitet, aut simpliciter intueatur reverenter et amorose (3), (attentio pure spiritualis ad Deum).

Haec attentio perfecta maxime nata est formare in oratione vocali amorem complacentiae et benevolentiae (4).

Advertendum etiam quomodo *petitio* quae vel formaliter vel implicite, ut plurimum saltem, inest orationi vocali, et ipsa exerceat devotionem, quatenus nempe mentem defigit in propriam orantis indigentiam et in summam ac indebitam Dei liberalitatem qua Seipsum homini communicare intendit. Desiderium rei petitae excitat orantis attentionem et nutrit fervorem (5). Ipsa autem petitio regulanda est amore conformitatis quo orans id tandem aliquando vult quod vult eum velle dilectus Deus, et paratus est stare ad voluntatem dilecti tam ad laborandum quam ad patien-

---

(1) A. Vermeersch, *o. c.*, n. 47, n. 59.

(2) Forsan non inutile erit advertere attentionem nimis anxiam ad rite pronuntianda verba, qualis apud scrupulosos frequenter occurrit, multum contrariari devotioni quatenus mentem impedit quominus sensui verborum aut Deo attendat.

(3) Unde patet qua ratione perfecta possit esse oratio earum personarum quae v. g. officium divinum in ignoto idiomate recitant.

(4) Cfr. H. Mahieu, *Probatio charitatis*, 2ª ed., p. 402. Cfr. Dom V. Lehodey, *Les voies de l'oraison mentale*, p. 15 ss.

(5) "Ut et per narrationem suam admonitus quid petat consideret, et per considerationem petitionis suae excitatus devotius oret." Hugo a S. Victore, *De modo orandi*, c. 3. Idem scribit S. Thomas respondendo ad 1; *Sum Theol.*, II-II, q. 83, a. 2: "Non est necessarium nos Deo preces porrigere ut Ei nostras indigentias vel desideria manifestemus, sed ut nos ipsi consideremus in his ad divinum auxilium esse recurrendum"; et *ibid.* a. 9, ad 5: "Oratio non porrigitur Deo ut Ipsum flectamus, sed ut in nobis ipsis fiduciam excitemus postulandi".

dum : et ita oratio vocalis in charitate affectiva incœpta, in charitate effectiva terminatur, quae etiam exprimitur in voce conclusionis : Amen, fiat.

2. *Circumstantiae adjuvantes devotionem. — Quis ?* Ad devote orandum multum juvare potest vividus sensus dignitatis propriae orantis qua christianus est, et maxime, si sit Deo per vota religiosa vel per ordines sacros consecratus, conscientia dignitatis suae peculiaris et intimitatis cum Deo.

Quid ? Ad devotionem excitandam et nutriendam eae formulae sunt praeferendae quae Deum auctorem habent, ut oratio dominica, psalmi, aut quae ab Ecclesia sunt compositae, approbatae et indulgentiis ditatae, ut salutatio angelica, preces liturgicae, aut tandem eae quae nomen Doctoris Ecclesiae aut viri sancti prae se feruut (1).

Quantum ? Respondet s. Thomas (2) : « In singulari oratione tantum est vocibus et hujusmodi [externis] signis utendum, quantum proficit ad excitandum interius mentem : si vero mens per hoc distrahatur vel qualitercumque impediatur, est a talibus cessandum. » Unde circa preces liberas sequentes regulae generales deduci possunt :

A) Orationes vocales quotidie certo numero sunt faciendae et nonnisi ex manifesta necessitate vel infirmitate vel superna motione omittendae, ut saltem consuetudo moveat ad orationis studium (3). Ad devotionem fovendam plurimum confert usus frequens precationum jaculatoriarum. Cavendum ne ex acedia omittantur preces numero prudenter definito statutae (4).

B) Ne tamen preces vocales nimium multiplicentur, « ne taedium afferant, ne nimis celeriter properentur, ne

---

(1) Cfr. D. Schram, *o. c.*, § 47; Faber, *Progrès de l'âme*, p. 266 ss. Magni igitur interest pro devotione fidelium quonam orario seu manuali precum utantur, et ingens periculum pro devotione creant multi moderni libelli pii qui non raro ineptiis et erroribus scatent.

(2) *Sum. Theol.*, II-II, q. 83, a. 12. Cfr. a. 14 ubi addit hoc etiam esse attendendum in communi oratione per comparationem ad populi devotionem.

(3) S. Bonaventura, *Regula novitiorum*, c. 2, coll. *De 7 processibus religiosorum*. [fr. David Augustanus] c. 14.

(4) Suarez, *De oratione*, l, III, c. 7

tempus meditationi subtrahant, ubi potius abrumpendae, differendae vel etiam omittendae forent (1) ».

Quoad reliquas circumstantias sufficiat breviter notare cum Alvarez de Paz (2) : « Orationem vocalem quamcumque congruis temporibus et locis et modesta corporis dispositione fundamus, et reverenter, attente ac devote eam proferamus, ut recte vocaliter orando, ad sublimius orationis genus.... mentem nostram praeparemus ».

Momentum orationis vocalis in vita spirituali.

« Qui non assuescit orare vocaliter, vix assuescet orare mentaliter, quod difficilius est, vel saltem in meditatione citius tepescet; unde non solum incipientibus, sed et proficientibus et perfectis oratio vocalis utilissima est » (3). Hanc regulam generalem paucis explicamus. Incipientibus scilicet qui sint ad perfectiorem orationem impares, ad salutem necessaria est oratio vocalis, imo, si ad altiorem orationem non sint vocati, sufficere potest ad sanctitatem acquirendam (4). Progredientes autem et perfecti passim utiliter identidem ad hoc genus orationis recurrent ad accendendam devotionem internam. Attamen datur aliquis gradus orationis internae in quo usus orationum vocalium obstat devotioni. « Affectus enim hoc proprium habet quod quanto major et ferventior intus est, tanto minus foris per vocem explicari potest » (5).

(1) Suarez, *l. c.* — Cfr. Cajetanus, in II-II, q. 83. a. 12: "Errant qui numerum tot vocalium orationum propriarum explendum quotidie praeponunt meditationibus et mentalibus orationibus. Relinquunt namque finem propter ea quae sunt ad finem. „

(2) *De inquisitione pacis sive studio orationis*, L. I, P. II, c. 17, in conclusione. Pro ulteriori expositione cfr. H. Marieu, *Het inwendig gebed*, p. 88 ss. Ea quae ibi circa orationem mentalem scribuntur facile ad vocalem orationem transferri possunt.

(3) D. Schram, *o. c.*, § 43 et scholion ubi recensentur haereses in hac materia ab Ecclesia reprobatae, in specie quietismus de Molinos v. g. propos. 34. Denzinger, *Enchiridion*, n. 1254.

(4) D. Schram, *o. c.*, § 47, Corollarium IV. Cfr. S. Thérèse, *Le chemin de la perfection*, ch. 31.

(5) Hugo a S. Victore, *De modo orandi*, c. 2. Item s. Bonaventura, *In IV Sent.*, D, 15, p. 2, art. 2, q. 3: "Aut verba *impediunt* affectum, quia sic inflammatus est quod immediate fertur in Deum, et tali utilior est oratio mentalis; si autem *juvatur*, utilior est vocalis; et multi sunt tales, et maxime illi qui non sunt viri spirituales, ad quorum affectus provocandos institutae sunt orationes vocales. „

Liceat pro coronide haec verba citare ex opere cui titulus *De septem processibus religiosorum* (1) : " Incipientibus et affectu devotionis nondum imbutis [orationes vocales] magis expediunt ut saltem consuetudo moveat ad orationis studium, ne semper vagi circa exteriora, a Deo fiant alieni et frigidi torpeant et nunquam aliquo devotionis igne calescant. Devotionis autem affectu imbuti et amplioris cum Deo familiaritatis gratia sublevati, si nimis psalmorum, et similium orationum multiplicationi intendunt, spiritum obruunt, devotionem impediunt, cordis libertatem quasi quodam pondere praegravant, et melioribus ablatis, minus pro illo tempore utilibus occupantur, scrupulosis inhaerent. Utuntur tamen et ipsi plerumque hujusmodi orationis sublevamento, quasi quodam afflatu, donec flamma devotionis accensa, verborum foliis non indigeat, purius se flagrans et tranquillius in sublime attolens. Et iste modus videtur expeditior, ut speciales orationes tunc ex consuetudine ruminentur (2), quando major non habetur devotio. Quando vero supervenit melior devotionis infusio, vel utilior vel plus urgens occupatio, consuetae intermittantur orationes ad quas quis non tenetur, donec tempus redeat opportunum „(3).

A. Legrand.

VI.

De sacris Oleis.

Q. *Quomodo renovanda et quomodo asservanda sunt sacra Olea ?*

R. I. De **renovandis oleis** sacris sic statuit novus Codex, can. 734, § 1 :

" Sacra olea quae quibusdam Sacramentis administrandis inserviunt, debent esse ab Episcopo benedicta feria V *in Coena*

(1) *Prodromus ad opera omnia s. Bonaventurae* recenset hunc librum inter opera supposititia s. Doctoris seraphici, illumque Fratri David ab Augusto ascribendum censet.

(2) Est oratio vocalis meditata. Hanc commendat s. Ignatius, *Exercitia spiritualia*, modus 2us et 3us orandi. Est valde utilis ad renovandam attentionem in precibus frequenti usu obsoletis.

(3) Circa quaestionem quousque oratio mystica cum oratione et in specie cum oratione communi conjungi possit cfr. J. Zahn, *Christliche mystik*, Paderborn, 1908, p. 155; A. Poulain, S. J., *Des grâces d'oraison*, 8e éd., p. 188 ss.

Domini proxime superiore ; neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat ".

De oleis sacris in baptismo adhibendis haec habet Rit. Rom. t. II, c. I.

31. " Sacrum Chrisma et sanctum Oleum, quod et Catechumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo, eodem anno sint ab Episcopo de more benedicta feria V in Coena Domini.

32. Curet parochus, ut ea suo tempore quamprimum habeat et tunc vetera in ecclesia comburat.

33. Veteribus oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum ne utatur ; ac si deficere videantur, et Chrisma aut Oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate ".

De sacro oleo infirmorum, ait idem Rituale, tit. V, c. I, 3:

" Habeat igitur Parochus loco nitido et decenter ornato, in vase argenteo seu stanneo diligenter custoditum sacrum Oleum infirmorum, quod singulis annis feria V in Coena Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum est. Id tamen, si forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate superinfuso, reparari potest ".

Oleum Catechumenorum quo baptizandus inungitur in pectore et inter scapulas, et S. Chrisma quo baptizatus ungitur in vertice capitis, debent etiam infundi in aquam baptismalem in solemni benedictione fontis quae facienda est in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes.

Curare ergo debet Parochus ut sacra Olea habeat ante hanc caeremoniam Sabbati Sancti. Ideo declaravit S. Rit. Cong. (1) " tollendam esse consuetudinem ", qua decani sacrorum Oleorum distributionem differant usque post Dominicam in Albis, aut qua parochi retineant sacra Olea in domibus suis usque ad Dominicam receptionem eorum subsequentem, eaque tunc cum processione et solemnitate (2) deferant ad ecclesiam. Ad rem rescripsit S. R. C. : " Parochus curet ut presbyter vel clericus, si possibile sit in

(1) Decr. *Gandaven.*, 16 dec. 1826, n. 2650, ad 4 et 5m facti speciem.
(2) Nunquam licet sacra Olea deferre sub baldachino, D. 3660, 2.

Sacris constitutus (1), nova olea recipiat. Quod si aliquod adhuc exstet impedimentum, idem parochus per se vel per alium sacerdotem benedicat fontem sine sacrorum Oleorum infusione, quae privatim opportuno tempore fiet: nisi aliquem baptizare debeat: tunc enim ipsa benedictione solemni vetera Olea infundat " (2).

Ex hoc et aliis decretis apparet " necessitatem " de qua agunt supra can. 734 et Rituale, n. 33, intelligendam esse de urgente necessitate non tam benedicendi fontem baptismalem quam utendi aqua baptismali et administrandi baptismi sacramentum.

Unde, 1° si praevideat parochus se brevi recepturum Olea sacra, antequam aliquis sit baptizandus, benedicat fontem omittendo Olei sacri infusionem (D. 2436, 3; 3879) et preces concomitantes; accepta postea Olea sacra "subinde privatim ac separatim in aquam mitti poterunt " (D. 2436, 3) per sacerdotem in superpelliceo et stola violacei coloris, cum precibus quae Oleorum infusionem et commixtionem concomitantur.

2° Si autem aliquis baptizandus sit aut baptizandus praevideatur antequam nova Olea accipi possint, « fieri debet nova fontis benedictio [in Sabbato Sancto] cum Oleis anni praecedentis » (DD. 2773, 1, 2; 3092; 3879). Quo casu, non debent infundi nova Olea, nec cum eis alia aqua benedici potest juxta caeremonias Ritualis, sed ea adhibenda erunt in nova benedictione fontis in Vigilia Pentecostes, juxta Missale (D. 2773, 3).

Nullo in casu baptismum solemniter conferre licet sive omittendo unctiones postea supplendas, sive cum aqua baptismali quae benedicta fuit sine Oleorum admixtione (D. 2773, 2; 4); adhibenda sunt vetera Olea, si nova obtineri nequeant.

(1) De *delatione SS. Oleorum* dicit Rituale n. 38: " Parochus, quantum fieri potest, curet, ne per laicos, sed per se vel alium sacerdotem, vel saltem per alium Ecclesiae ministrum haec Olea deferantur „. Ex quibus apparet pios laicos non absoluto modo excludi sed non sine necessitate aut justa ratione esse admittendos. Non permittitur tamen sacra Olea transmittere per vectores publicos, viam ferream aut rhedam publicam (S. C. S. Officii, 1 maii 1901 et 14 jan. 1903, ap. *Ephem. Liturg.* (1901), XV, 543 et t. XVII, 588).

(2) S. R. C. *Annecien.*, 31 jan. 1896, n. 3879.

De *comburendis* veteribus Oleis accuratius quam Rituale determinat Pontificale Romanum: « si quod remanserat in ampullis ponitur in lampadibus ecclesiae ante Sacramentum ut comburatur. Reliquum autem quod est in pyxidibus sive capsulis cum bombyce, igni comburatur » (1). Haec combustio bombacii et vasorum purificatio facienda est a sacerdote aut clerico saltem tonsurato (D. 4194, 1).

De casu quo nimis minueretur sacrum Oleum statuit canon 734 § 1: « Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis [non ex alia materia!] non benedictum adjiciatur, etiam iterato, minore tamen copia ». Haec additio tamen fieri nequit statim ab initio, sed tantum in casu necessitatis (D. 2883, 3).

II. De **asservandis sacris Oleis** ait Rituale, tit. II, c. I:

34. " Chrisma et Oleum sacrum sit in suis *vasculis* [majoribus] argenteis aut saltem stanneis, bene obturatis: quae vascula sint inter se distincta et propiam unumquodque inscriptionem habeat, majusculis litteris incisam, ne quis error committatur.

35. " Ad usum vero quotidianum minora habeantur vascula ex argento, si fieri potest, aut stanno, sive separata sive etiam conjuncta: apte tamen distincta et bene cooperta et cum suis inscriptionibus ut supra, ne parochus aberret, et unum pro altero sumat, quod cavere debet diligenter.

36. " In ea igitur [minora] ex majoribus vasculis Chrismatis et Olei, quod sufficiat, infundatur, atque ut effusionis periculum caveatur, commodum erit, in his vasculis bombacium seu quid simile habere. Oleo sacro et Chrismate separatim perfusum, in quo pollex, cum opus est, ad inungendum immittatur. „

Vascula non sint ex vitro aliave materia fragili; non ex cupro propter periculum aeruginis; sed ex stanno, aliminio similive metallo, sed melius ex argento. Minora saltem argentea esse decet. Sat ampla semper sint ut pollex immitti commode possit. Vasculum olei infirmorum non licet adnectere pedi aut cooperculo pyxidis in qua

(1) Pontificale Rom., *De Coena Domini*, in fine. Qua de re praescribit *Pastorale Brugense*, p. 172: " Quidquid ex veteribus Oleis superfuerit, si liquidum, lampadi quae lucet ante Venerabile Sacramentum infundatur; si autem bombacio vel gossipio immixtum fuerit, super piscinam seu sacrarium comburatur. „

S. Hostia defertur aegrotis. Inscriptiones sive integri nominis sive litterarum initialium (S. C. vel CHR.; O. C. vel CAT.; O. I. vel INF.) distinctae sint et patentes et repetantur tam in cooperculo quam in pariete vasculi. « Benedictio vasorum pro sacris Oleis includendis », quae non est de praecepto, est in Ritualis Appendice inter reservatas Episcopo, quam nunc perficere possunt « parochus pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis et rectores ecclesiarum pro suis ecclesiis » (can. 1304, 3°).

37. " Haec vascula ita parata in loco proprio, honesto ac mundo, sub clave ac tuta custodia decenter asserventur, ne ab aliquo, nisi a sacerdote, temere tangantur, aut eis quisquam sacrilege abuti possit. "

Locus ille « proprius, honestus ac mundus » paratur in ecclesia, sive (pro minoribus vasculis) in armario clauso baptisterii, sive in sacristia, in repositorio solis rebus sacris et benedictis reservato vel in parvo armario speciali, quod intus panno serico violaceo sit ornatum et exterius habeat inscripta verba « Olea sacra ».

Convenientissime paratur et ornatur locus proprius in pariete chori, in cornu epistolae aut evangelii (D. 1260) quod in pluribus ecclesiis antiquis fiebat.

In tabernaculo autem SS. Sacramenti asservare S. Olea omnino prohiberi patet.

Domi asservare Oleum infirmorum, nonobstante contraria consuetudine (D. 2650, 3), non licet, etiamsi domus « ab ecclesia parochiali sejuncta sit, ita ut hujus fores noctu per accitos famulos aperiendae essent » (DD. 3779, 7; 3276, 5; 3739, 2). Excipitur ab ipsa S. R. C. « casus magnae distantiae ab ecclesia » (D. 2650, 3). Huic aequiparatur ab auctoribus casus infirmi periclitantis cum periculo probabili quod sacerdoti noctu advocando tempus non suppeditet adeundi ecclesiam. Ex quibus apparet nonnisi ob urgentem necessitatem a regula esse recedendum. Ceterum, extra ecclesiam et « etiam domi servetur rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam » (D. 2650, 3).

C. CALLEWAERT.

La prononciation romaine du latin.

Sa Grandeur Monseigneur Waffelaert a récemment manifesté son intention d'introduire dans son diocèse la prononciation romaine du latin.

La question de la prononciation du latin fut dans les dernières années, et est encore, l'objet de vives discussions. Les uns, surtout les universitaires, préconisent la prononciation *classique* (1) du latin, dont l'ensemble est connu avec certitude (2) ; d'autres sont partisans de la prononciation *post constantinienne* du latin (3) ; d'autres encore donnent le pas aux prononciations *nationales*, débarassées de leurs défauts les plus marquants ; enfin, dans le camp catholique, beaucoup défendent à juste titre l'adoption de la prononciation italienne et plus spécialement de la prononciation romaine, (4) actuelle du latin.

Une lettre du 10 juin 1920, adressée, au nom du Pape, par Cardinal Gasparri à M. l'abbé Delporte (5), fait valoir les raisons qui militent en faveur de cette réforme catholique (6) :

(1) Les réformes qui rapprocheraient notre prononciation actuelle de celle du temps de Cicéron seraient : a) de donner à l'*u* le son *ou* ; b) de donner à *c, g, t,* le son dur ; c) de donner aux diphtongues *ae, oe* etc, le son aé, oé, d'une seule émission de voix ; d) de distinguer les longues et les brèves. Ce dernier point ne pourrait s'obtenir qu'à grand peine et très imparfaitement.

(2) Voir LAURAND, *Manuel des études grecques et latines*, Fasc. VI. Grammaire historique latine, p. 626, Paris, Picard, 1918. ; COUILLAUT, *La réforme de la prononciation latine*, p. 5 ss., Paris, Bloud, 1911.

(3) Les diphtongues *ae, oe* ne se prononçaient plus que é ; *ci* et *ti* devant une voyelle évoluaient vers un son plus doux ; l'accent tendait à devenir surtout un accent d'intensité ; les longues et les brèves ne s'observaient plus.

(4) Il y a en Italie diverses manières de prononcer le latin, qui, du Nord au Sud, sont de plus en plus dures ; ainsi le *c* correspond à Florence à *ch*, à Rome à *tch*, en Sicile à *tch*.

(5) A l'occasion de la seconde édition de son opuscule sur *La prononciation romaine du latin*, Lille, Desclée, 1191.

(6) Voir la *Revue de chant grégorien*, 1920-1921, t. XXIV, p. 44.

« Je n'ai point manqué de remettre au Souverain Pontife votre opuscule sur la « Prononciation romaine du latin ». Sa Sainteté qui connaissait déjà les résultats décisifs obtenus sur ce point dans votre région, vous félicite d'y avoir contribué pour votre part. Unissant ses vœux aux encouragements que vous avez déjà obtenus d'un si grand nombre d'Évêques et d'illustres personnages de France, le Saint-Père souhaite à votre nouveau travail tout le succès que vous en escomptez et qui étendra encore plus largement cette unité de la prononciation du latin, prenant pour type celle-là même qui est toujours vivante au centre de la catholicité, et dont vous avez réussi à fixer très exactement et très clairement les moindres règles.

« Le jour où les membres de la grande société qu'est l'Église parleront tous vraiment la même langue, ce n'est point seulement sur le terrain liturgique, c'est partout où ils se rencontreraient que seraient assurées à leurs relations avec une agréable facilité les fécondités les plus opportunes.

« Par cette unité de prononciation d'une langue déjà si largement connue, les peuples d'aujourd'hui, comme la chrétienté de jadis, posséderaient enfin cette langue unique et universelle, que l'on a si souvent et plus ou moins vainement cherchée ailleurs. Cette plus grande possibilité de rapports mutuels, serait un attrait et un bien de plus pour cette Société des Nations que font si ardemment souhaiter le désir et le souci de la paix durable.... ».

Nous faisons suivre ici *les principales modifications* (1) à introduire dans la prononciation du latin telle qu'elle était généralement adoptée dans notre diocèse :

I. Voyelles.

E n'est jamais muet, mais se prononce plutôt ouvert : *è* (comme dans *militaire*, *nef)*, surtout quand il est

(1) Voir la préface du *Paroissien romain* ou *Liber Usualis*, du *Manuel de l'Office divin* ou *Liber manualis*, de la firme Desclée et Cie ; *La prononciation romaine du chant grégorien basée sur les principes de l'émission vocale* par un bénédictin de Solesmes, Tournai, Desclée ; Dom L. David, *Méthode pratique de chant grégorien*, p. 13 ss., Lyon, Janin, 1919, etc.

accentué (*Dèus*), ou suivi de deux consonnes (*mèndax*), ou d'une seule, à la fin d'un mot (*Jerusalèm*). Il se prononce moins ouvert — mais jamais fermé comme dans le mot *été* — à la fin des mots (*pace*), ou encore à l'intérieur du mot quand il termine une syllabe non accentuée (*vincere, cecidèrunt*).

O est toujours médiocrement ouvert (comme dans : *tort, mot, sonore*), surtout lorsqu'il est accentué ; à la fin des mots il est plus sourd. Le mot *Dômino* offre les deux prononciations de cette lettre.

U se prononce toujours *ou* : former ce son dans l'arrière bouche, en ayant soin de bien écarter les maxillaires et sans avancer les lèvres, pour ne point assourdir ce son.

II. Diphthongues.

AE, OE se prononcent plus ou moins ouvert comme l'*e* simple (*poena* = pè-na ; *rosae* = presque comme dans le mot français *rosée*).

AU, EU font entendre le son des deux voyelles, mais d'une seule émission, de façon à faire entendre surtout la première voyelle, en passant très rapidement sur la deuxième : *autem* = áoutem, *neuter* = néouter.

AY se prononce *aï*, d'une seule émission de la voix : *Raymundus* = Raï-móun-douce.

III. Consonnes.

C, devant *e, i, y, ae, oe*, c'est-à-dire devant les sons *e* et *i*, se prononce tch. Le petit *t* est très léger ; il disparaît plus ou moins lorsque le *c* est précédé d'une autre consonne. Notez la différence entre *coelum* = tchèloume et *in coelum* = in chèloume. Pour que la prononciation du tch soit gracieuse, on doit en l'articulant ne pas avancer les lèvres, mais plutôt découvrir un peu les dents. On évitera ainsi un chuintement désagréable.

CC, devant les mêmes sons, se prononce ttch : *ecce* = et-tche.

SC, devant les mêmes sons, se prononce comme *ch* : *descèndo* = dèchèndo.

G, devant les sons *e* et *i*, se prononce ^{d}g (*g* doux) : *agimus* = a^{d}gimouee. Il faut prendre soin d'adoucir la prononciation en n'avançant pas les lèvres.

GG, devant les mêmes sons, se prononce d ^{d}g : *aggerem* = ad-^{d}gerem.

Gn se prononce d'une seule articulation comme dans *agneau*.

H n'est pas aspiré, sauf dans les mots *mihi* et *nihil* où l'aspiration est plus ou moins dure.

S se prononce dur (ç) ; mais s'adoucit légèrement entre deux voyelles, mais jamais jusqu'à prendre le son *z*.

Ti, devant une voyelle ou une consonne autre que s, t, x, se prononce ^{t}s : *gratia* = gra^{t}sia, *notio* = no^{t}sio ; mais *hostia*, *mixtio*.

X est toujours dur : *exaudi* = eksa^{ou}di.

XC, devant les sons *e* et *i*, se prononce K^{t}ch : *excelsis* = ek^{t}chelsis.

Z se prononce ^{d}z : *zelus* = ^{d}zelous.

Nous finissons par deux remarques de la plus haute importance.

La première, c'est que pour donner de la clarté à la prononciation romaine du latin, que la succession des *ou* tend à rendre plus sourde, on veillera à mettre l'accent en relief, à lui donner le caractère d'élasticité qui élève la syllabe qui en est affectée. L'accent est le principe d'unité et de mouvement des mots ; les syllabes qui le précèdent, sont attirées vers lui ; les syllabes qui le suivent en sont la déposition et comme l'expiration, *unigénitum*.

Un seconde remarque s'impose. L'apprentisage de la prononciation romaine du latin exige que dans les débuts les exercices de récitation et de chant se fassent *lentement*, posément, avec réflexion, en prêtant l'oreille à la façon de prononcer les voyelles et les consonnes.

Cette précaution nécessaire *habituera* peu à peu les organes de l'émission vocale à prononcer les sons et les articulations soigneusement et correctement.

L'observation de cette règle importe d'autant plus que la prononciation romaine du latin n'est pas exempte de difficultés et que son adoption ne marquera un progrès que si on s'efforce dès les débuts de rendre l'élégance et la délicatesse qui la caractérisent.

A. De Meester.

—o—

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA C. S. OFFICII

I

DECRETUM

CIRCA VULGO DICTUM « SECRET DE LA SALETTE » (1)

Ad Supremae huius Congregationis notitiam pervenit quosdam non deesse, etiam ex ecclesiastico coetu, qui, posthabitis responsionibus ac decisionibus ipsius S. Congregationis (2), per libros, opuscula atque articulos in foliis periodicis editos, sive subscriptos sive sine nomine, de sic dicto *Secret de la Salette*, de diversis ipsius formis, nec non de eius praesentibus aut futuris temporibus accommodatione disserere ac pertractare pergunt; idque non modo absque Ordinariorum licentia, verum etiam contra ipsorum vetitum. Ut hi abusus qui verae pietati officiunt, et ecclesiasticam auctoritatem magnopere laedunt, cohibeantur, eadem Sacra Congregatio mandat omnibus fidelibus cuiuscumque regionis ne sub quovis praetextu vel quavis forma, nempe per libros, opuscula aut articulos sive subscriptos sive sine nomine, vel alio quovis modo, de memorato subiecto disserant aut pertractent. Quicumque vero hoc Sancti Officii praeceptum violaverint, si sint sacerdotes, priventur omni, quam forte habeant, dignitate et per Ordinarium loci ab audiendis sacramentalibus confessionibus et a missa celebranda suspendantur: et si sint laici ad Sacramenta non admittantur donec resipiscant. Utrique insuper subiaceant sanctionibus latis tum a Leone PP. XIII per Constitutionem *Officiorum ac munerum* contra eos qui libros de rebus religiosis tractantes sine legitima Superiorum licentia publicant, cum ab Urbano VIII per decretum *Sanctissimus Dominus Noster* datum die 13 mar-

(1) *Acta Apost. Sedis*, VII (1915), p. 594

(2) De Brabandere-Van Coillie, *Jur. can. et can.-civ. compend.*, ed. 8, t. III, p. 129, nota 3.

tii 1625 contra eos qui assertas revelationes sine Ordinariorum licentia vulgant. Hoc autem decretum devotionem non vetat erga Beatissimam Virginem sub titulo *Reconciliatricis* vulgo *de la Salette* nuncupatam.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 21 decembris 1915.

II

DECRETUM

CIRCA QUASDAM PROPOSITIONES DE SCIENTIA ANIMAE CHRISTI (1)

Feria IV, die 5 iunii 1918.

Proposito a Sacra Congregatione de Seminariis et de Studiorum Universitatibus dubio: Utrum tuto doceri possint sequentes propositiones:

I. Non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam, quam habent beati seu comprehensores.

II. Nec *certa* dici potest sententia, quae statuit animam Christi nihil ignoravisse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia, praeterita, praesentia et futura, seu omnia quae Deus scit scientia visionis.

III. Placitum quorumdam recentiorum de scientia animae Christi limitata, non est minus recipiendum in scholis catholicis, quam veterum sententia de scientia universali;

Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores, praehabito voto DD. Consultorum, respondendum decreverunt: *Negative*.

Insequenti vero feria V eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, facta de his Ssmo D. N. Benedicto Papae XV relatione, Sanctitas Sua resolutionem Emorum PP. approbavit, confirmavit et publicari mandavit.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 7 iunii 1918.

Adnotanda. — Per decretum S. Officii, *Lamentabili*, 3 julii, 1907, jam proscriptae fuerant quaedam propositiones desumptae ex libris Modernistarum, praesertim

1) *Acta Apost. Sedis*, X (1918), p. 282.

A. Loisy, in opellis « L'Evangile et l'Eglise », Paris, 1902 et « Autour d'un petit livre », Paris, 1903², scilicet prop. 32-35 (Cf. *Coll. Brug.*, XII, p. 524), in quibus de eadem scientia Christi agebatur.

Nihilominus quidam auctores putabant, *non constare*, saltem cum omnimoda certitudine, fuisse in anima Christi, etiam in terra viventis, scientiam quam habent beati, itaque *non certum esse*, aiebant, animam Christi statim ab initio omnia cognovisse, quae Deus novit scientia visionis, et ipsam *nihil omnino ignorasse*; theoriam inde de *scientia limitata* animae Christi non minus recipi posse opinabantur quam sententiam de scientia universali, quam veteres communiter tenuerunt.

Hae omnes propositiones, juxta decretum S. Officii, *tuto doceri* nequeunt.

H. Lamiroy.

III

DUBIUM

DE THEOSOPHISMO (1)

Feria IV, die 16 iulii 1919

In plenario conventu habito ab Emis ac Rmis Dominis Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus, proposito dubio : " An doctrinae, quas hodie theosophicas " dicunt, componi possint cum doctrina catholica; ideoque an " liceat nomen dare societatibus theosophicis, earum conven- " tibus interesse, ipsarumque libros, ephemerides, diaria, " scripta legere ".

Iidem Emi ac Rmi Domini, praehabito DD. Consultorum voto, respondendum decreverunt : *Negative in omnibus*.

Et feria V die 17 eiusdem mensis, Ssmus D. N. D. Benedictus Div. Prov. PP. XV, in solita audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit et publicari mandavit.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 18 iulii 1919.

Aloisius Castellano, *S. R. et U. I. Notarius.*

(1) *Acta Apost. Sedis*, XI (1919), p. 317.

Adnotanda. — Theosophismus, sive *sapientia de Deo*, est quaedam *pantheismi spiritualistici forma*, quae negat Deum distinctum a mundo, et hominis immortalitatem individuam; post successivas reincarnationes, omnes hominum animae, quae juxta plures theosophistas, sunt emanationes unius spiritus, in eumdem in fine rursus assumendae sunt. In re morali, theosophismus multum inculcat fraternitatem omnium hominum, cujusvis coloris sint, cujusvis etiam gentis aut nationis, quare et pacifismum quemdam universalem omni conatu promovere satagit; deinde quaedam alia praecepta commendat, quae cum lege christiana in multis conveniunt, sed ex alia parte omnino negat efficacitatem orationis, et omnem gratiam atque redemptionem penitus excludit.

Haec sapientia *acquiritur*, non per ratiocinium, neque per revelationem, sed *per aliquam directam intuitionem* ipsius essentiae divinae; *initiati* vero, cum hac illuminatione, accipiunt cognitionem virium occultarum totius naturae, in quas specialem potestatem exercent; porro hac ratione omnia miracula, etiam ea quae fecit Christus Dominus, (quem blasphemantes inter initiatos annumerant), explicanda veniunt.

Ideas theosophicas jam antiquitus in religione Indiarum, apud gnosticos et in philosophia neo-platonica reperire licet; similes doctrinas apud falsos mysticos medii aevi et apud philosophos modernos, praesertim neo-hegelianos detegere fas est; nostris autem diebus theosophismus, qui per opera specialia, etiam periodica, multum divulgatur et per opera litteraria quandoque commendatur, magis systematice proponitur; nunc enim nomen philosophiae aut imo religionis novae, cujus summa capita supra delineavimus, sibi vindicare conatur.

Periculum theosophismi hodierni primum in eo est, quod data ignorantia religionis christianae apud multos, quam facillime homines attrahuntur apparatu scientifico simul ac mysterioso, quocum istae doctrinae propagantur; deinde speciale discrimen oritur ex eo quod placita perniciosa theosophismi sparguntur cum terminis et etiam mediis practicis, quae in ethica et ascetica christiana

pariter adhibentur; ita vero ista placita in externa facie minus nociva atque perversa videntur, eo vel magis quod quamlibet professionem religiosam, etiam christianismum et catholicismum, quoniam omnes religiones aeque admittendae proclamantur, simul cum theosophismo retinere licet.

Merito igitur declaravit S. C. S. Officii doctrinas theosophicas componi non posse cum doctrina catholica, et jure prohibuit ne quis libros, ephemerides, diaria aut scripta quaelibet, quae talia placita divulgant, legere praesumeret aut nomen suum daret societatibus, quas ubique erigere conantur, ut errorem suum pessimum facilius spargere possint.

H. LAMIROY.

S. C. DE DISCIPL. SACRAMENTORUM

SS. EUCHARISTIAE (1)

Relatum est huic S. Congregationi de disciplina Sacramentorum in nonnullis Dioecesibus quosdam Vicarios Foraneos, aut Decanos, vel Parochos solere singulis duobus vel tribus mensibus hostias comparare easque distribuere in propriis et filialibus Ecclesiis pro Missae sacrificio peragendo ac pro fidelium eucharistica communione. Elapso hoc temporis spatio, nova fit acquisitio et distributio hostiarum, quae pariter duobus vel tribus mensibus sufficiant, ac ita deinceps. Et exquisitum est an probari possit huiusmodi praxis adhibendi, pro SSmo Eucharistiae sacramento, hostias a tribus vel duobus mensibus confectas.

Haec S. Congregatio, omnibus mature perpensis, proposito dubio respondit: *negative, et servetur praescriptum Ritualis Romani et Codicis Iuris Canonici.*

Rituale Romanum (tit. IV, cap. I, *De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento*) haec praecipit: " Sanctissimae Eucharistiae " particulas frequenter renovabit (parochus). Hostiae vero seu

(1) *Acta Apost. Sedis*, XI (1919), p. 8.

" particulae consecrandae sint recentes; et ubi eas consecra-
" verit, veteres primo distribuat vel sumat ".

In Codice Iuris Canonici haec statuuntur: Can. 815: " panis
" (pro Missae sacrificio) debet esse mere triticeus et recenter
" confectus ita ut nullum sit periculum corruptionis. Vinum
" debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum ".
Can. 1272: " Hostiae consecratae sive propter fidelium commu-
" nionem, sive propter expositionem Sanctissimi Sacramenti et
" recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite con-
" sumptis ita ut nullum sit periculum corruptionis, sedulo
" servatis instructionibus quas Ordinarius loci hac de re
" dederit ".

Propter maximam autem quae debetur reverentiam erga SS. Eucharistiae Sacramentum mandat haec S. Congregatio ut in cunctis ecclesiasticis Dioecesium ephemeridibus datum responsum edatur, quo facilius omnibus patescat et ab iis, ad quos spectat, fideliter ac religiose servetur.

Datum ex aedibus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 7 decembris 1918.

PH. CARD. GIUSTINI, *Praefectus*.

† A. Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius*.

COMMISSIO PONT. DE RE BIBLICA

DE AUCTORE ET DE MODO COMPOSITIONIS EPISTOLAE AD HEBRAEOS (1).

Propositis sequentibus dubiis Pontificia Commissio " De Re Biblica " ita respondendum decrevit:

Quaer. I. Utrum dubiis, quae primis saeculis, ob haereticorum imprimis abusum, aliquorum in Occidente animos tenuere circa divinam inspirationem ac Paulinam originem epistolae ad Hebraeos, tanta vis tribuenda sit, ut, attenta perpetua, unanimi ac constanti Orientalium Patrum affirmatione, cui post saeculum IV totius Occidentalis Ecclesiae plenus accessit consensus; perpensis quoque Summorum Pontificum sacrorumque Concilio-

(1) *Acta Apost. Sedis*, VI, (1914). p. 417 s.

rum, Tridentini praesertim actis, necnon perpetuo Ecclesiae universalis usu, haesitare liceat, eam non solum inter canonicas, — quod de fide definitum est. — verum etiam inter genuinas Apostoli Pauli epistolas certo recensere ?

Resp. Negative.

Quaer. II. Utrum argumenta, quae desumi solent sive ex insolita nominis Pauli absentia et consueti exordii salutationisque omissione in epistola ad Hebraeos, — sive ex eiusdem linguae graecae puritate, dictionis ac styli elegantia et perfectione, — sive ex modo quo in ea Vetus Testamentum allegatur et ex eo arguitur, — sive ex differentiis quibusdam, quae inter huius ceterarumque Pauli epistolarum doctrinam exsistere praetenduntur, aliquomodo eiusdem Paulinam originem infirmare valeant; an potius perfecta doctrinae ac sententiarum consensio, admonitionum et exhortationum similitudo, necnon locutionum ac ipsorum verborum concordia, a nonnullis quoque acatholicis celebrata, quae inter eam et reliqua Apostoli Gentium scripta observantur, eamdem Paulinam originem commonstrent atque confirment ?

Resp. Negative ad primam partem ; affirmative ad alteram.

Quaer. III. Utrum Paulus Apostolus ita huius epistolae auctor censendus sit, ut necessario affirmari debeat, ipsum eam totam non solum Spiritu Sancto inspirante concepisse et expressisse, verum etiam ea forma donasse qua prostat ?

Resp. Negative, salvo ulteriori Ecclesiae iudicio.

Die autem 24 iunii anni 1914, in audientia infrascripto Rmo Consultori ab Actis benigne concessa, Ssmus Dominus Noster Pius PP. X praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 24 iunii 1914.

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.

Consultor ab Actis.

DE NOVIS TYPICI MISSALIS RUBRICIS

1. COMMEMORATIO ANNIVERSARIA ORDINATIONIS SACERDOTALIS.

Una ex mutationibus quae sacerdotibus maxime gratae erunt, ea est vi cujus singuli presbyteri in ipsa missa commemorare possunt diem consecrationis suae sacerdotalis. De qua commemoratione statuunt *Additiones et Variationes*, t. VI, n. 3.

In anniversario propriae ordinationis sacerdotalis, a die fixa mensis computando (1), si Vigilia Nativitatis vel Pentecostes, Dominica Palmarum aut Duplex I classis non occurrerit, secus autem in proximiori sequenti die (2), quae a Duplici item I classis sit libera, cuivis Sacerdoti licet (3), extra Missas Defunctorum, et post Orationes a Rubricis praescriptas, addere Orationem pro seipso Sacerdote, ut inter Orationes diversas.

Pro multis sacerdotibus res practica erit jam hoc mense decembri.

Quare utile duximus hanc rubricam paucis exponere.

Locus hujus orationis, ex praecedenti rubrica, est *post* omnes *commemorationes speciales* et post omnes *orationes communes* pro tempore assignatas, adeo ut propter illam nulla ex orationibus a rubricis praescriptis omitti possit. Nec orationi « ad libitum » unquam substitui potest, quum haec substitutio concedatur pro sola imperata.

Venit ergo inter *orationes lato sensu votivas*, sed inter eas nec primum nec, ut videtur, ultimum locum occupat. Certo enim praecedere debent, si eadem die occurrant: a) oratio pro Papa, in anniversariis electionis et coronationis Summi Pontificis, b) oratio pro Episcopo in anni-

---

(1) Ergo non in die fixa hebdomadae, v. g. quotannis in sabbato Quatuor Temporum Adventus.

(2) H. e. in *prima* die in qua non occurrat duplex I classis.

(3) Non est ergo praeceptum.

versariis electionis vel translationis et consecrationis ejus : hae enim sunt « a rubricis praescriptae », praecedunt ratione dignitatis personae et sunt magis privilegiatae, quatenus de illis anniversariis, accedente mandato Episcopi, etiam missa cantari potest. Praecedit etiam c) oratio de Venerabili exposito : haec enim etiam est « a rubricis praescripta ».

Sed oratio in anniversario consecrationis sacerdotalis praecedere debet, ni fallamur, *collectas imperatas* ab Episcopo : hae enim non sunt « a rubricis praescriptae » sed ab Ordinario. Ceterum illa multo magis quam imperata, saltem communis, est privilegiata : quatenus multo rarius quam haec impeditur. Et merito quidem : imperata enim solet praescribi dicenda per aliquod tempus singulis diebus liberis, quin alicui diei specialiter adhaereat, dum commemoratio ordinationis ex natura sua determinatae diei est affixa, nec unquam repeti potest sicut imperata.

Ulterius quaeri potest utrum collecta imperata omittenda sit, quando commemoratio ordinationis propriae saltem quarto loco est dicta. In Rubricis a Pio X a. 1911 editis ad normam Const. *Divino afflatu*, tit. X edicebatur collectas imperatas esse prohibitas « quandocumque in Missa *dicendae sint* plus quam tres orationes *a rubricis eo die prescriptae* ». Juxta hanc regulam imperata in casu nostro non esset omittenda. Verum facultas imponendi imperatam, anno 1911 jam notabiliter restricta, in novis rubricis ulterius coangustatur, ut mox videbimus, et notatim quoad casum de quo agimus nunc statuitur, tit. VI, n. 4 : « collectae ab Ordinario imperatae... omitti debent... quoties in missa, *juxta rubricas*, jam quatuor *dictae sint* Orationes. » Jamvero oratio in anniversario ordinationis non est quidem « a rubricis eo die prescripta » sed in casu « juxta rubricas jam quatuor dictae sunt orationes ». Ex quo concludere licet imperatam in casu esse omittendam.

Textus. Oratio pro commemoratione anniversaria ordinationis sacerdotalis dicenda ea est quae prostat inter « Orationes ad diversa », sub. n. 20, et inscribitur « pro seipso sacerdote ». In ea nulla fit allusio ad ipsam ordi-

tionem. Et quum in nova editione typica Missalis vix aliqua revisio textuum missarum sit inducta, non judicavit S. Sedes novam aliquam orationem esse adjiciendam.

Hoc autem fieri poterit forte postea, ad normam antiquae traditionis. Praxis enim saluberrima celebrandi pie anniversarium ordinationis sacerdotalis in primitiva jam invenitur liturgia, et in antiquis sacramentariis occurrit non solum oratio sed integra missa in anniversario ordinationis seu uti pulcherrime intitulatur « in *Natali* presbyteri, qualiter sibi missam debeat celebrare » (1). In hujusmodi missis habetur etiam praefatio propria imo et propria oratio *Quam oblationem* in canone (2). En v. g. una ex orationibus collectis :

" Deus, cujus arbitrio omnium saeculorum ordo decurrit respice propitius ad me famulum tuum, quem ad ordinem presbyterii promovere dignatus es; et ut tibi mea servitus placeat, tua in me misericorditer dona conserva. Per.

2. **DE COLLECTIS IMPERATIS AB ORDINARIO** (tit. VI, nn. 4, 5).

Numero « nunquam plures sint quam duae ».

Specie autem diversae sunt : aliae enim sunt pro defunctis, aliae vero non, et hae quidem vel communes sunt vel pro re gravi. De quibus etiam diversae sunt regulae.

A. **Imperatae non pro defunctis** praescribi tantum possunt pro missis quae non sunt defunctorum.

1. Quoad *locum*, « eae ponuntur, et nunquam sub unica « conclusione cum oratione missae, ultimo loco post ora « tiones a Rubricis praescriptas, vel loco Orationis ad « libitum pro diversitate Temporum assignatae, quoties « nempe tertia Oratio ad libitum sit eligenda » (tit. VI, n. 4).

Imperatam ergo praecedere debent non solum a) *oratio propria* missae, b) *commemorationes speciales*, et c) *ora-*

(1) Similiter dicebatur " in Natali Papae „ " in Natali Episcopi „.

(2) In sacramentario Gelasiano quod edidit Wilson, duae hujusmodi sunt missae, p. 150 et 254. Haec altera etiam existit in sacramentario edito a Pamelio : *Liturgicon Ecclesiae Latinae*, t. II, p. 430, inter plures alias quae inscribuntur : " Missa specialis sacerdotis „. Aliam vide in sacramentario Gregoriano quod edidit H. Menardus, ap. Migne, *Patr. lat.* t. 78, col. 225.

tiones communes pro diversitate temporis assignatae, si dicendae sint in festis non duplicibus, sed etiam d) ceterae orationes *votivae late dictae,* nempe oratio in anniversariis Papae et Episcopi, oratio SS. Sacramenti expositi, imo oratio in anniversario ordinationis sacerdotalis, ut vidimus. Oratio *Fidelium,* si dicenda sit, praecedet vel sequetur quia, juxta regulam sibi propriam, semper poni debet « penultimo loco inter omnes orationes ».

Per se ergo imperatam sequi possunt *orationes quae ad libitum celebrantis permittuntur* in misis lectis ritus simplicis non exceptis. Extra hunc casum, imperata semper erit ponenda ultimo loco.

2. Sed si in festo non duplici, notatim post festum Purificationis B. M. V. aut octavam Pentecostes, ut tertia oratio assignetur *oratio ad libitum* (t. VI, n. 1, 3) h. e. oratio cujus textus eligi potest ad nutum celebrantis (aut Superioris), ex novis rubricis potest sacerdos — non debet — jam eligere textum orationis imperatae. « Orationi « enim ad libitum pro diversitate Temporum assignatae « substitui potest collecta, si qua exstet, ab Ordinario imperata » (t. VI, 1). Quo casu dicenda est eo loco qui assignatus est orationi ad libitum, ut patet.

Sed quid si duae sint imperatae ? An alterutram eligere potest? An vero primam semper sumere tenetur? In duobus textibus praecitatis (tit. VI, 4; VI, n. 1, 3) nulla fit restrictio; et tamen in textu priori (t. VI, 4) agitur de imperatis in plurali, in altero vero (tit. VI, n. 1, 3) statuitur *ex professo* principium et regula de substituenda collecta imperata orationi ad libitum. Principium igitur videtur esse ut possit celebrans libere eligere etiam secundam imperatam: haec tunc recitabitur tertio loco ut oratio ad libitum, et imperata prior recitabitur ultimo loco ut imperata. — Si tamen casus occurrat quo imperatae qua tales prohibentur, omnino rationabile est ut tunc non quaevis sed prior, dignior, eligatur ut oratio ad libitum. Quod revera statuit rubrica nova (t. IV, 4): « omitti debent collectae... in Dominicis majoribus, nisi loco Orationis ad libitum *prima* ex eis (collectis) eligatur ». In Dominicis enim II classis, in Septuagesima, Sexagesima et Quinqua-

gesima, tertia oratio est *ad libitum* et omittendae sunt imperatae. Si quis tamen unam ex duabus imperatis velit servare, substituendo eam orationi ad libitum, debet eligere praecipuam seu primam. Quod videtur etiam faciendum quando omittendae sunt imperatae quia « juxta rubricas jam quatuor dictae sint orationes » Ex his tamen non censemus concludendum esse *in omni casu* primam ex imperatis esse eligendam, ut quidam putant.

3. « Et si jussa fuerit [tanquam imperata] Oratio contra « persecutores Ecclesiae [quae incipit verbo *Ecclesiae*] vel « pro Papa, in diebus in quibus alterutra a Rubricis praes- « cribitur, unica oratione utrumque adimpletur praecep- « tum » (t. VI, n. 4).

Frequens, ne dicam perpetua est in nostra diœcesi imperata pro Papa. Quoties igitur ut tertiam orationem praescribunt rubricae orationem *Ecclesiae* vel pro Papa, sufficit recitare suo loco orationem pro Papa (1), ut possit et debeat omitti imperata.

4. Imperata — quae non est pro defunctis — pro momento seu gravitate ejus, secundum judicium Ordinarii, distinguitur in *imperatam communem* et *imperatam pro re gravi*, quae rursus distinguitur in *imperatam pro re gravi simpliciter* et collectam pro re gravi quae *expresse ordinatur dicenda etiam in duplicibus I classis*. Non censetur pro re gravi, nisi Ordinarius hoc expresse declaraverit.

a) Omitti debent: *imperatae communes*, « propter res- « pectivam missam vel commemorationem 2) *a*) in omnibus « duplicibus I et II classis, *b*) in Dominicis majoribus nisi « loco orationis ad libitum prima ex eis eligatur, *c*) in « feriis (3), vigiliis et octavis privilegiatis, *d*) in missis « votivis pro re gravi et publica simul causa vel ad instar

(1) Quamvis rubrica non sit omnino clara, censemus non posse omitti imperatam " pro Papa ", si quis ut orationem tertiam communem maluerit eligere orationem *Ecclesiae*, aut vice versa.

(2) Hoc est, non solum quando ipsa missa est de festo, dominica, feria, vigilia aut octava aut votiva infra enumeratis, sed etiam quando de illis fit commemoratio.

(3) Antea non prohibita erat imperata in feriis privilegiatis.

« solemnium celebratis, *e*) et quoties in missa, juxta rubri-
« cas, jam quatuor dictae sint orationes (1) ».

b) *Imperatae pro re gravi simpliciter* « omittuntur
« tantum *a*) in vigiliis Nativitatis et Pentecostes, *b*) in
« Dominica Palmarum, et *c*) in omnibus duplicibus I
« classis. »

c) *Imperatae quae « expresse ordinentur dicendae etiam « in duplicibus I classis*, omittuntur tantum in Nativitate
« Domini, Epiphania Domini, feria V in Coena Domini,
« Sabbato Sancto, Dominica Resurrectionis, Ascensione
« Domini, Pentecoste, Festo SS. Trinitatis et Festo SS.
« Corporis Christi. »

5. « *Ordo* autem in dicendis hujusmodi collectis —
« praeter Collectam pro defunctis, penultimo semper loco
« inter orationes etiam ad Celebrantis libitum permissas
« collocandam — est sequens :

« Prius ponitur Collecta dicenda pro re gravi, si habea-
« tur. Si vero ambae collectae sint jussae pro re gravi aut
« non gravi, prius ponitur, juxta ordinem Litaniarum
« Collecta de aliquo Mysterio vel Sancto, quae praecepta
« fuerit (2) ; postea quae desumenda sit ex Missis votivis
« diversis vel ex Orationibus [ad diversa] quae in fine
« missalis habentur (3), servato, si ambae sint hujusmodi,
« eodem ordine quo in Missali prostant » (Tit. VI, n. 5).

B. **Imperata pro defunctis** (4) injungi potest dicenda tum in missis *Requiem* tum in aliis, juxta diversas tamen regulas.

1. In missis *Requiem* praescribi potest addenda « quovis anni tempore » (etiam tempore paschali) sed in solis « missis tres admittentibus orationes » h. e. in quotidianis,

(1) Inter has orationes computantur, ut censemus, omnes orationes (vide supra) praeter orationes ad libitum sacerdotis additas in missis lectis in feriis non privilegiatis.

(2) Praecedit, ratione dignitatis, Collecta de *Mysterio* Domini, imperatam de *Sancto*. Si ambae sint de eadem specie, servetur ordo qui indicatur in Litaniis omnium Sanctorum.

(3) Praecedit Collecta desumenda ex *missis* votivis imperatam ex *Orationibus ad diversa* eligendam.

(4) De hac antea non agebatur specialiter in rubricis.

non vero in privilegiatis quae cum unica oratione celebrantur ritu qui duplici respondet.

In missis *Requiem*, imperata semper ponitur tertio loco. Nam tres orationes in missa quotidiana sunt de praecepto: ergo praecedere per se debent imperatam; verum ex tribus illis una debet esse oratio *Fidelium*, quae in missis *Requiem* semper debet poni loco ultimo: venit ergo imperata loco penultimo seu tertio, in omnibus missis in quibus quatuor, ut solet, dicuntur orationes. — Ast in missis quotidianis lectis potest sacerdos proprio marte alios addere orationes pro defunctis, ea tamen conditione ut numerus *omnium* orationum sit impar et ut orationi *Fidelium* ultimus assignetur locus « post orationes a rubricis praescriptas ». Merito ergo dicimus orationem imperatam in missis de Requie *semper ponendam esse tertio loco*.

2. *In missis autem quae non sunt defunctorum*, imperata pro defunctis *omitti debet* non solum omnibus diebus quibus alia imperata ordinaria prohibetur, sed « insuper « tempore paschali et in omnibus missis quae de officio « duplici vel semiduplici aut cum alterutrius commemora- « tione celebrentur ». Ergo etiamsi commemoratio tantum facienda est festi saltem semiduplicis, etiam in missa votiva privata, imperata pro defunctis dici nequit. Quod intelligendum esse censemus de Dominica per annum, quum haec festo semiduplici longe praestet.

Ponenda autem est « penultimo semper loco inter « [omnes] orationes etiam ad celebrantis libitum per- « missas » (Tit. VI, 5).

C. CALLEWAERT.

INDICES

I

INDEX ARTICULORUM

Documenta Romana (1)

Acta Benedicti XV. Pag.

1915 mart. 9. *Rescriptum* ad Praepositum Generalem S. J. circa distinctionem realem inter essentiam et existentiam 268

» sept. 16. *Motu proprio* de indulgentiarum concessionibus recognoscendis 147

1917 mart. 17. *Epistola* ad Praep. Gener. S. J. de doctrina S. Thomae 269

» mart. 25. *Motu proprio*. S. Poenitentiaria substituitur S. Officio 150

» apr. 14. De benedictionibus et absolutionibus Tertiariis S. Francisci intra octiduum dandis 150

» jun. 15. *Litterae Encyclicae* de praedicatione verbi divini 209

1919 nov. 30. *Epistola Apostolica* de fide catholica per orbem propaganda 67

1920 julii 25. *Motu proprio* de sacris solemnibus anni quinquagesimi ex quo S. Joseph Ecclesiae patronus renuntiatus est . . . 341

» maii 23. *Epistola Encyclica* de pacis reconciliatione christiana 292

» sept 15. *Litterae Encyclicae* in natali MD. S. Hieronymi Ecclesiae doctoris . . . 353

» oct. 5. *Litterae Encyclicae* de S. Ephrem Ecclesiae doctore renunciando 433

(1) Decreta quae asterisco * notantur in hoc periodico adnotationibus illustrantur.

Pag.

Indulta Apostolica.

1919 dec. 14. Indultum concessum Episcopis Belgii reducendi onera missarum manualium et fundatarum et providendi casibus quibus exoneratio missarum fundatarum aut manualium ex toto vel pro parte impossibilis facta fuerit . . . 129
» » Indultum concessum Episcopis Belgii de abstinentia quadragesimali feria IV et VI servanda et de facultate dispensandi in abstinentiae lege illos qui in diversoriis et cauponis cibum sumant 130

E S. Congregatione S. Officii.

1915 dec. 21. *Decretum* quo prohibetur scribere de factis nuncupatis "le secret de la Salette„ 488
1917 mart. 9. *Decretum* de Sacramento Extremae Unctionis in casu necessitatis conlato . . 199
» april. 27. *Dubium* de spiritismo 266
1918 jun. 5 * *Decretum* de scientia Christi. . . . 489
1919 jul. 16. * *Dubium* de Theosophismo 490
1920 mart. 12. *Decretum* I et II circa " les faits de Loublande „ 267
» april. 23. *Decretum* circa authentiam Pentateuci. — Declaratio auctoris se subjicientis. 428

Sectio de Indulgentiis.

1914 maii 18. Circa modum benedicendi quaedam devotionalia apostolica auctoritate. . 143
» jun. 25. De partialibus indulgentiis semel vel pluries in die lucrandis 143
» jun. 11. Circa indulgentiam " toties quoties „ crucifixis adnexam 144
» sept. 5. Indulgentiae Apostolicae Benedicti Pp. XV. 144
» nov. 26. Circa indulgentias sodalitatibus lectioni S. Evangelii provehendae concessas . 144
1915 mart. 24. *Declaratio* circa titulum *Cor Jesu Eucharisticum* 145
» jun. 10. Circa pia opera Propagationis Fidei, S. Francisci Salesii et S. Infantiae. . 146

Pag.

» jun. 10. Circa indulgentiam diei adscriptionis in Apostolatu Orationis adnexam . . . 146
» jun. 17. *Declaratio* circa Altare privilegiatum . 147
1916 maii 11. Circa numismata-scapularia 147
» jun. 8. Circa indulgentias Tertii Ordinis S. Francisci 147
» jun. 22. De formulis precum indulgentiis ditatis non interpolandis 149
» oct. 11. Sodalitates ad provehendas juvandasque religiosas vocationes indulgentiis ditantur 149
» dec. 14. Indulgentia " toties quoties „ in Commemoratione omnium fidelium defunctorum 150

Libri prohibiti.

1917 jul. 18. Proscribitur opus quoddam 49
1918 dec. 14. Varia proscribuntur opera 50
1920 julii Opus cui titulus *Felix Timmermans, Pallieter* prohibetur 344

E. S. Congregatione Consistoriali.

1917 jun. 28. *Normae* pro sacra praedicatione . . . 220
1920 maii 21. *Brugen.* De sacro Pallio Episcopo Brugensi concesso 290

E. S. Congregatione de disciplina Sacramentorum.

1918 dec. 7. *Decretum* circa asservationem SS. Eucharistiae 492

E. S. Poenitentiaria.

Sectio de Indulgentiis.

1917 oct. 22. Circa altaria privilegiata 150
» » De indulgentiis acquirendis a mutilatis . 151
» dec. 17. Dubia circa pium Viae Crucis exercitium et indulgentias eidem adnexas rite lucrandis 151
1918 mart. 1 . Quaesita circa indulgentias adnexas piae praxi consecrandae familiae Ss. Cordi Jesu (vulgo inthronizatio). 256
» nov. 15. Pia unio cleri " pro missionibus „ spiritualibus favoribus augetur 152

Pag.

E. S. Congregatione Indicis.

1915 apr. 14 Varia proscribuntur opera 49
1916 jun. 6. » » » 49

E. S. Congregatione Rituum

1914 jun. 24. *Decretum* de usu lucis electricae in ecclesiis. 259
» jun. 24. * *Decretum* de lectionibus historicis contractis 261
1915 aug. 11. *Rescriptum* de octava festi SS. Petri et Pauli in Urbe. 263
» dec. 23. * *Resp.* ad dubia circa collectam pro re gravi 260
1916 febr. 22. *Decretum* de lampade coram SS. Sacramento 259
1918 jan. 18. * *Decretum* de octavis simplicibus 264
» febr. 16. * *Lauden.* De eadem collecta pro re gravi. 261
» jan. 14.* *Decretum* de editione typica Memoralis Rituum 426
» mart. 24. *Decretum* quo B. M. V. Lauretanea constituitur Patrona aëronautarum et *approbatio formulae benedictionis* machinae itineri aëreo destinatae 422
» mart. 27 *Decretum* de Solemnitate SS. Rosarii . . 423
1920 maii 12. *Mechlin.* De festo S. Joannis Berchmans . 421
» julii 25.* *Decretum* de editione typica Missalis Romani 421
» sept. 9. De consecratione altaris exsecrati . . . 423

E Commissione Pontificia de re biblica.

1914 jun. 24. De auctore et modo compositionis epistolae ad Hebraeos 493
1915 jun. 18. De Parousia seu de secundo adventu Domini nostri Jesu Christi in epistolis sancti Pauli Apostoli 131
1920 apr. 23. Circa authentiam mosaicam Pentateuci . 428

E. Commissione ad Codicis canones interpretandos

1917 dec. 9. Cuinam competit solutio dubiorum. 142, nota
1918 febr. 17. Dubia proposita et resoluta 133
» jun. 23. » » » 134
1919 oct. 16. » » » 138

Documenta episcopalia

Pag.

Acta Congregationis prosynodalis habitae 3 junii 1919:
Oratio Reverendissimi Dni Episcopi 161
Decreta 168
Acta Congreg. prosynod. habitae 18 maii 1920:
Oratio Reverendissimi Dni Episcopi 301
Decreta 304

Conferentiarum quaestiones et responsa

Ex sacra Scriptura N. T.

De realitate historica apparitionum Jesu redivivi in Jerusalem et in Judaea 5
Apparitiones Jesu in Galilaea 173
Instaurare omnia in Christo. Ephes., I, 10. 228
Mysterium a s. Paulo praedicatum 316
Duo systemata justificationis de quibus apud s. Paulum. 390
In prologum Evangelii s. Joannis, I, 3 s. 450

Ex theologia dogmatica.

De notione dogmatis 10
De cognitione nostra de Deo mediata et analogica . . 89

Ex tractatu de Deo creante.

Demonstratur dogma creationis ex sacra Scriptura. . 177
De argumento creationis mundi per rationem naturalem. 232
De mundo creato ab aeterno. Explicatur sententia s. Thomae in Sum. Theol., I, q. 46, a. 2, c. 320
Probatur ex revelatione mundum non fuisse creatum ab aeterno 394

Ex tractatu de Verbo incarnato.

De fine proximo incarnationis 455

Ex theologia morali.

Ex tractatu de Justitia.

Determinatur influxus metus levis, necnon metus reverentialis in contractum 18
Exponitur norma justi pretii, in consueto contractu emptionis-venditionis 96
Inde indagatur de justo pretio rerum pretiosarum aut extraordinariarum 102

Pag.

Ex tractatu de Virtutibus adnexis Justitiae.

Enucleatur virtus aequitatis. 181
Assignantur partes potentiales seu virtutes adnexae Justitiae. 235
Explicatur notio virtutis obedientiae, exposito prius fundamento ipsius obligationis 323

Ex tractatu de Matrimonio.

Explicatur can. 1077 § 1: " Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive ". 399
Exponitur ejusdem can. § 2: " Affinitatis impedimentum multiplicatur 1° quoties multiplicatur impedimentum consanguinatis a quo procedit; 2° iterato successive matrimonio cum consanguineo conjugis defuncti ". 404

Ex tractatu de Baptismo.

Explicatur can. 755 § 1: " Baptismus sollemniter conferatur, salvo praescripto can. 759 ". 461
Exponitur in quonam loco Baptismus sollemniter conferri possit 468

Ex THEOLOGIA MORALI FUNDAMENTALI.

Exponitur 1° notio conscientiae dubiae; 2° discrimen inter dubium conscientiae speculativum et dubium practicum 28
Describitur discrimen inter dubium conscientiae negativum et dubium irrationabile 105

De Legibus.

De necessitate et de qualitate promulgationis legis, spectato solo jure naturae 239
De promulgatione legum ecclesiasticarum, juxta novum Jus 333

Ex THEOLOGIA ASCETICA.

Explicatur hoc assertum: Principium adaequatum perfectionis acquirendae hisce verbis S. Pauli apte exprimitur: " Gratia Dei mecum ... I Cor., xv, 10 187
Describitur munus exercitiorum devotionis in acquirenda perfectione christiana. Praecipui defectus indicantur in hac materia apud sic dictos devotos occurrentes . 407

Pag.

Exponitur quomodo oratio vocalis facienda sit ut vere exerceat devotionem. 172

Ex Jure Canonico

De peccato parochorum qui verbi divini praedicationem negligunt 31

Comment faut il procéder à la reconstitution et à la réorganisation d'une fabrique d'église en cas d'expiration des pouvoirs de tous ses membres 242

Est-il permis de cumuler des fonctions fabriciennes ? . 412

Ex S. Liturgia

De quattuor formularibus Missarum pro defunctis . . 107

De missis in Commemoratione omnium fidelium. . . . 191

De missa exsequiali in aut pro die obitus 335

De sacris Oleis. 178

Dissertationes.

De novo codice juris canonici. 34

La Liturgie du Carême (suite).

Les messes stationales dans les titres presbytéraux . . 112

La série des antiennes *ad communionem*. 200

Psalmus CVIII estne imprecatorius ? 245

La propriété des églises dans les régions dévastées . . 414

La prononciation romaine du latin 483

De novis typici Missalis rubricis 495

Analecta ascetica et mystica.

De SS. Trinitate contemplatio. 81

De studio pio theologiae et de lectione 307, 385

De ipsa contemplatione 446

Documents de jurisprudence civile.

1920 fev. 11. Suppression, en certains cas, de la prohibition de mariage entre beaux-frères et belles-sœurs 196

» mars 24. Mariage des officiers. Dot 270

» juin 3. Loi sur les pensions civiles et ecclésiastiques 428

» août 10. Loi portant augmentation des traitements ecclésiastiques 345

Pag.

Consultatio.

De extinctione confraternitatum 432

Libri dijudicati.

Antiphonale pro horis diurnis a Pió X restitutum et editum et SS. D. N. Benedicti XV auctoritate recognitum 272
Bainvel. De vera religione et de Apologetica 50
Bittremieux (J.). Lessius et le droit de guerre 168
Borremans. Le chant liturgique traditionnel des Prémontrés 279
Bulletin de musique religieuse 271
Cantus passionis D. N. J. C. 271
Chants ordinaires de l'Office divin à l'usage de la jeunesse. Edition Gabalda-Biais-Lethielleux 276
Chossat (M.). S. J. La guerre et la paix, d'après le droit naturel chrétien. 350
Cotel. Catéchisme des vœux. 208
David (Dom Lucien). Méthode pratique de chant grégorien . 280
De Jaegher. Institutiones Philosophicae 287
de la Brière. Les luttes présentes de l'Eglise, t. 2e et 3e . 205
Demeuran. Le droit canon des laïques d'après le nouveau code 207
de Poulpiquet, O. P. L'objet intégral de l'apologétique. 59, 154
» Le miracle et ses suppléances . . 156
De Puydt. Laudate. Collection de morceaux pour orgue . 278
De Smet (A.). Het christelijk Huwelijk 286
» Le mariage chrétien. Traduction de la deuxième édition flamande, par Mgr Sentroul 286
» De Sponsalibus et Matrimonio. 2 vol. . . 286
» Praxis matrimonialis ad usum parochi et confessarii 287
Ermann. v. Morawski. — —
Fierens (A). Les origines de l'Indulgence de la Portioncule. 160
Frutsaert (E.). Geloofsverdediging 59
Gastoué. Cours théorique et pratique de chant grégorien. 281
Génicot-Salsmans. S. J. Institutiones Theologiae Moralis. 2 vol. 349
Gondal. Parlons ainsi de la voix et du geste 278
Groenen (P. G.). Het lijden en sterven van O. H. Jesus-Christus 158

Pag.

JOACHIM. Vesperale pro Dominicis et festis I et II classis cum psalmis integre notatis 274
LEHMKUHL (A.) S. J. Theologia Moralis. 2 vol. Cum appendice 347
LOTTIN (O.) O. S. B. L'âme du culte: la vertu de Religion d'après S. Thomas. 351
L. D. S. Le chant de la Sainte Eglise 280
Manuale divini Officii. Editio Desclée 276
Manuel de l'Office divin. Edition Desclée 276
MATHARAN-CASTILLON. S. J. Asserta moralia. 349
MORAWSKI. S. J. (trad. Willaert). Soirées au lac de Genève. 58
ID. (vertaald door Ermann). Bij het meer van Geneve . 59
NAULAERTS. De Ecclesia Christi tractatus apologeticus . 53
Paroissien grégorien. Edition Gabalda-Biais-Lethielleux. 275
Paroissien romain. Chant grégorien avec signes rythmiques. Edition Desclée. 276
PEGUES (Th.) O. P. Commentaire français littéral de la Somme Théologique de S. Thomas. T. XXIII . . . 347
PESCH (Chr.) Praelectiones dogmaticae. De Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione et de Eucharistia. t. VI 352
Les petites feuilles grégoriennes. 277
PRÜMMER (D.) O. P. Manuale Theologiae Moralis secundum principia S. Thomae. 3 vol. Cum Supplemento . . 248
Revue de chant grégorien 276
Revue grégorienne 275
ROUZIC (L.). Théologie de la guerre en 18 leçons . . . 349
SALSMANS (J.). Geneeskundige Plichtenleer 288
SENTROUL. v. DE SMET.
VAN CROMBRUGGHE. Tractatus de Beata Maria Virgine. . 62
VAN NUFFEL. Compositions de musique religieuse . . . 277
VAN TICHELEN (TH.). Beelden uit het Evangelie 159
VERHELST. Cours de religion. I. Apologétique. 55
VREULS. De Kerkelijke wetten van kloostergemeenten met eenvoudige geloften 207
WAFFELAERT (MGR). L'union de l'âme aimante avec Dieu. 285
» La colombe spirituelle 286
WILLAERT v. MORAWSKI.

II

INDEX ALPHABETICUS

ABSTINENTIA, v. LEX JEJUNII ET ABSTINENTIAE.

AEQUITAS.

Aliquando vox *aequitas* supponit pro justitia rigorosa, 181; aliquando pro epikia, seu virtute moderante observationem litterae legis, modo consentaneo menti legislatoris, 182; nostris vero diebus alio adhuc sensu usurpari consuevit: in his nempe casibus, in quibus aliquid concedi congruit vel petitur quod ex parte quidem favor est, sed tamen aliunde non est pura gratia, existente nimirum titulo quodam imperfecto et quasi-juridico cur concessio privilegii congrua videatur et quasi debita appareat, 183. Exemplo quaedam proponuntur, 183.

Illi *aequitati* ratio virtutis specialis agnoscenda est: cum differat a caritate necnon a justitia, 184; sitque habitus speciali objecto praeditus specialique honestate reluceus, 185. Pertinet autem ad virtutes adnexas justitiae, 185. Obligatio ejus tantummodo levis est, nisi simul concurrat obligatio caritatis sive justitiae, 186.

AËRONAUTARUM patrona declaratur B. M. V.; pro machina benedicenda statuitur formula (24 mart. 1920), 422.

AETERNITAS MUNDI, v. CREATIO.

AFFINITAS, v. IMPEDIMENTUM MATRIMONII.

ALTARE *(liturgice)*. Modus et formula brevior consecrandi altare a) fixum quod amotione mensae a stipite exsecratum est, b) altare fixum aut portatile fractione lapidis aut amotione sepulchri exsecratum (9 sept. 1920), 423 s.

— *Privilegiatum*. Ad lucrandam hanc indulgentiam non requiritur specialis intentio, 147. — Hoc privilegium non potest applicari pluribus defunctis, 150. Quot possint accipi missae ad tale altare celebrandae, 151.

ANALOGIA, v. COGNITIO DE DEO.

ANNUS ECCLESIASTICUS.

Festum *S. Joannis Berchmans* in Belgio transfertur in diem 26 novembris (24 mart. 1920), 422. — Privilegium

concessum *solemnitati SS. Rosarii* non extenditur ad alias solemnitates (27 mart. 1920), 423, v. Carême.

APOSTOLATUS ORATIONIS. Indulgentia dici adscriptionis adnexa non potest alia die lucrifieri, 146.

AQUA BENEDICTA in baptismo sollemni adhibenda, 462.

Baptismus sollemnis quid sit, 461; privatus, 461; dies qua sollemnis administratur, 461; minister, 462; locus administrationis, de regula generali est ecclesia, 468; praeprimis parœcialis, 468; subsidiarie non-parœcialis, 469; exceptionaliter est domus privata, 469.

Baptismus *sollemniter* conferatur, salvo praescripto can. 759, 461.

Baptismus *privatim* confertur 1) in mortis periculo, 462; et 2) extra periculum mortis, de licentia Ordinarii, quando haereticus adultus sub conditione baptizatur, 466.

Caeremoniae quamprimum in ecclesia *suppleantur*, 467; quid, si agitur de adulto catholico qui fuit infans privatim baptizatus, 467; vel si agitur de adulto haeretico qui, de licentia Ordinarii fuit privatim et sub conditione baptizatus, 467. Quid si quis, privatim baptizatus, ante mortem ad ecclesiam deferri non poterit, 467.

Caeremoniae adhibendae in baptismo sollemni adultorum et potestas Ordinarii in hac materia, 468; in specie, quid de caeremoniis adhibendis in baptismo sollemni puerorum neophytorum, qui in scholis catholicis sunt admissi, 468.

Caeremoniae adhibendae in baptismo privato, a sacerdote vel diacono periclitanti collato, 466.

De *ritu* eorum qui ad preces parentum a ritus alieni ministro baptizati sunt, resp. Comm. ad Cod. can. interpr. 16 oct. 1919, ad 11, 140 s.

BENEDICTIONES plurium objectorum devotionalium unico signo crucis faciendae, 143.

Caeremoniae, v. Baptismus.

CAPITULUM. Decretum 30 nov. 1919 de chori disciplina in Urbe adhuc viget, resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 16 oct. 1919, ad 1, 138.

De tertia parte fructuum separanda pro quotidianis distributionibus, resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 16 oct. 1919, ad 4, 139.

Optio praebendarum prohibetur etiam ubi viget ex indulto apostolico, *ibid.*, ad 5, 139. Canonici jubilati sunt exempti a servitio altaris, non obstante consuetudine contraria, *ibid.*, ad 6, 139.

CARÊME.

Les messes stationales dans les titres presbytéraux. Grandes basiliques, 112 ; *tituli* presbytéraux, 114 ; diaconies, 115. Liste des stations quadragésimales aux titres presbytéraux, 117. Leur organisation existait au VIIe s., 118 ; avant la Septuagésime antérieure à S. Grégoire, 119 ; avant la Quinquagésime qui a précédé la Septuagésime, 120 ; elle est antérieure à Symmaque, 121 ; remonte probablement au pape S. Hilaire, 123 ss. Changements introduits plus tard, 125.

La série des antiennes ad Communionem. Les Communions psalmiques forment une série régulière, 200, mais avec des interruptions, 201, et des lacunes où on a substitué l'évangile au psaume, 202. Pourquoi et quand ? 204.

CASUS RESERVATI in dioc. Brug., 169 ; facultas absolvendi, 169 ; facultas subdelegandi RR. adm. DD. decanorum, 170, v. etiam PROSYN. CONGR.

CHRISTUS, v. SCIENTIA

CLERICI. *Obligationes.* Ad Ordinarium loci recurrendum est ad habendas licentias de quibus in Decr. *Docente Apostolo,* 11 nov. 1910, Decr. Comm. ad Cod. can. interpr., 2-3 jan. 1918, ad 1, 134.

CODEX JURIS CANONICI.

Necessitas novi codicis, 34 s.

Historia codicis, 35 ss.

Exterior ordo codicis, 38 ss.

Editiones, 40 s.

Commissio ad codicis canones interpretandos, 41 s. — Varia ab hoc Coetu solvuntur dubia, decretis 9 dec. 1917, 17 febr., 2-3 jan. 1918, 16 et 29 oct. 1919.

Vis juridica novi codicis. Est collectio AUTHENTICA, 42. — Collectio UNIVERSALIS, 43 ; non obligat Ecclesiam Orientalem, 43. — Collectio EXCLUSIVA, 44. *Reservantur* leges liturgicae, 44, concordata, 44, jura aliis quaesita, privilegia et indulta, 44 s., praescriptiones temporariae et transitoriae, 45, decr. Comm. ad Cod. can. interpr., 19 oct. 1919, 138. *Abrogantur* leges quaelibet contrariae, 45 s., consuetudines contrariae, 46, 133, 139, 141, poenae non memoratae, 46, disciplinares

leges universales in codice non contentae, 46 s. *Conjunctio novi juris cum antiqua legislatione,* 47 ss. Codici non est vis *retroactiva,* 48, resp. Com. ad Cod. can. interpret., 2-3 jan. 1918, ad IV, 6, 7, 8, 136; resp. ejusdem Coetus, 16 oct. 1919, ad 2, 138.

Ordo legalis Codicis servandus in schola textus, 43, nota 1.

COGNATIO SPIRITUALIS, v. MATRIMONIUM

COGNITIO de Deo est vel naturalis, vel supernaturalis, et utraque differt ab altera 1° principio *subjectivo,* 2° principio *objectivo,* 89; cognitio mediata et analogica explicatur, 90; inde intelligitur quomodo *omnis* cognitio nostra de Deo sit *mediata* et *analogica,* 93. — *Analogia,* qua mysteria proprie dicta cognoscimus, est diversa ab analogia qua intelligimus alias veritates, 65.

COMMEMORATIO omnium fidelium defunctorum. Indulgentia plenaria toties quoties transfertur cum ipsa Commemoratione si haec contingat in alia die celebrari, 150; v. MISSA.

COMMISSIO BIBLICA. Decreta de Parousia (18 jun., 1915), 131; de Pentateuco (23 apr. 1920), 428; de epist. ad Hebraeos (24 jun. 1914), 493.

COMMISSIO PONT. AD CODICIS CANONES INTERPRETANDOS, v. CODEX JURIS CANONICI.

COMMUNIO fidelium in Missa et extra Missam, 168; communio *solemnis puerorum,* 196, v. PROSYN. CONGR.

CONCORDATA, v. CODEX JURIS CANONICI, *vis juridica* novi Codicis.

CONFERENTIA SPIRITUALIS in communitatibus religiosis habeatur singulis saltem mensibus 304; v. PROSYN. CONGR.

CONFIRMATIO quando concurrit cum communione solemni, v. PROSYN. CONGR.

CONFRATERNITATES. Consultatio de extinctione confraternitatum, 432.

CONSCIENTIA dubia quid sit, quomodo oriatur, quomodo dividatur, 28-29, v. DUBIUM.

CONSECRATIO, v. ALTARE.

CONSUETUDO, v. CODEX JURIS CANONICI, *vis juridica* novi Codicis.

CONTEMPLATIO.

Actus actui contemplandi praevii: auditio, lectio, oratio, cogitatio, consideratio meditatio, speculatio exercentur studio pio theologiae, 307. De quo citantur plures textus Philippi abbatis Bonae-Spei, et Laurentii Brancati Cardinalis de Laurea,

308. De lectione quaedam excerpta e libro Fr. Sacchini S. J.: 1) de subsecivis lectionibus, 309; 2) quando, quae et quomodo excerpenda, 311, nempe statim in ipsa lectione, 311, non omnia sed lectissima et utilia ad virtutem, 312, et exscribantur in uno codice continenter uti occurrunt, 313, in altero disponantur juxta capita et materiam distinctam, 313 s. — Haec elucent in Vita Henrici de Vrimaria, 385, ubi citantur quae spectant ejus studium, 385, et orationem, 388 s.

In exhortatione ad contemplationem respicitur, non haec quae dicitur *passiva*, sed *activa*. 446; haec, non illa, ad perfectionem necessaria, 447; attamen et illa suum momentum practicum habet, 447. Excerptum ex libris *Juliani Pomerii*, 447. Sacerdotes sancti possunt fieri participes vitae contemplativae, 447; duo media necessaria eis praesto sunt, 448 s.

Exercitium contemplationis activae de SS. Trinitate per fidem divinam instituendum proponitur, 81 ss.; credo Te, 84. ut intelligam Te, 85 ss., intelligam ut gustem Te et quadamtenus Te videam, 87 s.

CONTRACTUS.

Metus levis in ordine ad contractum quid sit, coram jure naturae et civili, 18. Contractus onerosus dissolubilis, initus ex metu levi injuste incusso *ab altero contrahente*, de jure naturae probabilius rescindibilis est ad nutum laesi, 19; de jure vero civili communiter firmus manet, 21. — Idem contractus, initus ex levi metu injuste incusso *a tertio* quodam, altera parte non connivente, firmus manet, 21. — Si autem dissolubilis contractus fuerit gratuitus, et initus ex metu levi injuste incusso, rescindibilis est, 22. — Tandem metus levis, juste vel ab intrinseco incussus, contractum relinquit firmum, 22.

Metus revérentialis in ordine ad contractum quid sit, 23. Hic applicanda sunt principia supra statuta de influxu metus gravis vel levis, justi vel injusti, in contractus onerosos necnon gratuitos, 24. — Quandonam injustus sit metus ille reverentialis, 25. Quid de jure civili, 25.

Preces importunae, in ordine ad contractum, in certis circumstantiis assimilandae sunt metui injuste incusso, 26; unde tunc rursus recurrunt dicta superius, 27.

Justum pretium in contractu. Pretium est valor relativus seu venalis rerum, pecunia expressus, 96. *Fundamentum* justi pretii praebent varia elementa: ut utilitas rerum, abundantia aut penuria mercium, expensae productionis, necessitates vitae, pericula quandoque subeunda, etc., 97. *Formalis* vero

et proxima norma justi per se pretii est *communis aestimatio,* 97; quae dicitur pretium *vulgare* seu commune, et quae aliquam patitur latitudinem, 98; nisi imponatur quandoque pretium *legale,* 98. — Unde resolvitur: ubi existit pretium legale, illud est per se ex stricta justitia observandum, 99; notantur exceptiones per accidens, 99. Ubi vero non existit, servandum est per se ex stricta justitia, pretium impositum ab aestimatione communi; nec justum dici potest omne pretium conventionale vel currens, sed tantum si huic aestimationi congruat, 100. Notantur rursus exceptiones per accidens, 100. — Quandonam aestimatio sit vere communis, et quid faciendum cum deficiat, 101.

De justo autem pretio *rerum pretiosarum* dicendum quod plurimae ex illis suum pretium vulgare aeque bene possident ac merces communes, 102. De quibusdam tamen rebus omnino extraordinariis aliter dicendum est, circa quos discussio AA. exponitur, 103; et solutio praestatur in partem benigniorem, 104.

COR JESU Eucharisticum quo sensu intelligendum, 145.

CREATIO totius mundi a Deo praecipue ex *Gen.*, I, 1 demonstratur, 177; deinde ex aliis *testimoniis scripturisticis,* 180. Potest etiam probari per *rationem naturalem,* 232; arguendo scilicet ex contingentia mundi, 233; et nulla est valida difficultas ex sententia dualistica, 234. — Creatio mundi *ab aeterno,* ad mentem s. Thomae (Sum. Theol., I, q. 46, a. 2, c.), per fidem excluditur; non autem per rationem, 320. — Conficitur autem mundum fuisse creatum cum tempore 1° ex testimoniis S. S., notatim Gen., I, 1 et II, 4, quibuscum textibus collineant alii loci, 394; 2° ex Traditione, 396. — Recte dicit s. Thomas, cum s. Augustino, mundum fuisse creatum, *non in* tempore, sed *cum* tempore, 398.

DEVOTIO quid sit, 408; quid conferat ad perfectionem christianam, 410; qua ratione exerceatur, 410-411.

DISPENSATIO. Indicantur facultates speciales concessae Episcopo Brugensi, 305-306.

DISTINCTIO REALIS inter essentiam et existentiam (9 martii, 1915), 268, v. etiam s. THOMAS.

DOGMA. Traditur notio dogmatis 1°) sensu *lato* et deinde 2°) sensu *stricto,* 10; explicatur notio dogmatis *stricte dicti,* 11 s.: A) oportet sit veritas a Deo revelata, 11; explicite vel saltem

formaliter implicite, 12 ; quaelibet res revelata, potest esse dogma, sive sit assertio mere theoretica, sive practica, 13 ; objectum fidei materiale distingui potest in *primarium, secundarium* et *pure accidentarium,* 14. — B) oportet haec veritas ut talis, scil. ut revelata, proponatur ab Ecclesia, 15 ; proponi potest *solemni judicio,* 15 ; vel etiam exercitio *magisterii ordinarii* et universalis, 15. — Proprietas dogmatis essentialis est *immutabilitas,* 16 ; inde quid sentiendum de formula « evolutio dogmatum », 17 ; et de comparatione dogmatis cum germine, 18.

DOT des officiers (loi du 24 mars, 1920), 270.

DUBIUM conscientiae distinguitur stricte dictum et improprie dictum, 29. Dubium speculativum juris, facti, 29-30 ; dubium practicum remote vel proxime, 29-30. — Dubium irrationabile quid sit, 105 ; quomodo differat a dubio negativo, 106-107.

EUCHARISTIA. Varia solvuntur dubia de *custodia* SS. Eucharistiae in ecclesia vel in principali oratorio religiosae aut piae domus, decr. Commiss. ad cod. can. interpr., 2-3 jun. 1918, ad V., 136 s.

De nutrienda *lampade* (23 feb. 1916), 259. v. LUMEN.

De *renovandis* speciebus (7 dec. 1918), 492.

EXERCITIA devotionis. Eorum munus in acquirenda perfectione christiana, 407-411. — Defectus in hac materia vitandi, 412.

EXTREMA UNCTIO in casu necessitatis collata (9 mart. 1917), 199.

FABRIQUE D'ÉGLISE.

Reconstitution et réorganisation du *conseil* de fabrique, 242 s. — Reconstitution et réorganisation du *bureau* de fabrique, 242 s. — Cumul permis ou prohibé des fonctions fabriciennes, 412 s.

Propriétés des anciennes églises. Circulaire ministérielle du 23 septembre 1920, 415. — L'avis du Conseil d'État des 2-6 pluviôse an XIII est dépourvu de valeur légale, 416 ss., de valeur doctrinale, 419 s.

FACULTATES absolvendi a reservatis, 169. — Subdelegandi ad absolutionem casuum reserv. concessae Decanis, 169. — Usitatiores facultates concessae parochis a Codice, 170, v. PROSYN. CONGR.

FAITS DE LOUBLANDE, v. LOUBLANDE.

FESTA SUPPRESSA. Quoad ipsa nihil mutatum est per Codicem

juris can., relate ad obligationem celebrandi pro grege, decr. Comm. ad. Cod. can. interpr., 17 febr. 1918, 133.

Festa quae non enumerantur in can. 1247, § 1 Codicis, nullibi sunt amplius de praecepto, decr. cit., 133.

Missa et Laudes Vesp in festis suppressis, 168, v. Prosyn. Congr.

Finis proximus incarnationis, v. Incarnatio.

Gratia Dei principium principale perfectionis christianae, 189-191.

Illegitimi. Législation civile (11 févr. 1920), 196.

Impedimentum matrimonii.

Affinitas. Notio et fundamentum, 399 ; extensio, 401-404 ; multiplicatio, 404 ; distinctio inter affinitatem legitimam et illegitimam, 399 ; inter affinitatem et publicam honestatem, 399. Inter quosnam viget, 400 ; quomodo computatur, 401 ; quo jure inducitur impedimentum, 402. Affinitas superveniens, 399.

Mutationes in *legislatione civili,* quoad impedimentum affinitatis (11 févr. 1920), 196.

Incarnatio. Exponitur controversia quae viget circa *finem proximum* incarnationis, 455 ; probatur sententia, quae tenet finem proximum esse ipsam redemptionem, ita ut, si homo non peccasset, Deus non fuisset incarnatus, 1°) ex sacra Scriptura, 456 ; deinde ex Traditione, 459.

Indulgentia toties quoties crucifixis adnexa quo sensu sit intelligenda, 144; in die commemorationis omnium defunctorum, 150. — Formulae precum indulgentiis ditatae per quamlibet immutationem indulgentiis destituuntur, 149. — Quidquid spectat earum usum et concessiones transfertur a S. Officio ad S. Poenitentiariam, 150. — Indulgentiarum concessiones tantum generales Congregationi ad quam spectat ea materia sunt exhibendae, 147. — Indulgentiae partiales toties quoties acquiri possunt nisi contrarium dicatur, 143. — Indulgentiae apostolicae Benedicti XV, 144.

Inerrantia s. Scripturae, v. Parousia.

Inthronizatio. Quaesita circa indulgentias adnexas huic piae praxi, 256-258.

Irregularitates et impedimenta, v. Ordo.

JEJUNIUM, v. LEX JEJUNII ET ABSTINENTIAE.

JURISDICTIO. Nequeunt parochi, vicarii parochorum, aliive delegati ad universalitatem causarum delegare aut extendere jurisdictionem ad confessiones audiendas sine mandato Ordinarii loci, resp. Comm. ad Cod. can. interp., 16 oct. 1919, ad 3, 139.

JUSTITIA, v. PARTES POTENTIALES JUSTITIAE.

LAUDES VESPERTINAE (duplex bened. servanda; de hora qua peragendae sunt in diebus festivis abrogatis), v. PROSYN. CONGR.

LECTIO, v. CONTEMPLATIO.

LEGES LITURGICAE, v. CODEX JURIS CANONICI, *vis juridica* novi codicis.

LEX.

Universim sumpta indiget *promulgatione,* 239, saltem tanquam conditione sine qua non sortitur suum effectuum, 240; promulgatione vero sufficiente, i. e., pro lege humana, *publica* et *authentica,* 241.

Lex ecclesiastica *universalis,* juxta novum jus, 332, si aliter non providetur, promulgatur debita editione in *Act. Apostol. Sedis Commentario Officiali,* 333, sed vim suam exserit tantum expletis tribus mensibus, 334; *episcopalis* juxta modum ab Episcopo eligendam promulgatur et per se non admittit vacationem, 335.

Lex abstinentiae non cessat diebus festis sub praecepto in Gallia ex concessione S. Sedis suppressis, decret. Commis. ad Codicis can. interpr., 17 feb. 1918, 133. — Abstinentia quadragesimalis est in Belgio feria IV et VI servanda et fit Episcopis Belgii facultas dispensandi a lege abstinentiae illos qui in diversoriis et cauponis cibum sumunt. Indult. Apost., 14 dec. 1919, 130.

Lex jejunii. Non licet diebus solius jejunii carnes edere pluries de die, resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 29 oct. 1916, 142.

LIBRI PARŒCIALES sedulo conscribantur vel etiam restituantur, 172, 305, v. PROSYN. CONGR.

LIBRI PROHIBITI decretis S. C. Ind. 14 apr. 1915; 6 jun. 1916, 49; decretis S. Off. 18 jul. 1917; 14 dec. 1918, 49 s., jul. 1920, 344; v. LOUBLANDE; SALETTE.

LITANIAE LAURETANAE, v. MUSICA SACRA.

LOUBLANDE. Decretum S. C. S. Officii (12 mart. 1920) circa haec facta, 266.

LUMEN LITURGICUM. De usu lucis (24 jun. 1914), 259, v. Eucharistia.

Matrimonium.

Actio de justa causa dissolutionis sponsalium non amplius admittitur ; actio reparationis damnorum non suspendit matrimonii celebrationem, estque mixti fori, decr. Comm. ad Cod. can. interpr., 2-3 jun. 1919, ad IV, 1, 2, et 6, 135.

Docendi sunt sedulo sponsi christianae doctrinae elementa; quod si renuant, non locus est eos respuendi a matrimonio, decr. ad Cod. can. interpr., 2-3 jun. 1918, ad. IV, 135.

De casibus qui nullum judicialem processum requirunt aut interventum defensoris vinculi, sed resolvendi sunt ab Ordinario vel a parocho, consulto Ordinario, resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 16 oct. 1919, ad 17, 141 s.

De probando statu libertatis relate ad eos qui, adepta pubertate, ultra sex menses commorati sunt in dissitis oris, decr. Commis. ad Cod. can. interpr., 2-3 jun. 1918, ad IV, 135.

Nunquam permittitur matrimonium parti de qua dubitari possit an sit filia aut soror alterius partis, resp. Comm. ad Cod. can. interpret., 2-3 jun. 1918, ad IV, 136.

Codici quoad sponsalia et impedimenta non est vis retroactiva, salvo canone 1017, § 3, resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 2-3 jun. 1918, ad IV, 6 et 7, 136.

Cognatio spiritualis ante diem Pentecostes 1918 contracta non cessat quoad omnes effectus at desinit esse impedimentum, decr. Comm. ad Cod. can. interpr., 2-3 jun. 1918, ad IV, 8, 136.

Quoad facult. speciales *dispens.* et *sanandi in radice*, v. Prosyn. Congr. Quoad *affinitatem*, v. Impedimentum Matrimonii ; Publica honestas.

MEMORIALIS Rituum editio typica declaratur authentica (14 jan. 1920), 426. Quid contineat, 426.

MISSA *(Canonice).*

Onera missarum reducendi facultas Episcopis Belgii concessa, (indult. 14 dec. 1919), 129.

Facultas celebrandi in domo privata est ab Ordinario interpretanda restrictive, resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 16 oct. 1919, ad 12, 141. — De hora celebrandi Summum Sacrum in diebus festivis abrogatis, v. Prosyn. Congr.

(Liturgice).

Requiem. Quatuor *formularium* diversorum ratio et usus, 107; missa in die obitus, 108 ; in anniversario, 109 ; in Com-

memoratione omnium defunctorum, 110; quotidiana, 111. — In *Commemoratione omnium defunctorum* conceditur celebratio trina, 191; juxta tria diversa formularia, 192; et determinatum ordinem, 193. Quid si occurrat funus, 193; aut expositio SS Sacramenti, 194. — *Missa exsequialis* qualis et quandonam permittitur corpore physice praesente, 336; quandonam et sub quibus conditionibus, corpore moraliter praesente, 337 s. [nota has conditiones esse mutatas in novissimis rubricis]; quandonam et transferri potest, 339 s.

Quibus diebus omittenda sit *collecta pro re gravi* (23 dec. 1914), 260 s.; nunquam adjungenda orationi principali sub unica conclusione (16 feb. 1918), 261.

Orationes. *Commemoratio anniversaria ordinationis sacerdotalis*, quanam die facienda et quo loco ponenda, 495 ss. Antiquae missae de " Natali „ presbyteri, 497. — *Imperatae* non plures quam duae, dicendae post omnes alias exceptis orationibus ad libitum celebrantis permissis, 497, s.; earum alterutra vel interdum prima substitui potest orationi ad libitum, 498. Si oratio *Ecclesiae* vel pro Papa et a rubricis et ab ordinario sit praescripta, una oratio sufficit, 499. Quandonam omitti debent imperatae a) communes, b) pro re gravi, c) dicendae etiam in duplicibus I clas., 499 s. Quo ordine sint dicendae, 500. Quandonam et quo loco dicendae sint imperatae pro defunctis in missis *Requiem* et in aliis, 500 s.

MISSALIS Romani editio typica declaratur authentica (25 jul. 1920), 424. Quid novi contineat, 425.

Missiones, v. Unio cleri.

Monumentum commemorativum, v. Prosyn. Congr.

Moribundus, v. Baptimus et Extrema Unctio.

MUSICA SACRA. Editio authentica cantus Passionis, 271. — Novae praefationes Defunctorum et Sancti Joseph, 272. — Nova editio Antiphonalis, 272. — Decretum S. C. Rit. (14 maii 1915), de syllabis hypermetricis in hymnis, 272. — Decretum ejusdem Congregationis (18 maii 1917), de instrumento musicali prohibito, 273. — Decretum ejusdem Congregationis (1 aug. 1917), de editionibus rythmicis, 273. — Declaratio S Poenitentiariae (21 jul. 1919), de cantu indulgentiis ditato Litaniarum Lauretanarum, 273 s. — Novae editiones cantus liturgici et musicae sacrae, 274 ss. — Nova opera de cantu liturgico, 278 ss.

NUMISMATA SCAPULARIA invicem substituta singula sunt bene dicenda, 147.

OBEDIENTIA.

Fundamentum ejus obligationis scite proponitur in Scriptura: non est potestas nisi a Deo, 323. Nam cum Deus hominem creaverit socialem, nullusque in societate ordo possibilis sit absque subordinatione voluntatum, jam inde apparet Creatorem, quippe qui ordinem voluerit, consequenter auctoritatem in superioribus voluisse, et obedientiam in subditis; ita ut ex ordine juris naturalis et divini teneantur inferiores superioribus obedire, 324. Insuper nec ab hominum libera voluntate aut pactione pendere possunt sive necessitas ordinis, sive obligatio obedientiae, sive ipsa tandem auctoritas, 325; quamvis libera conventio possit intervenire in determinanda forma alicujus auctoritatis, puta civilis, 326. Itaque rejiciendum est systema *contractus socialis*, a J.-J. Rousseau excogitatum, et quodvis systema quod a Deo debitas suas partes abjudicet; 327.

Virtus obedientiae definitur, 327 et explicatur, 328. Distinguitur obedientia *formalis* et *materialis*, prout praecepta adimplentur qua praecepta, vel ab aliud exclusive motivum: in primo tantum casu obedientia est specialis virtus, et inobedientia speciale peccatum, 329. — Adimplere autem ex submissione animi *desideria* etiam superioris, videtur esse alterius virtutis ac adimplere ejus praecepta tantum, 330.

Ad *obligationem* obedientiae adimplendam sufficit jam materialis observantia praeceptorum, 331. Inobedientia autem materalis non est contra virtutem obedientiae, sed contra aliam aliquam virtutem, et est ex genere suo gravis, 331. Inobedientia vero formalis, seu cum contemptu, addit peccatum speciale contra virtutem obedientiae: quod erit ex toto genere grave, in casu perfecti contemptus; grave vero ex genere suo, in casu contemptus imperfecti, 332.

OCTAVA. Octava SS. Petri et Pauli (29 jun.) pro clero romano est privilegiata III ordinis (11 aug. 1915), 263. — De octavis simplicibus (18 jan. 1918): quid praestandum diebus infra octavam, et in ipsa die octava, 264 s.

OFFICIERS, v. DOT.

OFFICIUM CANONICUM. Lectiones historicae contractae a S. Sede probatae (24 jun. 1914), 261; earum usus, 262.

OLEA SACRA renovanda sunt quotannis ante benedictionem

fontis baptismalis in Sabbato Sancto, 478; quid si ea tempestive obtineri nequeant, 480, quomodo comburenda vetera, 481; quid si deficere incipiant, 481. De asservandis oleis sacris, de vasculis, 481; de loco proprio, 482; quandonam liceat ea domi asservare, 482.

ONERA MISSARUM fundatarum aut manualium, v. MISSA (canonice).

OPUS S. FRANCISCI SALESII. Secretarii in curiis dioecesanis non gaudent facultatibus et privilegiis collectorum, 146.

OPUS S. INFANTIAE. Secretarii in curiis dioecesanis non gaudent facultatibus et privilegiis collectorum, 146.

ORATIO vocalis quomodo facienda ut sit exercitium devotionis, 472.

ORDO. *Irregularitates et impedimenta.* Authentica interpretatio can. 987, 5° "Sunt simpliciter impediti qui ad ordinarium militare servitium adstringuntur", decr. Comm. ad can. Cod. interpr., 2-3 jun. 1918, ad III, 134 s — Est impeditus ad ordines cujus pater vel mater tantum est acatholicus, etiam si matrimonium mixtum contractum fuerit, datis cautionibus cum dispensatione, resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 16 oct. 1919, ad 13, 141.

PAROCHUS non *praedicando* verbum Dei, si inde populus damnum patiatur, peccat contra *praeceptum divinum*, peccato gravi ex genere suo, 31; sed etiam, seclusa necessitate populi, peccat, quandoque graviter, non servando *praecepta ecclesiastica* huc spectantia, 32 s.

Facultates usitatiores a Codice parochis concessae, 170; v. PROSYN. CONGR.

Obligatio conficiendi libros paroeciales vel eosdem restituendi, 172, 305; v. PROSYN CONGR.

Obligatio celebrandi pro grege, v. FESTA SUPPRESSA. JURISDICTIO, v.

PAROUSIA. Decretum de doctrina s. Pauli (18 junii 1915), 131.

PARTES POTENTIALES JUSTITIAE sunt virtutes omnes ad alterum, in quibus deficit sive ratio strictae alteritatis, sive debitum strictum, sive in reddendo strictam aequalitatem, 235. — Inter diversas autem classificationes harum virtutum, proponit s. Thomas sequentem divisionem, 236:

PENSIONS ECCLÉSIASTIQUES, v. TRAITEMENTS ET PENSIONS ECCLÉSIASTIQUES.

Religio, pietas et *observantia* (sub qua includitur et *obedientia)* in hoc deficiunt a perfecta ratione justitiae, quod aequalitatem in reddendo non attingunt, 237.

Veracitas (sub qua includitur et *fidelitas), gratitudo, vindicatio, liberalitas* et *affabilitas* (ad quam reducuntur et *aequitas, misericordia,* etc.) praesertim deficiunt a stricta justitia in ratione debiti, 238.

Tandem *epikia* adnectitur justitiae legali, 239.

PENTATEUCUS. Sententia quaedam reprobatur (23 april. 1920), 428.

PERFECTIO christiana quid sit, 187-189 ; quodnam sit ejus principium adaequatum, 189-191.

POENITENTIARIA substituitur S. Officio pro omnibus quae spectant usum et concessiones indulgentiarum, 150.

PRAEDICATIO, v. PAROCHUS.

PROMULGATIO, v. LEX.

PRONONCIATION ROMAINE du latin. Décision de Sa Grandeur Mgr Waffelaert, 483 — État de la question, 483. — Motifs de la réforme, 484. — Règles de la prononciation romaine, 484 s. — Observations pratiques, 486.

PROPAGATIO FIDEI. Secretarii in curiis dioecesanis non gaudent facultatibus et privilegiis collectorum, 146.

PROPRIÉTÉ DES ÉDIFICES DU CULTE, v. FABRIQUE D'ÉGLISE.

PROOSTENBOND. Monitum, 64.

PROSYNODALIS CONGREGATIO.

Oratio (1919). Verbis excitatí Joannis a Tambaco in opere quod conscripsit : " *Consolatorium theologicum* ", decet ut ex Sacris Scripturis consolationes in tribulatione hauriamus, 161 ; ideo discamus Christum requirere in Sacris Litteris, 163 ; ut ad ejus exemplum, quod plurimi sancti secuti sunt, bona terrena non quaeramus et mala terrestria non timeamus, 164. Ut possimus esse " sal terrae " et " lux mundi " incipiamus a nobismetipsis corrigendis, ducentes *vitam interiorem,* imo *contemplativam,* 169 ; deinde populum, praecipue pueros in scholis, *doceamus,* 167. Commendantur iterum quae saepius circa *observationem festorum* ac *missam dominicalem* fuerunt inculcata, 167.

Decreta. I. Praebeatur populo omnis facultas ad sacram Synaxim frequentandam etiam durante Missa, 168 s. II. Duplex benedictio in Laudibus Vespertinis servetur, 168. III. De hora Summi Sacri et Laud. Vesp. *in festis abrogatis,* 168.

IV. De die *Communionis Solemnis* et de *Confirmatione*, 169. V. *Casus reservati* in dioec. brug., 169. VI. Attendenda in materia reservationis et notatim quoad *facultatem absolvendi*, 169. VII. Facultas *subdelegandi* ad casu sEpiscopo reservatis conceditur R. adm. DD. Decanis, 170. VIII. Uuusquisque parochus habeat *Codicem Jur. Can.*; indicantur usitatiores facultates parochis concessae, 170. IX. De *Tempore clauso* quoad matrimonium contrahendum, 171. X. Exceptis regularibus mendicantibus, nemini licet stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto aut fine, 171. XI. Praefationes *propriae* pro Missis Defunct. ac S. Joseph, 171. XII. Monumentum commemorativum eorum qui pro patria occubuerunt in ecclesiis ponendum, 171. XIII. Curent parochi confectionem *librorum paroecialium* et authenticum exemplar eorum in fine cujuslibet anni ad curiam episc. transmittant, 172.

Oratio (1920). Malorum omnium quae attulit bellum, pergunt pessimi effectus, 301; quare pressius adhuc vitam Apostolorum imitemur, 302; omnes sint sancti sacerdotes conentur, 320; quales eos describit B. Joannes de Ruysbrouck, 303. Incumbant igitur sacerdotes studio theologiae asceticae ac mysticae, 303; quod vitam apostolicam attinet, munus suum docendi omnes sedulo adimpleant, 303; servetur denique concordia animorum atque in eodem sensu christiano unio mentium, 304.

Decreta. I. Conferentia spiritualis singulis mensibus saltem habenda, ad communitates religiosas; in confessione hebdomadaria poenitentes ad vitam spiritualem informentur, 304. II. Prohibetur usus *rijwiel* absque consensu Episcopi in scriptis accepto, 304. III. Accurate observetur can. 1386, § 1, 305. IV. Obligatio conficiendi *libro parociales*, vel eosdem restituendi, 305. V. " Tariffus " approbationi Episcopi subjiciendus est, 305. VI. Enumerantur facultates dispensandi Episcopo concessae, 305; non omittatur in dispensationibus petendis indicatio status fortunae oratorum.

PUBLICA HONESTAS. Quomodo distinguitur ab affinitate, 399.

RELIGIOSI. Qui veniunt sub nomine religiosorum mendicantium, resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 16 oct. 1919, ad 10, 140.

Invalide ad novitiatum admittuntur qui sectae acatholicae adhaeserunt. Interpretatio authentica. resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 16 oct. 1919, ad 7, 139. Novitii et professi a

votis temporaneis morte praeventi ad eadem suffragia jus habent ac professi votorum sollemnium aut votorum simplicium perpetuorum, non obstantibus constitutionibus, resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 16 oct. 1919, ad 8, 140.

De obligatione novitiorum libere disponendi de usu et usufructu bonorum ante professionem, declaratio Commissionis ad Cod. can. interpret., 16 oct. 1919, ad 9, 140.

Vota simplicia perpetua ex parte voventis, emissa ante promulgationem Codicis in religionibus votorum sollemnium sunt moderanda quoad modum et effectus dimissionis a jure vigente ante Codicem, resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 16 oct. 1919, ad 2, 138.

Directores scholarum, hospitalium, aliarumque piarum domorum, qui simul sunt superiores religiosorum, obnoxii sunt mutationi triennali, Decr. Comm. ad Cod. can. inter., 2-3 jun. 1918, ad II, 134.

Renovatio specierum SS. Eucharistiae, v. Eucharistia.

Reservatio, v. Casus reservati.

Salette. Decretum S. C. S. Officii (21 dec. 1915) circa " Le secret de la Salette ", 488.

Sanatio in radice. Specialis facultas concessa Episcopo Brugensi, 306.

Scapularia, v. Numismata.

Scientia Christi. Decretum S. C. S. Officii (5 jun. 1918) de scientia christi, 492.

Scriptura sacra.

Psalmi CVIII recitatur textus, 245 ss.; primo aspectu videtur esse dirissima imprecatio, 246 ss.; varia tentamina hoc cum inspiratione divina conciliandi referuntur, 249 s.; ast melius forte dicitur psalmum non esse imprecatorium, 250 ss.; imo merito posse haberi qua orationem Jesu in cruce morientis, 253 s.; quae sententia vindicatur ab objectione mota ex Act. Ap., I, 20, coll. 16.

Ressurectio Christi. Ex silentio s. Matthaei circa apparitiones Jesu redivivi *in Judaea* et *Jerusalem*, si esset, nil posset concludi contra earumdem realitatem, 6 s.; imo nec silet Matthaeus de iis, 7; multo minus dici potest easdem suo modo narrandi vitam Jesu redivivi excludere, 7 ss. — Aliunde ex silentio s. Lucae circa apparitiones Jesu *in Galilaea* nil potest concludi contra earumdem realitatem, 174 s.; multo minus dici potest s. Lucam easdem exeludere, 175 ss.

Ex epistolis s. Pauli explicatur Eph., I, 10 : *Instaurare omnia in Christo ;* — occasione Eph., III, 9, explicatur quid veniat apud s. Paulum nomine *Mysterii*, 316 ss.; — occasione Philip., III, 9, explicantur duo systemata justificationis de quibus apud s. Paulum agitur : unum ab ipso s. Paulo propugnatur, estque in eo quod non ipse homo suis viribus, sed Deus gratia sua hominem justum facit: quare dicitur justitia esse *ex Deo*, 390 s. ; hanc autem justitiam Deus confert iis qui credendo, in Christi corpus mysticum inseruntur : quare dicitur justitia esse *ex fide* Christi Jesu, 391 s. ; — alterum systema a s. Paulo impugnatur, essetque in eo quod ipse homo suis viribus naturalibus se faceret justum : quare diceretur haec justitia esse *mea* seu *ex operibus*, 392 s.; hanc autem justitiam homo sibi acquireret suis viribus servando legem divinam : quare diceretur haec justitia esse *ex lege*, 393 s. — Quid veniat apud s. Paulum nomine *fidei*, 392.

SCRUPULI v. DUBIUM.

SEMINARISTICUM. Resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 16 oct. 1919, ad 16, 141.

SEPULTURA. Sepultura fidelium nequit fieri in ecclesia subterranea, resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 16 oct. 1919, ad 14, 141. Periculum offensionis ex parte cleri et fidelium non est gravis causa, quae excusat a transferendo cadavere e loco quo reperitur ad ecclesiam, *ibid.*, ad 15, 141.

SPIRITISMUS. Decretum S. C. S. Officii (27 april. 1917), 266.

SOCIETATES CLERICALES SINE VOTIS. Varia solvuntur dubia de statu juridico harum societatum, resp. Comm. ad Cod. can. interpr., 2-3 jun. 1912, ad VI, 137.

SODALITATES ad provehendas juvandasque religiosas vocationes indulgentiis ditantur, 149. — Sodalitates ad provehendam lectionem S. Evangelii : declaratio circa indulgentias, 144.

STUDIUM THEOLOGIAE PIUM, v. CONTEMPLACIO.

SUBDELEGATIO ad absolutionem cas. reserv, v. CASUS RESERV.

TARIFFUS approbandus est ab Episcopo, 305; v. PROSYN. CONGR.

TEMPUS CLAUSUM, v. PROSYN. CONGR.

TERTIUS ORDO S. FRANCISCI. Declaratio circa communicationem

indulgentiarum et privilegiorum, 147-149. — Tertiarii benedictiones et absolutiones intra octiduum recipere possunt, 150.

THEOSOPHISMUS, proscriptus per declarationem S. C. S. Officii (18 jul. 1919), 490; est forma quaedam pantheismi spiritualistici, 491; periculum speciale hujus doctrinae, 492.

THOMAS (S.) — Doctrina Aquinatis, de distinctione reali inter essentiam et existentiam, 268; Rescriptum ad Gener. S. J. de doctrina S. Thomae in Societate Jesu, 269.

TRAITEMENTS ET PENSIONS ECCLÉSIASTIQUES. Loi du 10 août 1920 portant augmentation des traitements ecclésiastiques, 345 s. — Loi du 3 juin 1920 sur les pensions civiles et ecclésiastiques, 428 s. Calcul de la pension, 430 s.

UNIO CLERI " pro missionibus „ spiritualibus favoribus augetur, 152.

VIA CRUCIS. Piae uniones et pia exercitia *viae crucis perpetuae* et *viae crucis viventis* non sunt abrogatae, 151-152; coronae viae crucis omnes abrogatae, *ibid.*; cruces cum adnexis indulgentiis viae crucis inserviunt tantum in casu legitimi impedimenti, *ibid.*; in earum usu requiritur meditatio vel pia recordatio Passionis, 152; aliae preces injunctae commutari possunt, 152; in publico exercitio viae crucis, in ecclesia, multitudo populi non debet ab una statione ad aliam transire, 152.

VOCATIONES, v. SODALITATES.

VOLUNTAS propria principium subordinatum perfectionis christianae, 189-191.